BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVII
C
14
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DVAE
APPENDICES

quarum prima

Continet reſolutiones eorum
quæ pridem de Weſtphalia ejusqve
ſtatu contra Caput IX.

Jurisprudentiæ noſtræ publicæ

altera

Eorum, quæ contra Cap. XXXIII.
appendicem I. ejusdem

Jurisprudentiæ publicæ

denuo mota ac edita ſunt.

HENRICI de COCCEJI
REGIAE MAJEST. BORVSSICAE
A Conſil. Intimis, Facult. Jurid. Francof. Ordinarii
& Anteceſſoris Primarii

AUTONOMIA JURIS GENTIUM

SIVE

De Diſcrimine Civitatis
Mediatæ & Immediatæ
Liberæ & non-Liberæ

CVM

DVABVS APPENDICIBVS
VINDICIAS
Jurisprudentiæ noſtræ publicæ continentibus.

FRANCOFVRTI ad VIADRVM
Sumptibus JOH. GODOFR. CONRADI. 1720.

Digitized by Google

Google

APPENDIX I.

De
Statu Weſtphaliæ antiquæ.

CAP. I.

De gemino libello in hac cauſa in Dn. de Rheetz b. m. & me multa cum mordacitate edito.

I.

Cum de Autonomia Juris Gentium ſcriberem, inopinato oblati ſunt duo libelli; Alter cum inſcriptione: *Vindiciæ libertatis (&c.) Weſtphaliæ, contra Illuſtrem Dn. RHETIUM, & Celeb. Dn. COCCEIUM: Ubi graviſſimi errores & lapſus in hiſtoria Weſtphalica Auctorum noſtrorum deteguntur.* &c. Etſi vero in alios quoque invehitur, ut in Gryphiandrum, Scatenium, Meibomium, &c. non tamen niſi noſtrum utriusque nomen in ipſa fronte, majuſculis etiam literis, edidit, ut

a appare-

appareret, nos libello huic deſtinatos ex profeſſo fuiſſe adverſarios, quibus inſectandis ipſe ſibi laudem & famam quæreret.

Altera deinde pagina, etſi tota vacua, hoc tamen veluti lemma, quo, quod ſibi de Nobis judicium arrogat, verbis Ciceronis expreſſit:

Mihi quidem nulli ſatis eruditi videntur, quibus noſtra ignota ſunt.

2. In alterius libelli fronte hæc inſcriptio fuit: *Diſſertatio de Origine & Jure Decimarum in Weſtphalia.* Ubi modeſtior initio, & multus humanitatis ſenſus, mox idem æſtus in opprobria.

CAP. II.

Conſpectus Convitiorum.

In utroque libello minimum eſt, quod identidem ingeminat; *Graviſſime nos & fallere & falli.* Atque iterum *pag. 27. & 28. Fallunt quoque & falluntur Viri alias doctiſſimi, & celeberrimi nominis &c. Rhetius & Coccejus, qui poſt A. C. 803. totam Saxoniam, inprimis Weſtphaliam, in ſervitutem redactam, contra omnium fidem & rei veritatem quamplurimis argumentis ſane ficulneis & leviſſimis contendunt.* Tum addit iterum hanc fœdam & vilem calumniam: *Neſcio, qua invidia & livore adverſus inclytam nationem Weſtphalicam in tranſverſum acti.* Etiam

Etiam *putidiſſimos & deliros errores* commiſimus, & *tot pene errores, quot verba.* Et ſimiles alii elogiorum floſculi, quibus vermiculatus eſt uterque libellus. Nec hoc ſatis! Non in Nos tantum, ſed in omnes Doctores Juris Civilis Romani excandeſcit, & communem Nobis ac Illis labem impingit. Deinde *pag. 33.* invehitur in *JCtorum ſupinam negligentiam & craſſiſſimam ignorantiam in hiſtoriis antiquis; quod alienis oculis videant; & ideo tam graviter ac enormiter peccent contra fidem omnem & verba ipſiſſima ſcriptorum coævorum:* Et *pag. 34.* addit de JCtis; *utpote qui indignum quaſi judicant ſua Majeſtate, Granditate & Magnificentia, ut ita ironice loquar, hos libros propriis oculis inſpicere. Unde patet, quam inepte & imperite ibidem ſcribat Clariſſ. Dn. Rhetius &c.*

Item *pag. 41. Abſurda, inepta & futilia ſunt argumenta, quæ Autores non minimi ſubſellii contra libertatem Saxonum & Weſtphalorum in univerſum proferunt; adeo, ut mirari ſubeat, Viros adeo doctos & præclaros, qualis eſt Ill. Dn. Rhetius, & Celeb. Dn. Coccejus, in re tam manifeſta & clara adeo cæcutire atque hallucinari potuiſſe.*

Tum ita pergit *d. pag. 41.: Verum, ut, quod res eſt, dicam, JCti Illi noſtri, & Doctores juris civilis Romani alienis SEMPER oculis hæc monumenta antiqua inſpiciunt, & indignum ſuæ Majeſtate & dignitate arbitrantur, ejusmodi Autores barbaros, & ſemiroſas chartas & rancida diplo-*

Digitized by Google

mata propriis oculis intueri, evolvere, & multa cura verum & rectum ſenſum indagare: Inde eſt, quod in errores tam craſſos & deliros perſæpe labantur.

Quæ deinde *pag. 43.* iiſdem prope verbis repetit & addit: *Ideo etiam graviſſimos ac doctiſſimos Doctores juris civilis Romani pueris ipſis ridendos & pudendos errores commiſiſſe.*

Quemadmodum & *pag. 41.* hoc ſubjungit: *Quantis vero erroribus Doctores juris civilis Romani ob eam cauſam obnoxii ſint, docet Nos proprio exemplo Illuſtris Dn. Rhetius, dum ſcribit &c.*

CAP. III.

Modeſta Reſponſio.

I. Hoccine vero eſt loqui, an mordere? Equidem B. hujus Viri, Anteceſſoris olim noſtri longe Celeberrimi, cauſam, non eſt, quod ſuſcipiam; quem libellus turpiter lapſum eſſe, *Vindic. pag. 42.* & alia innumera in Eum utroque libello effundit; quin in *diſſert. pag. 392.* inquit: *Eginhardi verba per oſcitantiam & ſummam ſocordiam, vel etiam MALA FIDE detruncavit Rhetius.* Et tum addit: *Quod pace ejus dictum eſto.* Enimvero nemo adeo hoſpes eſt in publicis rebus, quin notiſſimus illi fuerit Vir Illuſtris, cum ab eminentis Juris publici & privati peritia, tum a ſumma dignitatis luce, qua reſplenduit; ut non

non poſſit non indignum videri, lætam ſummi Viri famam ita lacerare, beatosque manes ſine cauſa non minus, quam ſine verecundia ſic laceſſere, & quaſi leoni mortuo inſultare.

2. Ego vero nihil plane iis commoveor; nec ulla provocatione fiet, ut maledictis cum quoquam certare in animum inducam, quod adeo ab ingenuo pudore, & maxime a literarum & humanitatis ſtudiis alienum atque penitus abhorrens; & adeo bonis Viris, quin Viris, indignum eſt. Ita inter homines honeſtos, ita inter Viros agi non ſolet. Clariſſimo tamen libelli autori nihil plane detractum volo. Quoties cum doctiſſimis, quin ſummis Viris congredi oportuit, (quod nec egi, niſi provocatus,) ego eos reverenter habui, & illi me liberaliter; atque hos mores & juvenis expertus ſum, & ſenex retineo; ut, quod Ovidius in Ibin cecinit, huc uſque meum facere poſſim:

Tempus ad hoc &c. - - -
Omne fuit Muſæ carmen inerme meæ.

Videamus jam

Quid tanto dignum ferat iſte libellus hiatu.

CAP. IV.

Cauſæ Status.

Aſſumam prius locum Diſſertationis *de Orig. & Stat. Decim. cap. 2. pag. 402. & ſeqq.*

quæ & prior edita, & unde diſceptationis initium. Exhibet ibi ex *Jur. publ. noſtro totum contextum Cap. 3. ſect. 3. §. 37. usque ad §. 41. & ex cap. 9. §. 11. & ſeqq.* quo omnem Saxoniam priſtinæ libertati reſtitutam, & nec in Ducatum erectam fuiſſe, nec habuiſſe Duces cum propria poteſtate ante Henricum I. aſſerui. Neque id offendit. Sed *pag. 404.* & ipſe libellus ita concludit, & aſſerit: *Firmiſſimum & certiſſimum, imo manifeſtum eſſe, Saxoniam noſtram veterem, ſive Weſtphaliam, immediate Francorum Regibus fuiſſe & manſiſſe ſubjectam usque ad tempora Henrici Aucupis, qui primus libera poteſtate regnavit in Saxonia.*

Tum ita erumpit: *Illud vero falſiſſimum & putidiſſimum eſt, quod ibidem addit Coccejus §. 41. Etſi autem Saxonia veteri libertati reddita fuerit a Carolo M. ipſo tamen facto exceptam fuiſſe Weſtphaliam.*

Inde recenſet, quæ *cap. 9. §. 12. & 13.* allegavi de novis coloniis, de copia hominum propriorum in Svevia & Weſtphalia: de judicio occulto, & aliis ejus judiciis immediatis: de ejus diviſione in 4. Comitatus & Epiſcopatus; & diplomate Caroli M. quo Trutmannum Comitem conſtituit. &c.

Tandem hæc verba ſubjicit:

CAP.

CAP. V.

Tractatio libelli, ex Diſſert. de Orig. & Stat. Decim. Cap. 2. pag. 405.

Sed, quod pace illuſtris & eximii Viri dictum velim, quot verba, tot fere lapſus (a) *& errores in hac recenſione reperiuntur. Nam ut ſileam, jam ante Carolum M. ſervos & ſervitutem promiſcuam in omni pene Germania, & conſequenter in antiqua noſtra Saxonia, ſive Weſtfalia, fuiſſe; & Carolum M. non introduxiſſe,* (b) *ſed inveniſſe ſervitutem in Weſtfalia. Non ſequitur, neque argumentum ſolide ſtringit: Fuerunt, & adhuc hodie reperiuntur multi ſervilis conditionis in Germania, & præſertim Weſtfalia & antiqua Saxonia noſtra: Ergo omnes ſubditi Weſtfaliæ in ſervitutem a Carolo M. ſunt redacti.* (c) *Sed illud paradoxum & inauditum, imo nullo Scriptorum teſtimonio confirmatum: Etſi Saxonia, Orientalis nempe, ut vult Coccejus,* (d) *veteri libertati fuerit reddita a Carolo M. ipſo tamen facto exceptam fuiſſe Weſtfaliam,* (e) *quin & partem Oſtfaliæ. Nam ex inconcuſſis documentis, & Capitulatione Caroli M. de partibus Weſtfaliæ ſupra docuimus: Saxoniam noſtram antiquam, ſive inferiorem, id eſt, Weſtfaliam, non vero Saxoniam orientalem* (f) *ſive ſuperiorem, ut hodie vocant, a Carolo M. libertati fuiſſe reſtitutam: Imo ne mentionem quidem* (g) *factam alicubi de Saxonia orientali ſive ſuperiori,*

cum de Saxonia noſtra inferiori, ſive vetuſta, infinita documenta, & ipſæ Francorum Leges in monumentis Paterbornenſibus adhuc ſuperſint. Adeo, ut mirer, Virum alias doctisſimum, in tot errores & lapſus, in re adeo clara (h) *& manifeſta incidere potuiſſe. Quod fortasſis inde factum arbitror, quia nulla vetuſta documenta, nec ipſa, ni fallor, monumenta Paterbornenſia, in quibus hæc documenta habentur, ſed novitios duntaxat Auctores, v. g. Aventinum* (i) *& alios, quibus res Weſtfalicæ adeo cognitæ & perſpectæ non fuerunt, inſpexit. Id quod ex allegatis apparet. Si vero vel unica Monumenta Paterbornenſia* (k) *obiter inſpexiſſet, longe aliter de antiqua Weſtfalorum, ſaltem primariorum* (l) *libertate Vir eruditus ſenſiſſet: Quia ibidem expreſſa ſit mentio Nobilium, Ingenuorum & Litorum, nec non ſervorum noſtrorum; quæ neceſſaria ſunt Reipublicæ cujusque membra: & ſine quibus nullum regnum, nulla Respublica, nulla Civitas, aut Status, diu ſubſiſtere poterit; quia ſubordinati eſſe debent honorum & dignitatum, nec non hominum gradus. Cum igitur Saxones noſtri, id eſt, Weſtfali, Oſtfali, & Angrarii, ſive Angrivarii, uti ex Capitulatione dicta Carolina de partibus Saxoniæ conſtat, per omnia Francis, liberrimo re & nomine populo, fuerint coæquati,* (m) *& tam quoad honores, quam pœnas, poſt finitum bellum Saxonicum, æquales redditi; nullum reſtat dubium, Weſtfaliam noſtram præprimis priſtinæ libertati & dignitati fuiſſe reſtitutam. Nec obſtat, quod*

homines

homines ſervilis conditionis in ea relicti fuerint; quia hoc in Francorum quoque regno & imperio factum, in quo non omnis ſervitus exſtincta, ſive abolita fuit, uti ex Legibus ſive Capitulationibus Regum Francorum ad ungvem pateſcit, & a rerum antiquarum ſtudioſo & perito negari non poteſt. Deinde Genti nobilisſimæ atque fortisſimæ, nempe nationi Weſtfalicæ, ignominioſum prope atque indecorum videtur, eam ſolam præ reliquis Germaniæ gentibus a Carolo M. in ſervitutem fuiſſe redactam. Cum vero ad oculum demonſtrari posſit, id non eſſe factum, ſed libertatem primoribus ſaltem, (n) *poſt finitum bellum Saxonicum, hisce in regionibus fuiſſe reſtitutam, tam a Carolo M. quam a Ludovico Pio; quis rerum patriarum & antiquitatum domeſticarum amans & ſtudioſus indigne ferat & criminetur, hasce calumnias in celeberrimam nationem Weſtfalicam, ex odio, livore & invidia natas & conſarcinatas* (o) *ſolidis argumentis atque rationibus, nec non auctoritatibus & teſtimoniis, confutari & refelli. Id quod, abſit invidia dicto, nos utcunque præſtitiſſe arbitramur.*

Refutatio ejus.

Hæc, quæ ita libellus exagitat & affingit, nec ſcripſi, nec ſenſi. Verum cum in altero libello plenius excutiantur, hic ſumma ſaltem capita delibabo.

(a) *Quot verba, tot fere lapſus.*] Ipſe ſcilicet

cet libellus ſibi primum monſtra fingit, & tum ſua ipſe figmenta ac portenta multa animi & verborum exacerbatione expugnare aggreditur; ut facile patebit ex ſequentibus.

(b) *Non introduxiſſe &c.*] Id nec dixi, nec ſentio. Et quis unquam negavit, ante Carolum M. ſervitutem in Germania fuiſſe; quæ non in omni PENE (ut libellus gratis addit) Germania; ſed in omni omnino Germania, quin in toto terrarum orbe, & inter omnes Gentes, quin in ipſo quoque Dei populo, recepta fuit. Si quis præter monumenta Paderbornenſia Inſtitutiones quoque Juris, vel earum ſaltem initium inſpexerit, intelliget, ſervitutem jure Gentium & inter omnesGentes introductam fuiſſe. *princ. I. de Libertin. l. 6. π. de Stat. homin. &c.* Quis ergo adeo deſiperet, ut ſtatuat, Carolum M. eam introduxiſſe in Germaniam, non inveniſſe? quod nobis impingitur.

(c) *Sunt redacti.*] Et hoc in me confictum. Quis enim integræ mentis homo ita argueret? *Fuerunt & adhuc reperiuntur in Weſtphalia multi ſervilis conditionis; Ergo omnes ſubditi Weſtphaliæ a Carolo M. in ſervitutem ſunt redacti.* Nec mea eſt hæc argumentaio tam inſana & contradictoria; nec mea concluſio vel ſententia.

(d) *ut vult Coccejus.*] Par priori; falſiſſimum ſcil. commentum. Ubi enim liberta-
tem

tem ſeu autonomiam, a Carolo M. Saxoniæ reſtitutam, ad Orientalem reſtrinxi? Ipſa inſpectio fabulam refellet, & docebit, de omni Saxonia id aſſeri. Et ita omnino eſt. Utriquē Saxoniæ ſua reddita eſt libertas, ſeu autonomia, permiſſumque ſuis æque legibus vivere.

(e) *Exceptam fuiſſe Weſtphaliam.*] In Weſtphalia id valde ſingulare eſt, quod terra & ſubditi, etiam Nobiles, ſint mediati; ſed Comites, Barones, & Civitates ſeu Magiſtratus & Judicia immediata; prout de re conſtat. Nam & a Rege Franciæ Comites eius dati ac Judicia conſtituta ſunt, & Comites ejus ac Civitates ſedem in Comitiis habent, ubi ſpecialis eorum Curia die Weſtpfähliſche Banck, cum Comitum &c. tum Civitatum. Vid. Tract. de Autonom. cap. 22. §. 28. eoque a reliqua Saxonia diſtat, cujus Comites & Civitates ſedem ſeu Curiam peculiarem in Comitiis regulariter non habent, & incognita in iis eſt eine Sächſiſche Banck; cum tamen in eo conveniant, quod Nobilitas utriusque Saxoniæ ſit mediata. Id vero in nulla aliarum Provinciarum contingit, ut Comites, Barones & Civitates ſint immediatæ, Nobilitas autem mediata. Hujus ergo rei cauſa & origo indagatur; nec alia dari poteſt, quam quod toti Saxoniæ cum ſua Weſtphalia libertas & autonomia reddita fuerit;

Digitized by Google

rit; cujus proinde terra mediata ac libera, ſuisque legibus, ſuo ſcil. peculiari Jure Saxonico, perinde ac reliqua Saxonia, uſa fuerit; Magiſtratum tamen & Judicia a Rege & Regno Franciæ acceperit. Quo facto non ſublata, ſed reſtricta fuit Autonomia, quæ partes & gradus habet, & vel plenior vel reſtrictior eſſe poteſt; ut copioſe expoſitum tract. de Autonom. J. G.

(f) *Non vero Saxoniam orientalem.*] Hoc omni falſo falſius eſt. Tabula Caroli M. generaliter loquitur de Saxonia. Uterque, Oſtphali & Weſtphali, æque populus Saxoniæ ſunt, eadem utrisque origo; & pariter, Thuringis ſub Herminfrido expulſis, terram eorum usque ad Unſtrutum occuparunt: Cum utrisque Carolus M. bella geſſit, & cum utrisque pacem fecit; nec alia Oſtphalis, alia Weſtphalis pax aut lex data apparet.

(g) *Ne mentionem quidem &c.*] Ridicule: Nam nec inferioris Saxoniæ alicubi fit mentio.

(h) *In re adeo clara.*] Sed in qua re adeo clara loquitur? De nulla enim egit; ſed Weſtphaliam totam non eſſe in ſervitutem redactam, ubique proclamat; quod nunquam aſſerui, nec unquam mihi in mentem venit. Dico, Weſtphaliam cum tota Saxonia, ſimpliciter veteri libertati reſtitutam, & utramque pariter autonomia uti, ſeu ſuis legibus

gibus vivere permiſſam; Verum Comites & civitates ejus eſſe Status regni immediatos, & locum in Comitiis habere: idque non in tabulis pacis, a Carolo M. datis, cautum, ſed rebus ipſis inductum; dum ipſe Carolus M. Magiſtratus & Judicia ibi conſtituit, atque hoc ipſo facto eos immediate regni rationibus ſubjunxit. De his Libellus nec egit, nec meminit, nedum probavit; ſed de ſervitute privatorum multa fudit, de qua quæſtio non eſt, & quæ ſpectat tantum ad bello captos, aut ſpecialiter in ſervitutem redactos: reliquis ſua libertas privata ſalva eſt; publica autem ſervitus tantum in eo conſiſtit, quod ſuis legibus non utantur, ſed jure Victoris. Vid. Tract. de Autonom. Jur. Gent. Cap. 2. in fin. cap. 10. §. 9. & paſſim.

(i) *Aventinum.*] Mirum, quod libellus ſibi arroget, leges aliis præſcribere, quos Autores legere debeant; & quod ipſi Aventinus adeo ſordeat, cujus laudatiſſimi Annales graviſſimis rebus, quas apud alios non invenias, referti, plerisque aliis palmam præripiunt. Habuit Ille locupletiſſimæ iſtius, & monumentorum ubertate celebratiſſimæ Bibliothecæ Bavaricæ copiam; atque hæc ſecutum ſe, Ipſe crebro & religioſe teſtatur; ut *Lib. 7. in princ. & fol. 461.* ubi: *Publicam*, inquit, *inſtrumentorum (quæ in Bibliothecis Bojoariæ extant,) ſequor fidem, fabulas imperitorum miſſas*

miſſas facio : & alibi ſæpe. *Vid. J. publ. Cap. 18. Sect. I. §. 24. in fin.* Si ergo nuper alius recens monumenta Paderbornenſia, Aventinus longe antiquior, dudum monumenta Bavarica exhibuit; non illius tantum, ſed & aliarum in regno Gentium; inprimis Saxoniæ vicinæ, olim etiam junctæ, crebro vel neceſſitatibus aut rationibus communibus implicitæ, vel adverſis diviſæ. Quam inepte vero libellus ſemper crepet coævos, vid. inf. cap. 8.

(k) *Vel unica monumenta Paderbornenſia.*] Hoc toties quoties in utrumque jactat: *Si ſaltem vel unica monumenta Paderbornenſia obiter inſpexiſſemus, longe aliter ſenſuros nos eſſe. Vid. pag. 34. pag. 42. &c.* quaſi ex illis ſolis ſaperet, idque nunc denuo in me torquet; iis inſpectis *me aliter ſenſurum fuiſſe de antiqua Weſtphalorum, ſaltem primariorum, libertate.* Ego vero de ſingulorum ſtatu nihil dixi; ſed contra, omnes Weſtphalos, tam plebejos, quam primarios, ſemper liberrimos fuiſſe, nunquam dubitavi, niſi qui bello capti, vel ex aliqua cauſa ſpecialiter in ſervitutem redacti fuere. *Vid. Autonom. cap. 2. in fin.* Quin & publicam libertatem, ipſamque autonomiam, Weſtphaliæ vindico, excepto ſaltem, quod Magiſtratus & Judicia acceperit a regno; & ideo illa immediata fuerint, uti ſunt hodieque. Adeo longe pleniorem libertatem ei affero,

aſſero, quam ipſe libellus: qui & falſiſſime mihi affingit, quod nunquam ſenſi; & tum propter figmenta hæc in me tot contumelias evomit.

(l) *Saltem primariorum.*] Statuit libellus, plebem fuiſſe in ſervitutem redactam, primores non item; quod & mox repetit, idemque tradit *pag. 38. &c.* Quæ mera & vaniſſima haruſpicina eſt. Sed & falſum eſt, plebem omnem eſſe in ſervitutem redactam; & locus, quem *d. pag. 38.* ex Autore de Vit. Lud. allegat, non loquitur de ſervitute, ſed confiſcatione. Quodnam vero jam eſt illud arcanum adeo jactitatum ex monumentis Paderb. quo non inſpecto, quot verba, tot errores, eosque abſurdos, ineptos, ac futiles, commiſimus, quin (nam & hæc verba ſcripſit nobiscum agens,) ipſis pueris ridendos & pudendos. Hoc jam arcanum tandem libellus prodit in ſequentibus, nempe, inde probari, non omnes Weſtphalos fuiſſe in ſervitutem redactos, quia in monumentis Paderb. expreſſa fiat mentio Nobilium, Ingenuorum, & Litorum, nec non ſervorum noſtrorum &c. Quaſi ulla mihi de eo quæſtio; idque non ex omnibus prope annalibus conſtet, ita, ut nihil tritius, pervagatius, aut in vulgus quoque notius; nec ex monumentis Paderb. demum eruendum, diſcendumque ſit.

(m) *Coæqua-*

(m) *Coæquati.*] Quæ vero tam paradoxa & inepta coæquatio ſuperioris & inferioris? Francorum populus jure belli fuit populus imperans, ejusque libertas ſumma & independens, ac neminem ſuperiorem recognovit. At Saxonibus bello victis libertas reſtituta quidem, ſed Francis victoribus ſubjecta fuit, quos utique illi ſuperiores agnovere.

(n) *Libertatem primoribus ſaltem &c.*] Id nemini unquam ſobrio in mentem veniſſe exiſtimo.

(o) *Hasce calumnias in celeberrimam nationem Weſtphalicam ex odio, livore & invidia natas & conſarcinatas.*] Tandem non erubeſcit libellus, totam inclytam nationem Weſtphalicam in nos exſtimulare ac irritare, quaſi ex odio, livore & invidia calumnias in eam conſarcinaſſemus. Quod & repetit in *Vindic. pag. 28. Fallunt*, ait, *& falluntur Rhetius & Coccejus, qui totam Saxoniam in ſervitutem redactam, argumentis ſane ficulneis & levisſimis contendunt: Neſcio, qua invidia & livore adverſus inclytam nationem Weſtphalicam in tranſverſum acti.* Hoc ſane, ſi quid uſpiam, acriore, non calamo, ſed animadverſione dignum eſſet. Non in re noſtra verſamur, nec noſtra quicquam intereſt. Omnes invidiæ odiique cauſas procul habemus. De Jure publico, ejusque cauſis ex officio agimus, & hinc de Weſtpha-

Weſtphaliæ & Saxoniæ quoque ſtatu, tam inſigni ejus parte, agere, ſenſusque exponere oportuit. Id vero ad cauſas odii in Illuſtrisſimam Gentem traducere, eamque in Nos accendere & exacerbare, modus eſt calumniandi, quo non alius vilior aut improbior. Et quid tandem eſt, quod libellus tanto æſtu & impetu exagitat? Weſtphaliam ſcil. totam non vult fuiſſe in veram, formalem, & perfectam ſervitutem redactam. Ea vero in re neminem credo mortalium, certe me minime omnium, adverſarium habebit, qui nunquam id ſcripſi, vel ſenſi, & cui nec in mentem unquam venit. Ut neſciam, quid bilem & ſtomachum Autori adeo moverit. Weſtphalia & Saxonia mihi natale ſolum eſt, Bremæ nato, quæ dulcisſima mihi patria in confinio utriusque Saxoniæ, & in utraque Viſurgis ripa condita eſt; cujus terræ laudibus nihil ſane detractum volo. Vindicias itaque ſecundum libertatem ſcribit, nullo adverſario; cum e contrario libertatem Weſtphaliæ Ego multo plenius adſtruxerim, quam libellus ipſe.

Et hæc quidem habentur in *Diſſert. de Orig. ac Jur. Decim.* Longe plura ſunt, quibus in me invehitur in altero libello, ſeu *in Vindic. libert. Saxon.*

Tria igitur capita ſunt, quæ libellus mihi gratis aſtricat, & tum illa, quæ Ipſe fingit,

b quaſi

quaſi mea, perpetuis conviciis adoritur, quin tales errores deinde omnibus JCtis ſolennes & familiares eſſe, declamitat. I. De ſenſu diplomatis Caroli M. quo Ille Truthmannum Comitem in ea parte Saxoniæ ordinaſſe dicitur, fingit; Me uni homini vel Comiti id datum putare, cum multi, imo prope infiniti Comites TALES fuerint. II. Comminiſcitur, me ſcripſiſſe, Weſtphaliam in veram, formalem & perfectam ſervitutem redactam fuiſſe, idque inde me inferre, quod ſervis oppleta illa fuerit; cum tamen Carolus M. ſervitutem non induxerit in Weſtphaliam, ſed illa jam ante & alibi quoque in uſu fuerit. III. Fingit, me ſcripſiſſe, in Saxonia tantum IV. Epiſcopatus, & IV. Comitatus fuiſſe, cum multo plures Epiſcopi fuerint, & de numero Autores valde varient, ac alii IIX. alii X. alii aliter numerent; Comites vero tales plurimos & prope infinitos fuiſſe.

Hæc omnia pro lubitu nobis adſpergit, falſiſſimeque impingit: Quorum etſi nihil ſcripſerim vel ſtatuerim; examinabo tamen paucis, anne ea, quæ libellus aſſerit, multo aliter ſe habeant.

CAP. VI.

Ubi refellitur fabula de infinitis Comitatibus Weſtphaliæ, & eruitur vera ſenten-

ſententia diplomatis Carolini de Truthmanno.

Tractatio libelli, excerpta ex Vindic. libert. Saxon. pag. 9. & ſeqq.

Libellus late contendit, *vocabulum Truthmanni eſſe nomen appellativum & generale, omnibus fidelibus Saxonibus applicari & donari ſolitum; ac formulam illam fuiſſe generalem atque univerſalem, omnibus Truthmannis, ſive Amtruſtionibus, id eſt, Vaſallis & Viris fidelibus, præſertim Saxonibus noſtris, qui fidem Carolo M. jurabant, concedi & dari conſvetam; pag. 9.* Deinde prolixus eſt, ut oſtendat, *verbum Truthmanni germanice ſignificare fidelem virum:* de quo nemo dubitat. Tum *pag. 13.* pergit: *Et Saxones omnes fideles & Chriſtianam religionem profeſſos, ejusmodi chartam ingenuitatis a Carolo M. accepiſſe. Imo inter Saxones fideles & infideles manifeſtam fuiſſe diſtinctionem &c.* Inde *d. pag. 13. & ſeqq.* ipſe ſibi multa dubia in contrarium fingit, & multus in eo eſt, ut ad ea reſpondeat. Tum loca colligit, *quibus Saxones fideles & infideles diſtingvuntur;* (quod indubiun eſt, nec quicquam ad rem facit.) *Et pag. 16.* ad id, quod Truthmannus ille, Vir illuſtris dicatur, reſpondet: *Nomen proprium Comitis ibi omiſſum, & ſpacium in hujusmodi formulis ſuppleri per N. vel Ille & Ille:* Quibus ſubjungit *d. pag. 16. Fuit autem prope infinitus TALIUM Comitum numerus in antiqua*

noſtra Saxonia. Et cum Anonymum allegaſſet, qui dixit, *Carolum M. Saxoniam in plures Comitatus, Baronias & dominia diviſiſſe &c.* (quod nemo negat,) ita pergit *pag. 16. in fin. & pag. 17. Graviſſime igitur fallit & fallitur Clar. Dn. Coccejus, qui in Jur. publ. ita ſcribit pag. 182. Ipſa terra tota (Weſtphalia) a Carolo M. in IV. Comitatus, & totidem Epiſcopatus diviſa eſt. Ubi hoc quoque diploma Carolinum de Truthmanno Comite allegat; & putat, unico homini ſive Comiti datum fuiſſe. Quod contra fidem omnium Annalium & Scriptorum ejus ævi pugnat, qui, multos, imo prope infinitos Comites in antiqua Saxonia olim extitiſſe, uno ore contendunt ac teſtantur.*

Attexit *d. pag. 17.* hanc cauſam: *Quomodo enim vel unicus Comes Truthmannus omnibus cauſis, Presbyteris, Vicariis, & Scabinis ſufficere potuiſſet.*

Tum vero *d. pag. 17. & ſeqq.* paſſim, & per totum libellum prolixe memorat, *multos in Saxonia Duces, Principes, Satrapas, Comites fuiſſe, & per pagos jus dixiſſe:* atque in id (quaſi ulli hominum id unquam dubium fuerit,) longa ſerie Autores allegat, Cæſarem, Tacitum, (quibus tamen Saxonum nomen ne cognitum quidem fuit,) & illud Anonymi, *quot pagi, tot pene Duces*, aliosque quamplurimos. Quinimo *pag. 19. & 20.* & tantum non omnibus paginis contendit, *infinitos prope fuiſſe tales Comites & Truthmannos, ſeu fideles in Saxonia,*

nia, & conceſſum eſſe tale diploma ingenuitatis omnibus Truthmannis, ſeu fidelibus in Saxonia.

Et tum *pag. 21.* concludit: *Sequitur ergo, plures EJUSMODI Comites, ſive Truthmannos, & Antruſtiones, id eſt, fideles homines fuiſſe creatos, & per tabulas ingenuitatis a priſtina ſervitute manumiſſos, & Saxoniæ antiquæ populis præpoſitos.* Et iterum *pag. 22. Concludimus igitur, chartam illam ingenuitatis Truthmannianam eſſe generalem, non uni alicui Viro, ſive Comiti, Truthmanno, ſed omnibus fidelibus Saxonibus, id eſt, Truthmannis, præſertim primariæ nobilitatis, qui ſe in fidem Chriſti & Caroli M. tradiderant, conceſſam, & in villis Truthmannorum, id eſt, fidelium Saxonum, datam.* Item *pag. 23. Graviſſime*, ait, *errare eos, qui chartam iſtam pro ſpeciali accipiunt; utpote cum omnes fideles Saxones, præcipue Comites & Judices, ſimilem ingenuitatis paginam pro ſua ſecuritate & protectione Regia reciperent.*

Rurſus *pag. 27. Quamvis enim Saxones quidam poſtea rurſus rebellarint, certum tamen eſt, quamplurimos remanſiſſe fideles Saxones, ſive Truthmannos appellatos; iisque chartas ingenuitatis, quarum formulas memoravimus, a Carolo M. fuiſſe conceſſas.* Sed & poſt multa iterum *pag. 50. Omnes fideles Saxones, id eſt, Truthmannos, ſimilem ingenuitatis chartam ſeu diploma accepiſſe.* Et ſemper repetit, *tales Comites prope infinitos fuiſſe;* uti *pag. 52. Ex diviſione pagorum manifeſtum eſt, Weſtphaliam jam tum ante Carolum M. in va-*

rias, imo pene infinitas particulas fuiſſe diviſam ac fere diſcerptam: & iterum multos Autores, ac denuo illud: *Quot pagos, tot pene Duces:* affert. Item *pag. 53. Univerſam Saxoniam in Comitatus plurimos, ac prope infinitos diviſam, ac diſcerptam fuiſſe.* Item *pag. 54. Saxoniam noſtram antiquam non in IV. Comitatus, ut Cl. Dn. Coccejus loquitur; ſed in mille particulas & Comitatus minutos fuiſſe diſcerptam.* Et mox *d. pag. 54. Infinitum vero horum Comitum in univerſa Germania, & conſequenter in antiqua noſtra Saxonia, fuiſſe numerum,* teſtatur Celeb. Dn. Conring. (qui dixit, ſingulis vicis ſingulos Comites præfuiſſe.) Tum iterum addit *eadem pag. 54. Errat igitur graviſſime Clariſſ. Dn. Coccejus, dum ſcribit: Terram omnem Weſtphalicam in IV. Comitatus fuiſſe diſpertitam. Quod unde hauſerit, ego ſane divinare nequeo.* Et tamen Autor ibi allegatus eſt, cujus & ipſe libellus meminit; de quo deinceps. Tandem *d. pag. 54.* ait: *In exiguo diſtrictu, ubi monaſterium Corbeienſe fundatum, plures Comites fuiſſe;* allato edicto, ex quo colligitur, monaſterii res, ſive fundos, ſub pluribus Comitibus fuiſſe; ut ſolet, ex varia donatione Piorum. Et inde rurſus *pag. 55.* ita concludit: *Ex hoc diplomate colligimus, multos tum temporis in Saxonia Comitatus fuiſſe: non vero IV. duntaxat Comitatus, uti Clariſſ. Dn. Coccejus nullo teſte vel autore loquitur.* Ita ſcil. libellus cum umbris pugnat!

Refuta-

Refutatio.

Utrum Truthmanni nomen certi viri, an officii ſit, nulla mihi ſolicitudo eſt. Neque id definivi, ſed ad diploma ſimpliciter provocavi; falſumque eſt, me ſcripſiſſe, diploma Caroli M. uni tantum Viro & Comiti datum, cum multi fuerint. Nulla igitur ratio eſt, quod unus Comes non ſuffecerit omnibus cauſis, Presbyteris, Vicariis, & Scabinis &c. Nam, & plures fuiſſe dixi; & unum ſufficere non potuiſſe, gratis fingitur. Quis adeo rerum imperitus, qui neſciat, ſub uno Præfecto, ceu Capite, quot in re publica officia & miniſteria ſubjecta concurrant, onusque junctis tot humeris ſuſcipiant: & quanta vis ac facilitas ſit, res maximas & difficillimas gerendi, officiorum gradibus & ordinibus rite in republica diſpoſitis. Quæ omnia tamen a Præfecto primario, ut a Capite, & Autore, cujus auſpiciis & vice fiunt, agi intelliguntur; nihilque intereſt, per ſe, an per alios major poteſtas quid agat. *l. 1. princ. ff. Quod juſſ. & ſim.* Quod & diſerte indicat diploma ipſum, quo expreſſa mentio fit *Vicariorum & Scabinorum, quos Comes ille ſub ſe habuiſſe*, &, *ut officia ſua ſedulo peragant, diligenter inquirere debuiſſe*, expreſſe dicitur. Ita vero unus Auguſtus, unus Trajanus feliciſſime præfuit tribus fere orbis partibus, & toti

prope orbi cognito. Unus Rex ingentibus terris & regnis moderatur. Unus præſes vaſtiſſimæ provinciæ: unus univerſæ Syriæ, comprehenſa quoque Judæa, quin unus Comes toti Orienti: *Rubr. & t. 1. C. de Off. Com. Orient.* Unus Africæ: *Rubr. & t. t. C. de Off. Præf. Afric.* Unus omni Illyrico, *Rubr. & t. t. C. de Off. Præf. Orient. & Illyr.* quod XVII. provincias complectebatur: *Ruf. Feſt. in Breviar. hiſt. Rom. pag. m. 6.* Unus Dux maximo Ducatui &c. præfecti fuere. Hoccine ergo mirum videri poteſt annalium peritiam profeſſis? Et ſufficere viſus eſt oneri: nedum unus Weſtphaliæ, ſi ita placuiſſet. Et qui minus quam unus Comes geminæ Rhetiarum provinciæ par fuit, ſub eadem formula, ut patet exemplo, quod libellus quoque *pag. 25.* allegat, & exſtat in *lege Alamann.* 99. apud Goldaſt. *de Antiq. Alam. Part. 1.* in *Tom. 2. Rer. Alam. fol. 58.* & ita infit: *Cum reſederet Unfridus, Vir Inluſter, Retiarum Comes in curte ad Campos in mallo publico, ad univerſorum cauſas audiendas &c.* Sed & præterea plures in Weſtphalia Comites conſtitutos fuiſſe jam diximus.

At vero, quod infinitos fuiſſe in Saxonia tales Comites, fingit libellus, id in infinitum, & a vero & a quæſtione abit, omniaque confundit. Scilicet olim Comites, Grâven, dicti quoque fuere omnes judices, etiam inſimi,

infimi, in vicis, qui a populo aſſumti, per ſingulos vicos vel pagos jus dixerunt, de quibus agunt conglomerati iſti Autores, & inter quos ruſtici quoque fuere, Gräven, Zent-Gräven, Dorff-Gräven, ut hodie die Dorff-Schultzen; Idque ipſe libellus refert *pag. 56. Præfectos electione populi conſtitutos, & ex PLEBE Comites iis junctos.* Quin ex ſequentium quoque temporum inſtrumentis, quæ adhuc in Archivis exſtant, patet, cum vel vicus, ein Dorff, venditus eſt, ſolitum addi: de Gräveſchup und Gerichte aver dat Dorp, in latino, Comitiam: uti hodieque venditur, mit dem Bauern- oder Schultzen-Gerichte. Hos ſcilicet miſcet perpetuo libellus cum Comitibus Illis Illuſtribus, quos Carolus M. ſubactæ Weſtphaliæ dedit, ut nomine Regis & Regni jus dicerent: & ex quorum conſtitutione decidendum eſt, quod unice quæſivi, an provincia illa immediata fuerit?

Quæſtio igitur mihi fuit unice de Comitibus, quos Rex populo Saxonico dedit; non quos populus Saxonicus ſibi fecit. De illis, qui nomine regni; non qui iure ſui vici, pagi, municipii, jus dicunt. De illis, qui, ſubacta Weſtphalia, a Victore dati; non de illis, quos habuit, cum nemini ſubjecta eſſet. De ſtatu illorum, qui ſub Carolo M. fuere, non qui ſub Cæſare & Tacito. De Comitibus Illuſtribus; non ex plebe; quos libel-

lus memorat; De Comitibus intra fines Weſtphaliæ; non per totam Saxoniam. Ex prioribus ſolis de immedietate Provinciæ judicium fieri poteſt; reliqui nec ad eam quæſtionem, nec ad diploma Caroli M. quicquam faciunt.

De hoc igitur diplomate Caroli M. quo Truthmannum Comitem in Weſtphalia conſtituit, cum libellus hic agat, & de eo aſſerat, quod *tales* Comites & Truthmanni prope infiniti fuerint in Weſtphalia, & iis omnibus, quin omnibus Saxonibus fidelibus, tale diploma conceſſum, idque non niſi formula quædam generalis fuerit, quo omnibus Saxonibus, qui ob rebellionem in ſervitutem redacti fuerant, & deinde ſe in fidem Caroli M. dederant, inde liberati & manumiſſi, atque in id iis omnibus tale diploma ingenuitatis, ut loquitur, datum fuerit, e re omnino eſt, oſtendere, quanta & quam ſtupenda hæc videatur rerum ac nominum confuſio!

Equidem an diploma hoc eadem formula ſit pluribus Comitibus datum, litem meam non facio; neque, ut dictum, id definivi, ſed verba diplomatis ſaltem retuli. Neque tamen id probant ea, quæ Libellus affert. Etſi enim Truthmannus ſit vox Germanica, & fidelem virum ſignificet; etiam nomina German, Friedrich, Gottlieb, Gottfried, & innumera alia ſunt ejusmodi, quæ tamen fiunt quoque

quoque certorum virorum propria. Et cum de Truthmanno Carolus M. adjunxerit nomen officii, & dixerit, *ſe eum Comitem ordinare;* ſi utrumque eſſet officii nomen, & omnes fideles Truthmanni, & omnes Truthmanni tales Comites eſſent, ut vult Libellus, quid Carolus M. his verbis: *Truthmannum Comitem ordino:* aliud diceret, quam *Truthmannum Truthmannum* ordino. Certe in meris formulis generalibus tempus & locus addi non ſolent aut poſſunt, quia non ſimul, ſed alio atque alio tempore, nec ſemper in villa ejus, cui conceditur, ſed plerumque in Curia Regis diplomata dari ſolent; & ex formulis Marculphi patet, tempus & locum addi non ſolere; ſed pro eo, *actum tempore illo, loco illo &c.* aut plane omitti. Sed & ipſe Libellus fatetur, in formulis generalibus ſpacium nominis proprii expleri ſolere per *lit. N.* vel per verba: *Ille vel Ille.* Nihil autem hujus occurrit in iſto diplomate. Verum, ut dictum, eam litem meam eſſe nolo.

Eſto igitur, per me licet, diploma ejusdem formulæ aliis quoque Comitibus regni conceſſum fuiſſe; at vero id ab omni ratione, ſenſu & veritate fugit quam longiſſime, quod ejusmodi Comites in Weſtphalia prope infiniti; quod tale diploma omnibus Saxonibus deditis & baptizatis datum; quod id fuerit diploma manumiſſionis, quo Saxones,

nes, armis in ſervitutem redacti, libertati reſtituti fuere &c. Idque ni fallor, evidentiſſimum fiet.

Etenim hic Truthmannus ab ipſo Imperatore dicitur *Vir Illuſtris:* Illuſtrium autem ſumma omnium dignitas, cum jure Romano, tum legibus Regni fuit. *Nov. 23. c. 4. L. fin. C. ubi Senat. vel Clariſſ.* Vid. *Briſſon. de Verb. Sign. Verb. Illuſtris.* & ſummus omnium gradus vel ordo *Illuſtratus* appellatur. *L. 13. §. 8. C. de Judic.* Quomodo in Spec. Saxon. quoque Illuſtrium nomine ſoli Principes veniunt; & perpetuo ejus uſu, qui in Germanico vocantur Fürſten, quaſi Fürderſten, in latino dicuntur Illuſtres: ut ex inſpectione paſſim conſtat.

Sed & Comes ille Truthmannus dicitur ab Imperatore NOSTER Comes: cui ipſe perficienda præſcripſit. En verba! *Tandem idem Comes omnia ſibi ſingulariter a NOBIS præſcripta perficiat; & ita memoratus NOSTER Comes Truthmannus bene ingenuus exiſtat.* Quemadmodum hodie dici ſolet: Unſer und des H. Reichs Graff ꝛc.

Omnium maxime vero notanda hallucinatio in explicatione vocis *Ingenui;* qua putat libellus intelligi eos, qui ex ſervitute in libertatem reſtituti, atque ita manumiſſi fuere; quos tamen non ingenuos, ſed libertinos dici, ex primis juris rudimentis patet. Scilicet

licet huic Illuſtri Diplomati nullum negocium eſt cum ſervitute ſingulorum & horum manumiſſione; nihil cum plebe hominum privatorum, ſervorum aut liberorum. Aliud & longe eminentius eſt Jus illud *ingenuitatis*, de quo Carolus M. ibi agit.

Demonſtratum ſcilicet eſt in *Jure publ. cap. 15. Sect. 1.* Officia Regni olim accurate diſtincta fuiſſe a Miniſteriis Regni; nec in Regno ipſo tantum, ſed & in Regni Ducatibus: & qui Miniſteria Regni vel Ducatus geſſere, atque ideo terras accepere, dictos fuiſſe Miniſteriales, famulos, Dienſtleute, Knechte, etſi & illi nobiles eſſent, Edle Knechte; imo quidam hohe Dienſtmann. Qui autem Officiis Regni vel Ducatus præficiebantur, appellatos fuiſſe Freie Herren, liberos Barones, liberos Dominos, item Freie, vel Herren, liberos ſeu ingenuos, vel Dominos ſimpliciter; & auctis deinde dignitatum & officiorum gradibus, quosdam, hohe Freien. Neque vero ad hæc officia admitti poterant, qui miniſteriis Regni vel Ducatus adſtricti erant, niſi ab hoc vinculo ſoluti eſſent. Qua in re me remitto ad *d. cap. 15. Sect. 3.* & ad doctiſſimos Viros, qui deinceps editis tractatibus eruditis, eam rem præclare illuſtrarunt. Unde frequens illud: Schöppenbar-frey; Sendbar-frey &c. quod ignoratione originis & veteris pronunciationis, mutarunt in Semper-frey.

Hi

Hi ergo fuere liberi illi, Freie Herren, ſeu ingenui, id eſt, εὐγενεῖς, vel, ut hodie loquimur, Wolgebohrne. Nam & hodie in Cancellaria Imperii, cum Diplomata Baronatus & aliarum hujusmodi Illuſtrium dignitatum expediuntur, titulus Wolgebohren ſpecialiter conceditur. Unde & intelligitur, quod alias nimis mirum videtur, quod du Freſne in Gloſſario ſuo ait, Principibus olim datum fuiſſe nomen Ingenui, id eſt, Wolgebohrne. Nam & mos iſte duravit in literis Pontificum ad Reges datis, cum inſcriptione: *Illuſtri Regi*; cum ad reliquos Principes ſcripſerint, *Nobili Viro*; uti paſſim in Jure Can. adhuc occurrit. Atque hoc ſenſu igitur in laudato Diplomate Caroli M. titulus Illuſtris & Ingenui recte comparantur.

Quo ipſo quoque præclare concipitur, quid Carolus M. intellexerit per *chartam ingenuitatis*, uti Diploma illud nominat; ſcilicet non Diploma manumiſſionis & libertinitatis; ſed Diploma Comitivæ Imperialis, über einer Reichs-Grafen Standſchafft; ſeu über einer Reichs-Stands Erhöhung. Quin & illud non negligendum, quod Carolus M. ibi loquitur cum aliquo augmento dignitatis, *Bene ingenuus exiſtat*, quaſi nunc diceremus, Hochwohlgebohrner: addita ſecuritate regni, ut hujusmodi Comites regni immediate intelligantur eſſe in des H. Reichs Schutz.

Utrum

Utrum autem hic Truthmannus fuerit unus ex paucis iſtis Comitibus regni, quos Carolus M. initio præfecit Weſtphaliæ, an præter eos alius, forte ſuperior, nihil curo.

Apage igitur fabulas iſtas; Tales Comites regni illuſtres fuiſſe prope infinitos in Weſtphalia, quin hoc Diploma fuiſſe tantum formulam generalem, quæ omnibus Saxonibus, Chriſti ſacra profesſis, & Carolo M. deditis data fuerit; & per illud eos omnes, ante ob rebellionem ſervos, deinde manumiſſos, & libertati redditos fuiſſe. Si ergo reliqui omnes ſervi manſere, quinam ergo fuere omnes iſti Vicarii & Scabini, quos ſub ſe habuerunt Comites Illi prope infiniti, ut Carolus M. ait: Et quinam ergo fuere infinitorum horum Comitum ſubditi, ſi omnes iſti baptizati & fideles fuerint ex hac formula generali tales Comites; reliqui vero omnes manſerint ſervi, ut bello capti, & non manumiſſi? Sed mitto abyſſos, in quas hæc ſententia immergitur; & ſcopulos, in quos impingitur.

CAP. VII.

Ubi iterum de libertate Weſtphaliæ, & quam falſo mihi affingit, vaneque adeo impugnat, ſententia.

Tracta-

Tractatio libelli de Vindic. libertat. Saxon. pag. 28. & ſeqq.

Fallunt quoque & falluntur Viri alias doctisſimi, atque ad Illuſtres dignitates evecti, Rhetius & Coccejus, qui poſt A. C. 803. totam Saxoniam, inprimis Weſtphaliam in ſervitutem redactam, & in provinciæ formam commutatam, contra omnium ſcriptorum atque annalium, nec non documentorum fidem & rei veritatem, quam plurimis argumentis, ſane ficulneis & leviſſimis contendunt. Neſcio, qua invidia & livore adverſus inclytam Nationem Weſtphalicam in transverſum acti. Cum ex hac charta ingenuitatis Carolina clariſſime conſtet & appareat, jam tum ab anno 777. quamplurimos Saxones fideles ſive Truthmannos, in fidem Regis ac Civitatem Francorum fuiſſe receptos. Quicquid obſtrepant Oſores libertatis Saxonicæ antiquæ ſive Weſtphalicæ!

Deinde vero *eadem pag. 28.* ipſe ait: *Fatendum ſane, Saxones rebelles ſub initium belli Saxonici, & præſertim ann. 777. a Carolo M. ſubjugatos, & in ſervitutem plenariam fuiſſe redactos, per ſup. alleg. ex Scriptoribus & annalibus coævis, & indubitatis documentis; ſed Saxones fideles, id eſt, Truthmannos univerſos, libertati ſive ingenuitati priſtinæ poſt pacificationem &c. per ejusmodi inſtrumenta ſive chartas ingenuitatis generales & ſpeciales fuiſſe reſtitutos.*

Porro *pag. 38.* ſcribit: *Quamvis vero promiſcua plebs Saxoniæ & Weſtphaliæ noſtræ ita a Carolo M.*

lo M. in ordinem & ſervitutem redacta fuerit; exinde non conſequitur, integram Rempublicam Saxonicam, vel Optimates in ſervitutem univerſalem eſſe redactos. &c.

Item *pag. 38. in fin. & pag. 40.* ait: *Non obſtare, quod Saxonia in formam provinciæ redacta fuerit. Nam illud non ſtatim inducit formalem, & veram ac perfectam ſervitutem.* Deinde diſtingvit *d. pag. 40.* ſervitutem in perfectam & imperfectam, & ait: *Diffitendum quidem non eſt, populos in provinciæ formam redactos, ſubire ſervitutem quandam ſeu ſubjectionem civilem; ideoque jus civitatis priſtinæ amittere.*

Tum reſpondet: *Subjectionem illam civilem ſaltem imperfectam & minus veram ac plenam ſervitutem dici poſſe: niſi omnes populos in univerſo terrarum orbe ſervos facere velimus.* Et mox *pag. 41. Si igitur Saxones noſtri ſervi veri & perfecti dicendi forent, quod Francorum Imperio ſubjecti fuerint; omnes omnino Germaniæ & Galliæ populi ſervi appellandi forent. Quod eſt abſurdum &c.*

Tum in utrumque pergit *d. pag. 41. Abſurda igitur, inepta, & futilia ſunt argumenta, quæ Autores quidam non minimi ſubſellii contra libertatem Saxonum, & præſertim Weſtphalorum, in univerſum proferunt. Adeo, ut mirari ſubeat, Viros adeo doctos & præclaros, qualis eſt Illuſtris Dn. Rhetius, & Celeberr. Dn. Coccejus, in re tam manifeſta & clara adeo cæcutire atque hallucinari*

potuiſſe. Et porro in omnes JCtos ita: *Verum, ut, quod res eſt, dicam, JCti illi noſtri, & Doctores Juris Civilis Romani alienis ſemper oculis hæc monumenta antiqua inſpiciunt, & indignum ſua majeſtate & dignitate arbitrantur, ejusmodi Autores barbaros, & ſemiroſas chartas, ac rancida diplomata propriis oculis intueri, evolvere, & multa cura verum & rectum ſenſum indagare. Inde eſt, quod in errores tam craſſos & deliros perſæpe labantur. Quantis vero erroribus Doctores Juris Civilis ob eam cauſam obnoxii ſint, docet Nos proprio exemplo Illuſtris Dn. Rhetius, dum ſcribit, &c.* Inde in B. Virum involat, quod ſcripſerit, non poſſe probari, Carolum M. decimas in Saxonia ſolis Eccleſiaſticis conſecraſſe; ubi ita exclamat *pag. 42. Si vel unica inſpexiſſet monumenta Paderbornenſia;* Et mox adducto uno alterove capitulo: *Si vel has Capitulationes fugitivo oculo inſpexiſſet, tam turpiter non impegiſſet.*

Tum iterum *pag. 43.* in omnes JCtos ita: *Sed quicquid ſit, illud manifeſtum eſt, JCtos noſtros etiam graviſſimos atque doctiſſimos, & Doctores Juris Civilis Romani ob ignorantiam hiſtoriarum patriarum, & neglectum inſpectionis propriæ antiquorum documentorum, & Scriptorum coævorum, in ejusmodi rebus graviſſime ſæpe labi & peccare; & pueris ipſis ridendos & pudendos errores committere. Quod in eorum contumeliam minime dictum volo; ſed ut adoleſcentes noſtros, qui veram doctrina-*

doctrinarum viam ſectantur, meo exemplo accendam & admoneam, ne alienis oculis nimium confidant.

Inde convertit ſtylum in me, & *d. pag. 43.* ait: *Celeberr. Dn. Coccejus, P. P. & emeritus in Acad. Francof. aliam prorſus viam ingreditur. Et quidem concedit, Saxones ſuperiores a Carolo M. in libertatem priſtinam fuiſſe reſtitutos; Weſtphalos vero facto ipſo inde fuiſſe exceptos. Hujus contrarium,* pergit, *omnia antiqua documenta ad oculum oſtendere.* Deinde *d. pag. 43. 44. & 45.* textum noſtrum ex *Jur. publ. cap. 3. §. 37. & cap. 9. §. 11.* integrum exhibet; & inter alia, quæ mitto, *pag. 44.* inquit: *Ex quibus Scriptoribus authenticis hæc hauſerit, mihi non conſtat.* Dixi, quod Saxonia tota reſtituta fuerit autonomiæ ſuæ, & ita mediatam fuiſſe provinciam, *per tradita paſſim ſupr. Auton. J. G.* Weſtphaliam vero mox facto ipſo inde fuiſſe exceptam. Hic rogat, *unde hoc hauſerim?* ſcilicet Weſtphaliæ ſtatus eſſe immediatos: (nam nihil aliud volo.) Hujus rei Autores addidi *d. c. 9.* quos & ipſe libellus exhibet. Quin ea hodieque facies Weſtphaliæ eſt, quod Status ejus ſint immediati: Hoc ubique etiam declamat ipſe libellus; quin de tota ait, eſſe immediatam provinciam. Et tamen exclamat: *Eſſe pueris ridendos & pudendos errores; omnes Scriptores antiquos contrarium ad oculum oſtendere.*

Et ita *d. pag. 44.* pergit: *Quod vero Weſt-*

phalia tempore Caroli M. immediata Regni Francici provincia fuerit, inde deducit Clariſſ. Dn. Coccejus, tam multos reperiri in ea ſervilis conditionis homines. Falſiſſimum eſt, inde id a me deduci, qua nulla eſſet abſurdior ratio, quod immediata ſubjectio alicujus populi ſupremo alterius populi imperio facta, ſervitutem veram, perfectam, formalem atque univerſalem totius populi involveret; id quod ſupra ipſi ex Grotio refutavimus.

Tum *pag. 45.* hæc ſubjicit: *Deinde poſt multa æque abſona argumenta tandem concludit* §. *13. Weſtphaliam facto ipſo reſervatam fuiſſe regno, ejusque immediatam eſſe provinciam.* Et *ead. pag.* ita reſpondet; & ſemper autore Grotio: *Verum enim vero vim conſequentiæ nullatenus video: Weſtphalia immediate Regno Francico ſubjecta eſt a Carolo M. & in provinciæ formam redacta. Ergo Weſtphali omnes in univerſum, in veram, perfectam & formalem ſervitutem fuerunt redacti.* Vel: *Weſtphalia univerſa in veram & omnimodam ſervitutem fuit detruſa a Carolo M. &c.* Et iterum *ead. pag. 45.* ait, *non ſequi; Omnes provinciæ tam Germanorum, quam Gallorum immediate ſubjectæ erant regno Francorum ſub Carolo M. Ergo omnes in univerſum populi in regno Francorum fuerunt ſervilis conditionis.* Imo, pergit, *pag. 46. Weſtphalia immediate non tantum regno Francorum; ſed quoad decimas & primitias frugum Sacerdotibus ſubjecta fuit.* Et iterum *pag. 47. Ex quibus omnibus*

bus manifeſte apparet, univerſam Saxoniam quoad decimas ſaltem & oblationes fidelium, Sacerdotibus immediate fuiſſe ſubjectam. An vero exinde ſervitus univerſalis, & vera ac perfecta Weſtphalorum poſſit extundi, judicent periti. &c.

Ejus refutatio.

Si nomen meum non eſſet cum omni qualitate ſua ſtatim in ipſo frontiſpicio libelli, majuſculis etiam literis, & deinde expreſſe ubique additum, non potuiſſem perſvaderi, hæc in me ſcripta fuiſſe; adeo ea nunquam dixi, nunquam ſenſi. Neque ullum hujus rei veſtigium in toto contextu noſtro, qui libello ipſi inſertus eſt, apparet. Nihil igitur ad me pertinet, niſi convitia, quæ evomit libellus. Res non ad me magis, quam ad fabulares in orbe lunari incolas. Nec lis mecum magis, quam cum illis, Weſtphaliam, nedum a Carolo M. poſt pacem, in univerſalem, veram, perfectam, & formalem ſervitutem redactam fuiſſe. Hoc libellus ipſemet fingit; & quod fingit, idem impugnat cum imaginaria invidia, & livore adverſus inclytam Nationem Weſtphalicam. Ipſum ergo libellum, & quos jactat funditque errores, ſecum & cum convitiis ſuis committo. Pugnet cum umbris, ut Æneas ad cymbam Charontis, ad ſatietatem. Dimica-

micatio omnis eſt cum Lemuribus. Ego ſine affectu reliqua perſequar.

Fallere me & falli, ait, *qui totam Saxoniam, inprimis Weſtphaliam, in ſervitutem redactam, & in provinciæ formam commutatam, contra omnium fidem, quamplurimis argumentis ſane ficulneis &c. contendo.* Saxoniam utramque in provinciæ formam redactam, ipſe libellus toties quoties urget. Et hoc ergo quoque in ſe telum? *Utramque vero, & præſertim Weſtphaliam, in ſervitutem redactam eſſe*, quod dixiſſe me, ait, nec verum eſt, quin nec ſanum, nec ſobrium videtur. De ſervitute mera, ut dixi, fabula eſt. Reliqua plane aberrant a meta. Nec libellus ſibi conſtat, & nec mentem ſenſit, nec ictum. Ipſe utramque Saxoniam aſſerit eſſe liberam & immediatam. Ego aliter ſentio, ac ipſe aſſerit, & aliter, ac ipſe, me ſentire fingit; falſumque omnino eſt, me unquam ſcripſiſſe, ſolam Saxoniam ſuperiorem libertati a Carolo M. reſtitutam fuiſſe. Dixi, iterumque dico, Omni Saxoniæ libertatem pace redditam, & ob hoc ipſum illam plane liberam fuiſſe, quia mediata, id eſt, ipſi autonomia cum omnibus partibus ſuis reſtituta fuit. *Vid. Auton. J.G. c.22. § 5. & 27.* At Weſtphaliæ forma non prædicta pace, ſed inſtitutis demum in ea a Carolo M. Judiciis ac magiſtratibus Regiis ſeu regni, aliquatenus, & ſcilicet eo ſaltem deinde immutata fuit, quod Judi-

Judicia & magiſtratus a Rege Victore acceperit, eoque autocratia ipſi integra relicta non fuerit. E contrario ergo, cum autonomia cum reliquis juribus ſuis in ea non appareat alterata, ſequitur, eam hactenus mediatam ac liberam permanſiſſe. Et hæc hodieque ejus eſt conditio, & hactenus a Saxoniæ rationibus etiamnum diſſidet; ut *Auton. J. G.* oſtendi, & infra oſtendam.

Non capit igitur libellus, quod pace Clar. Autoris dicendum eſt, primo diſcrimen provinciæ mediatæ & immediatæ: Nam Weſtphaliæ plenariam libertatem vindicare ſe putat, cum mordicus contendit, eam eſſe immediatam; ignarus, plus libertatis originariæ reſidere in ſtatu mediato, quippe cui cohæret autonomia. Unde conſtat, me magis adſtruere libertatem Weſtphaliæ, quam libellum.

Non capit quoque libellus diſcrimen immediatarum civitatum, quarum immedietas ex duplici cauſa eſſe poteſt: & vel ex cauſa libertatis, vel ex cauſa ſervitutis. Quæ differentia in eo ſaltem conſiſtit, quod illæ ſuo jure vivant; hæ alieno; ſine ulla tamen imminutione vel delibatione ſervitutis perſonarum, cum qua nihil illa commune habet. Prioris exemplum fuit olim in Francia; alterius in Suevia.

Sed nec vim formulæ perſpectam habere vide-

videtur, cum *in Provinciæ formam terra redacta* dicitur. Etenim, utramque Saxoniam immediatam, æque ac Franciam ipſam, & utrumque eundem populum fuiſſe, dicit. Verum ejusdem populi membra ac civitates alio atque alio jure eſſe poſſunt. Saxonia enim a Regibus Franciæ armis domita, & in formam provinciæ effícta fuit. At iſti Francorum Reges Franciam ſuam, Regni ſedem, in provinciæ figuram redegiſſe dici non poſſunt; quia eam non ſubjugarunt armis; ſed contra ejus auſpiciis alias provincias. Utraque tamen, & Francia & univerſa Saxonia, proprio jure utitur, ſed ex alia atque alia cauſa; illa ex cauſa libertatis, quia apud ipſos jus regni, idque jus Francorum fuit; hæc ex ſpeciali beneficio Victoris, qui autonomiam victis reddidit.

Iterum vero iterumque notandum eſt, quam hodie imminutum ſit illud diſcrimen terræ mediatæ & immediatæ, ex quo diviſæ provinciæ, & Principibus primum, deinde omnibus ſenſim Statibus Imperii, autonomia quæſita fuit, ut ipſi quidem nunc immediati, ſubditi vero ipſorum pro mediatis habendi ſint. Adeo, ut hodie veſtigia hujus diſcriminis in eo fere tantum remanſerint, quod in terris immediatis non ſoli Principes, ut in mediatis, ſed & Comites, Barones, Civitates, quin & Nobiles, ac Judicia

dicia regni ſint immediata, & iſti Comites, Barones, ac Civitates peculiarem in Comitiis Curiam & ſedem habeant, ſcilicet die Schwäbiſche, Fränckiſche, Rheiniſche, und Weſtphäliſche Banck: qualem mediatæ non habent, (nec enim datur ibi eine Sächſiſche oder Baierſche Banck,) niſi quidam ſpecialiter exemti ſint; qui tamen tum non propriam ſedem vel Curiam accepere, ſed in Curiis terræ immediatæ ſedent. Et hujus rei cauſam ab incunabulis ſuis inveſtigare volui.

Unde & hoc maxime notari velim; etſi olim & ab origine ſua melior viſa fuerit conditio mediatarum, quia illæ ſolæ beneficio autonomiæ uſæ ſunt; hodie tamen ob prædictas mutationes factum fuiſſe, ut immediatorum conditio non ſit inferior, autonomia omnibus immediatis quoque indulta; quin videtur quodammodo nunc benignior, quia ſoli Imperio, in mediatis autem Comites, Barones, Civitates ac Nobiles, ſuo quoque Principi, der hohen Lands-Obrigkeit, atque ita geminæ poteſtati, parent.

Quod porro libellus ait, *Saxones ſub initium belli, & anno 777. in ſervitutem plenariam fuiſſe redactos*, id mihi non videtur, nec ex allegationibus probatur. Quare denuo libertatem Weſtphaliæ plenius, quam libellus, aſſero. Innumeros iſtos Truthmannulos per dictam formulam chartæ ingenuitatis, in

libertatem reſtitutos fuiſſe, refutatum jam eſt. Commentum quoque libelli eſt, quod diſtingvit inter plebem Weſtphaliæ, & Optimates, quaſi non hi, ſed ſola plebs in ſervitutem redacta fuerit: quod nec probatur, nec credi poteſt.

Porro nec id concedi poteſt, quod libellus inquit, *in provinciæ formam redactos jus priſtinæ civitatis ideo amittere.* Cum enim populus alteri ſubjicitur, duplex oritur ſpecies & relatio civitatis: Altera univerſalis totius regni, omniumque ejus partium; altera particularis cujusque civitatis alteri ſubjectæ; quæ formam & jus civitatis retinet, ſed non ſummæ, verum ſubordinatæ: uti ſub Imperio Romano Carthaginenſes, Hiſpani, Galli, Græci, jus civitatis ſuæ non amiſerunt, ſed ſummam poteſtatem. Civitas manet, ſed non ſui juris civitas. Forma plenæ libertatis deſiit, non civitatis, quæ & alteri ſubjecta eſſe poteſt; niſi id quoque jus ipſis ablatum fuerit, uti Capuæ in pœnam perfidiæ & defectionis ad Annibalem. *Liv. lib. 25. c. 16.* Sed nec ſubjectione acquiritur novum jus civitatis, ut innuit libellus, niſi ſpecialiter id conceſſum fuerit. Neque populi a Romanis victi, cives Romani fuerunt, niſi beneficio Victorum in id jus recepti eſſent; uti primus id omnibus conceſſit Antoninus *in l. 17. π. de Stat. hom.* Victoria jus victoribus quæritur,

ritur, non victis; qui jugum recipiunt, & peculiare vinculum, quo obligantur legibus ſuperioris; beneficium non capiunt. Etſi vero victi & ſubjugati peculiare illud jus civitatis, quod Civium Romanorum proprium fuit, non quæſiverint; verum tamen eſt, eos participaſſe de jure communi Imperii Romani, cujus pars erant: quanquam id non tam jus ſit certæ civitatis, quam jus Gentium, quod civibus & peregrinis commune eſt. Populi igitur aliis ſubjecti retinent jus civitatis priſtinæ, etſi imminutum; novam vero civitatem non acquirunt, ſed novæ ſubjiciuntur; niſi pace aliud actum fuerit.

Falſa præterea ſunt, quæ libellus *pag. 44.* affert; Nec dixi, Weſtphaliam ab initio immediatam fuiſſe, nec, eam plane poſtea deſiiſſe eſſe mediatam ſeu liberam. Falſum quoque eſt, quod *d. pag. 44.* fingit, me copiam ſervorum in Weſtphalia inde deduxiſſe, quod fuerit immediata; Falſum, quod inde, quia in Provinciæ formam redacta. Falſum eſt, me quicquam hujus deduxiſſe ſeu intuliſſe. Factum retuli ex vetuſto autore, *Chron. Mind. apud Meibom. tom. I. fol. 556.* Is eandem mecum cauſam addit, non quod Weſtphalia immediata, non quod Provincia fuerit, ſed quod trans Weſeram migrare juſſis, & coloniis inductis, eos, qui non parue-

paruerunt, ſervos fecerit: ubi addit: Et hæc eſt cauſa tot ſervorum in iſta regione. Hoc ego ex eo retuli; nihil intuli, nec deduxi. Hæc autem toto cœlo differunt; & aliud eſt, incertum ex certo deducere vel inferre; aliud contra, facti, quod certum eſt, cauſam dare, quæ forte latere poteſt. Copiam ſervorum teſtantur omnes, & fatetur libellus ipſe multoties: id ergo deducendum mihi non fuit; ſed cauſa quærenda.

Ulterius *pag. 45.* conſequentias aliquot Libellus affert, & rejicit, autore Grotio; quaſi Patrono opus ſit in refutanda re, quam nemo aſſerit. Veriſſime aſſerit, conſequentias iſtas plane futiles eſſe; ſed & ipſe libellus ſolus eas nectit. Weſtphaliam in univerſalem, veram, formalem & perfectam, ut ubique loquitur, ſervitutem a Carolo M. redactam fuiſſe, nemo dixit: id ex eo ſequi, quod Weſtphalia ſit immediata & provincia; nemo ſanus & ſobrius exiſtimare potuit, etſi Grotium nunquam evolverit.

Id vero quis dixit vel audivit, quod *pag. 45.* libellus ait: *Omnes provincias tam Germanorum, quam Gallorum immediate ſubjectas fuiſſe regno Francorum ſub Carolo M.* Adeo diſcrimen hoc non aſſequitur: nec quid per immediatas intelligat, aut quid a mediatis illæ differant, ullibi meminit. Abunde exiſtimo, me rem illuſtratam & explicatam dediſſe

in

in *Autonom. Jur. Gent. cap. 13. 14. 15. & 16.* Alia ſcilicet differentia, quæ huc faciat, inter civitates alteri regno vel Regi ſubjectas, nulla apparet, quam quod illæ legibus regni & magiſtratibus a Rege conſtitutis parere adſtrictæ ſint; at quædam tamen ſuo iure & proprio magiſtratu utantur. His ergo, etſi alii regno quoque ſubjecti ſint, iſta tamen libertas indulta eſt, ut ſuis legibus & ſub ſuis magiſtratibus vivere liceat. Unde cum proprius ille magiſtratus, propriumve jus alteri ſuperiori ſubordinata ſint, neceſſario conſequens, populos ejusmodi, qui immediate proprio magiſtratui, propriove juri ſubjecti ſunt, regno & Regi, ejusque legibus non niſi mediate parere. Quemadmodum igitur morem hunc ab omni memoria & ubique inter Gentes receptum fuiſſe, demonſtratum eſt, ut quibusdam populis, etſi alteri regno ſubjugatis, permiſſum ita fuerit, ſuo jure & magiſtratu uti, quod nomine autonomias pervagatiſſimum eſt, & proinde non niſi mediate regno ſubjecti fuerint; ita inprimis ſub Carolo M. Rege & Victore omnium Clementiſſimo, non quibusdam, ſed plerisque illa libertas indulta eſt, ut ſuo jure & magiſtratu uti liceat; qui proinde omnes non immediate regno ſubjecti, ſed mediati fuere. Idque præcipue de Saxonia conſtat, etiam ex antiquo Poeta, quem ipſe libellus quoque

quoque eam in rem *pag. 33. & 44.* allegavit, ita canentem:

Permiſſi legibus uti
Saxones patriis & libertatis honore.

Hoc autem ſignificat mediate regno parere, non immediate. Quod ita jam in *Auton. J. G.* demonſtratum eſt, ut ei adhuc immorari ineptiſſimum videri poſſet.

Mirum denique quam maxime eſt, quod libellus & *pag. 46. & 47. & alibi* dicit, Saxoniam immediate Carolo M. &, quoad decimas, Sacerdotibus ſubjectam fuiſſe. Enimvero Decimarum præſtatio nullam infert ſubjectionem; quas ipſum Carolum M. quoque iis ſolviſſe, allegat libellus *pag. 42. ex Cap. Car. 15.* Si vero Sacerdotibus immediate ſubjecta fuit, utique Regi non niſi mediate. Neque diſcrimen hoc ad decimas, quæ & privatis deberi poſſunt, ſed ad Imperii rationes pertinet. Quid vero huc faciat, ex eo, quod decimæ immediate debeantur Sacerdotibus, non poſſe extundi veram ſervitutem, ſane non intelligo. Sed tædet harum rerum.

CAP. VIII.

De 4. Epiſcopatibus & Comitatibus Veteris Weſtphaliæ; ubi notatur in libello confuſio Epiſcopatuum Saxonicorum & Slavicorum.

Tracta-

Tractatio libelli, ex Vindic. libert. pag. 49. & ſeqq.

Cum multa de Decimis ſcripſiſſet, quæ nihil ad rem, ita pag. 49. continuat: *Verum, ut ad propoſitum noſtrum revertamur, bini adhuc errores graviſſimi & minime ferendi Clariſſ. Dn. Cocceji adhuc detegendi, & notandi ſunt. Nempe aſſerit ſane confidenter, univerſam Weſtphaliam in IV. Comitatus, & IV. Epiſcopatus, finito bello Saxonico, eſſe diviſam. Hæc*, pergit, *omnia omnibus ejus ævi monumentis & Scriptoribus coævis adverſantur.* Et tamen in continenti addit: *De numero Epiſcopatuum, quos Carolus M. fundavit, non conſtare inter veteres, ſed mire eos variare: alios octo, alios 10. alios 7. alios nullum Epiſcopatum ab ipſo fundatum ſtatuere.* Atque hæc ſunt monumenta coæva, quibus adverſari me ait. De hoc diſſenſu Autorum cum multa cumulaſſet, rurſus *pag. 52.* ita: *Verum, ut in viam, unde paululum divertimus, revertamur, alter adhuc error Clariſſ. Dn. Cocceji refellendus eſt; dum absque teſte & autore coævo ſcribere non veretur, Weſtphaliam in IV. Comitatus, & totidem Epiſcopatus fuiſſe diviſam, adeoque non propria poteſtate utentem.* Et tum relabitur ad infinitos prope Comitatus Weſtphaliæ, & Truthmannulos ſuos; & *d. pag. 52. ex pagorum diviſione manifeſtum eſſe*, ait, *eam jam tum*

tum ante Carolum M. in varias, imo pene infinitas particulas diſcerptam. Et *pag. 53. Saxoniam non in IV. duntaxat Comitatus, ſed in plurimos, ac prope infinitos diviſam.* Item *pag. 54. Saxoniam antiquam non in IV. Comitatus, uti Cl. Dn. Coccejus loquitur, ſed in mille particulas, & Comitatus minutos fuiſſe diſcerptam.* Tum infert *d. pag. 54. Errat igitur graviſſime Clariſſ. Dn. Coccejus, dum ſcribit: Weſtphaliam in IV. Comitatus fuiſſe diſpertitam.* Et *pag. 55.* ex diplomate aliquo: *Multos tum temporis in Saxonia noſtra Comites fuiſſe, non vero IV. duntaxat Comitatus, uti Clariſſ. Dn. Coccejus loquitur, nullo teſte vel autore.* Denique *pag. 56.* repetit: *Omnes fideles Saxones, id eſt, Truthmannos, ſimilem ingenuitatis chartam, (uti fuit diploma Caroli M.) accepiſſe:* idque inde probat; *quod in antiquis monumentis diſtinctio appareat inter fideles & infideles Saxones;* &, quaſi diſcrimen hoc ulli hominum ambiguum, aut ignotum, aut ad rem faciens, aut Saxonibus proprium, & non toti terrarum orbi commune ſit, addit: *Ejus rei exemplum memoriale extat in diplomate Caroli M. vetuſtiſſimo, ubi manifeſta & apperta diſtinctio inter fideles, id eſt, Truthmannos, & infideles Saxones.* Tum integrum diploma ſubjicit. Tanti ſcil. id ſcire refert! Huc usque vero tantum mihi oblatus & inſpectus eſt libelius.

Reſpon-

Reſponſiones.

I.

Multoties repetit, me nullo teſte & autore id dixiſſe, & nec ſcire ſe, aut divinare poſſe, unde id hauſerim. Atqui expreſſe, & bis quidem, ſcilicet *d. cap. 9. §. 15.* & jam ante, *cap. 3. §. 28.* addidi autorem, quem & ipſe allegat, Wolteri ſcilicet Chronicon Bremenſe, quem edidit Meibomius *Rer. Germ. tom. 2. fol. 19.* ubi ſtatim in initio hæc verba leguntur: *Idem Karolus Freſonibus* (ita enim tum dicti quoque ſunt Weſtphali; *vid. Jur. publ. cap. 3. §. 28.* cum & præpotens illud regnum Friſiæ ad Viſurgim usque extenſum dicatur, quod Radbodo a Carolo Martello & Pipino victo, haut pridem tum diſſolutum fuerat,) *IV. præfecit Epiſcopos & IV. Comites*, quos & ſingulos nominat. Atque hoc Chronicon manuſcriptum extare in Bibliotheca Oldenburgica, inquit ipſe libellus *pag. 26.* & tamen *pag. 49.* inquit: *Numerum IV. nusquam & nunquam legiſſe me memini.* Sed nec apparet, nec ipſe docet, plures tum Epiſcopatus a Carolo M. intra Weſtphaliam quidem, id eſt, intra Viſurgim & confinia Belgicarum terrarum, nempe Osnabrugenſem, Bremenſem, Monaſterienſem, & Paderbornenſem, (pro quo in Chronicon illud, neſcio quo vitio, irrepſit Ultrajectenſis) conditos fuiſſe.

2. Quodſi libellus contendere velit, Autorem iſtum falſo numerum hunc retuliſſe, & plures tum intra hos fines erectos a Carolo M. fuiſſe, probet id neceſſe eſt. Teſtatur Autor ille in ingreſſu, ſe librum ſuum ex ſcriptis & Chronicis antiquis in compendium redegiſſe. Nec calumniandi ſunt Autores, boni Viri, ſed credendum, eos, quæ ſcripſere, ex idoneis autoribus ſumſiſſe, non ſibi finxiſſe. Idonei vero ſunt non tantum ipſi coævi, ſed & qui rerum ab his traditarum memoriam, atque ita ipſosmet quodammodo Autores ad poſteros, adeoque & ad recentiores Scriptores quaſi per manus, transmiſerunt: quod, ut dixi, præſumendum, donec falſi vel erroris convicti fuerint. His igitur Autoribus ſua quoque merito fides hiſtorica in dubio conſtare debet; alioquin anguſtis ſane carceribus rerum in orbe geſtarum memoria concluſa eſſet, & plurima nos fugerent, quæ ab iis ſervata nobis ſunt. Nihil ergo iis obeſt, etſi res ex illis coævis autoribus non appareat, qui typis impreſſi & vulgati adhuc extant; nec ideo ludendum eſt, ſine dictamine Spiritus S. ſciri non poſſe. Multi enim ex coævis autoribus in publicis Bibliothecis deliteſcunt, qui nunquam publice typis editi ſunt; Multi hodie perierunt, qui in medii ævi autorum manibus adhuc fuere. Nec ſoli autores ſunt, qui rerum

rerum memoriam nobis conſervant. Multo uberior ac locupletior antiquitatum ſeges ac proventus in publicis Archivis reperitur; ubi ingens Actorum moles; integri controverſiarum publicarum & privatarum proceſſus; infinitus inſtrumentorum numerus, & inexhauſta omnis generis monumentorum penus aſſervatur; quorum inſpiciendi vel deſcribendi copiam expetere, & haut difficulter, intuitu publicæ utilitatis, impetrare ſolent, qui horum ſtudio ducuntur. Hinc ergo notitia quoque vetuſtatis hauriri poteſt, & aliis tradi; quemadmodum & monumenta Paderb. (unde tamen nec ullum libello præſidium, nec in nos telum,) Reverendiſſ. eorum Autor, ſed recentiſſimus, magna nominis ſui gloria, nuper tandem edidit. Quæ reponenda fuere ſupercilio eorum, qui intempeſtive coævos ubique ſtrepunt.

3. Sed hæc quaſi ἐν παρόδῳ. Nihil vero remotius eſt a noſtra quæſtione, quam otioſa illa cumulatio Autorum, quos vero de numero Epiſcopatuum Saxoniæ libellus mire variare ait. Nam omnes illi agunt non de numero Epiſcopatuum, quos Carolus M. in Weſtphalia, de qua unice nunc quæſtio eſt, ſed quos per univerſam Saxoniam Ille erexit. Hos communiter octo numerant, & in id fere conſentiunt vetuſtiores & præcipuæ fidei Autores.

d 2 4. Alii

4. Alii vero duos adjiciunt, Magdeburgenſem & Hamburgenſem: ſed peſſimo errore; quia duo illi non fuere Saxoniæ, ſed Slavicæ Gentis Epiſcopatus; Slavorum, non Saxonum cauſa fundati: ut de utroque conſtat. De Hamburgenſi, ex *Adam. Brem. lib. 1. cap. 12. in fin. & cap. 13. Helmold. Chron. Slav. lib. 1. cap. 3. n. 9. & cap. 4. n. 3. & 4. & cap. 6. n. 1. Alb. Stad. ad ann. 810. & 833. &c.* De Magdeburgenſi, ex *Ditm. Merſeb. lib. 2. pag. m. 28. & 29. Helmold. d. lib. 1. cap. 11. n. 4. & cap. 12. n. 5. Alb. Stad. ad ann. 971. & Cranz. Saxon. lib. 4. cap. 14.* Cujus ſex quoque ſuffraganei omnes Slavicorum populorum fuere. *Ditm. Helmold. Stadenſ. & Cranz. dd. loc.* Qui *d. cap. 14.* addit: *Jam Magdeburgum urbem Otto Imp. inſigniverat, quæ Wandalis caput eſſet: Jam eccleſiam erexit in honorem D. Mauritii: Epiſcopum Adalbertum inibi fecit conſecrari, ut populum erudiret Wandalorum, & in fide Chriſti pariter & Imperatoris conſervaret.* Et iterum expreſſiſſime *d. lib. 4. cap. 17.* de Magdeburgenſi: ADALBERTUM *primum illi fecit ordinari Archi-Epiſcopum; illique ſubjecit NB. omnes Epiſcopatus per Wandaliam, quam tunc dixere Slavoniam.* Demtis igitur his duobus, reliqui ſunt octo Epiſcopatus Saxoniæ, quos Carolus M. inſtituit; quatuor ſcil. Weſtphaliæ: *Oſnabrugenſis, Bremenſis, Monaſterienſis, & Paderbornenſis;* & quatuor in reliqua Saxonia: ut *Verdenſis, Mindenſis, Halberſtadienſis & Hildeſienſis.*

5. Etenim

5. Etenim quæritur hic de numero, quem Carolus M. populi Saxonici cauſa in Saxonia inſtituit; nimirum intra Albim & Rhenum; quod & expreſſe addit *Gobelin. at. 6. cap. 38. Karolus*, inquit, *ſeptem loca* (de octavo mox,) *intra Saxoniam, NB. inter Rhenum & Albiam pro ſedibus Epiſcopalibus elegit*: Illi enim fuere veteris Saxoniæ termini; Et Albis quidem medio curſu; initio enim per terras Slavicas, unde oritur, decurrit, *Adam. Brem. lib. 2. cap. 13. & lib. 1. cap. 1. & 2.* ubi Sala dividebat Saxones a Slavis; teſte ipſo *Eginhard. in vita Caroli M. fere in med.*

6. Duorum autem illorum Epiſcopatuum ſedes non ſunt intra hos fines, ſed Hamburgenſis ultra Albim in terra, quam Slavi colebant; Magdeburgenſis in ejus confinio, & pars in terra Slavica. Sed neque hic a Carolo M. ſed ab Ottone I. inſtitutus eſt. *Vid. Dd. jam cit.* & inprimis *Meibom. Rer. Germ. tom. 1. fol. 371. & ſeqq. & fol. 689.* Nam quod *Autor Chron. Mind. in princ.* refert, a Carolo M. eccleſiam Sciræ cœptam, inde translatam in Wallersleben, & hinc ie Vroe, ac tandem ab Ottone I. Magdeburgi fundatam fuiſſe, vel ex hoc apparet, ſtabilem ejus ſedem & plenam fundationem ante Ottonem I. non fuiſſe: Unde nec Epiſcopi niſi ab ejus ætate numerantur.

7. Sic ergo planiſſime ſibi conſtat quaternarius Weſtphaliæ, & octonarius numerus Epiſcopatuum utriusque Saxoniæ, rectiſſimeque duos reliquos alii omittunt; atque in eo omnis ſuffragatur antiquitas; teſtibus *Ditm. Merſb. Chron. lib. 7. in fin. Adam. Brem. lib. I. cap. 9. in fin. Helmold. Chron. Slav. lib. 1. cap. 3. n. 8. Alb. Stad. ad ann. 788. &* (quem diſſentire perperam putat libellus,) *Gobelin. æt. 6. cap. 38.* Etſi *Gobelin. d. loc.* memoret ſaltem ſeptem ſedes Epiſcopales, ſcil. Paderborne, Münſter, Oſnabrugge, Minden, Verden, Hildesheim & Halberſtadt; Bremam autem, quæ octava ſedes fuit, omiſerit; id tamen inde eſt, quia recenſet ſaltem, quod Carolus M. circa ann. 777. victis Saxonibus egerat; & de eo refert, Carolum M., cum Saxonia nondum tum haberet loca muris cincta, in id elegiſſe ſaltem, ſeu deſtinaſſe has 7. ſedes; nondum autem tum conſtituiſſe Epiſcopos; quia id tutum non erat, omni Saxonia nondum converſa; ſed interim Paterbornæ ann. 778. eccleſiam ſtatuiſſe, & commendaſſe Würzburgico, donec de Epiſcopo providere poſſet. *Vid. Gobelin. d. cap. 38.* At deinde, ſubacta demum omni Saxonia, Eum actu hos Epiſcopos, etiam Bremenſem, atque adeo octo, inſtituiſſe conſtat; idque omnium minime dubium eſt, cum diploma eius extet, quod in eccleſia Bremenſi ſervatum edidit *Adam Brem. d. lib. 1. cap. 10.*

8. Atque

8. Atque ita omnia belle conveniunt, nec ſupereſt, qui hæreat, ſcrupulus. Ita conſonat quoque, quod *Ditmarus d. lib. 7. in fin.* ait; *una die Carolum M. IIX. Epiſcopatus in Saxonia conſtituiſſe*; & *Adam. Brem. lib. 1. cap. 9.* ſimul in IIX. Epiſcopatus diviſam fuiſſe. Tria enim egit Rex vere Magnus: (1.) Decrevit ac ſancivit, omnem Saxoniam in IIX. Epiſcopatus diviſam eſſe debere; atque hoc decretum uno die factum, de quo *Ditmarus*, & *Ad. Brem. dd. ll.* (2.) Selegit iis ſedes commodas: quæ cum eſſe non poterant, niſi in locis, ut tum loquebantur, muratis, ceu patet ex *Gobelin. d. loc. æt. 6. cap. 39.* deſtinavit in eam rem ſeptem tum loca, ac ſedes. De octavo igitur loco adhuc deliberavit; cujus rei ratio facile colligitur ex ejus temporis annalibus: Cum enim victi quidem eſſent Saxones & Weſtphali; ſed, hi inprimis, non in univerſum domiti & converſi; haut obſcure intelligitur, extrema Weſtphaliæ verſus Septentrionem omnium minime adhuc in poteſtate fuiſſe. Cum igitur ſequenti ſtatim anno denuo quoque rebellarent Saxones, tum quidem perficere rem Carolus M. non potuit; ſed contentus fuit, interea rei Chriſtianæ aliquatenus providiſſe eccleſia Paderbornæ erecta, & Epiſcopo Würzburgico interim commiſſa, quoad de proprio proſpicere poſſet; de quo *Gobelin. d. cap. 38.*

d 4 (3.) Poſt

(3.) Poſt plures annos, & ſubjugata tandem omni Saxonia, quod anno 785. factum eſſe, *Annal. Franc. Fuldenſ. ad dict. ann.* & alii definiunt, res hæc effectum demum accepit; & Carolus M. tum ſeptem prædictas, & jam ante in id deſtinatas, tum, quod dubio caret, octavam ſedem Bremæ (neque omnes eodem tempore) conſtituit, eoque decretum diu ante pium conſilium executus eſt.

9. Ex hoc numero octonario (ſive etiam, ſi vis, denario, ſupr. §. 4.) Epiſcopatuum totius Saxoniæ, jam irrefragabili conſequentia demonſtratur quaternarius Epiſcopatuum in Weſtphalia. Sive enim per totam Saxoniam IIX. ſive X. numerentur, certo certius eſt, ex omni hoc numero IV. tantum in Weſtphalia, id eſt, intra Viſurgim & Rhenum; reliquos omnes (ſive VI. ſive IV. putes,) in reliqua Saxonia eſſe; atque adeo litem iſtam, ſi qua eſt, de numero, unice ad hanc, nihil vero ad Weſtphaliam pertinere. Enimvero nec hactenus lis fuit; ſed error ſaltem in eo eſt, quod quidam annalium Collectores, juris publici imperiti, duos Saxonicis annumerent, qui ad uſum Vandalicarum ſeu Slavicarum Gentium, non Saxonum inſtituti ſunt; ut jam dictum eſt ex *Ad. Brem. lib. 1. cap. 12.*

10. Ex hoc indubitato Epiſcopatuum Weſtphaliæ quaternario, ſequitur porro etiam nume-

numerus Comitatuum, verumque eſſe, quod prædicti Chronici Autor, *Wolterus*, ſimul refert, IV. Comitatus a Carolo M. in Weſtphalia conſtitutos fuiſſe; quia ævi iſtius more notiſſimo ſingulis Epiſcopis ſinguli Comites juncti fuere; quod vulgo liquet, & inprimis conſtat ex Capitulis generalibus Caroli M. & Ludovici Pii; quæ ad utrumque ita directa ſunt, ut Epiſcopi eccleſiaſticorum, Comites ſecularium curam gerere jubeantur, *lib. 2. cap. 4. & 6. & lib. 5. cap. 64.* Unde Imperatores *lib. 2. cap. 12.* expreſſe & notabiliter ita arguunt: *Unusquisque veſtrum partem miniſterii noſtri per partes habere dignoſcitur.* Univerſum miniſterium Regium abſolvitur juſta reip. totius adminiſtratione. Huius pars inſignis eſt cura ſacrorum & juſtitiæ. Eam partem dicunt Impp. ſe diviſiſſe inter Epiſcopum & Comitem; ut nomine Imperatorum ſuam quisque partem rite gereret. In hanc ergo Miniſterii Regii partem ut ſociati fuere Epiſcopi & Comites; ita & juſſi ſunt, concorditer eam obire. *Cap. lib. 2. tit. 10. Add. Cap. Ludovici lib. 3. tit. 16. 63. & 64. & lib. 4. tit. 34.* Una placitis intereſſe. *Cap. lib. 4. tit. 71.* Invicem ſuccurrere. &c *d. tit. 10. LL. Longob. lib. 2. tit. 53.* &c. Et ita oportuit utrique parti proſpici; & jungi, qui ſacrorum & juſtitiæ curam obirent. Atque ſic conſtat, Carolum M. Weſtphaliæ IV. Epiſcopos & IV. Comites præfeciſſe.

II. Cæ-

11. Cæterum nec operæ precium eſt, de numero vitilitigare, atque tam inanibus quæſtionibus temporis jacturam facere. Nihil mihi cum numero: Inquirant in eum, qui Annales conſcribunt. Mihi curæ fuit, jus publicum tradere; nec mea intereſt, quot fuerint, ſed quales? ſcil. inſtitutos a Carolo M. fuiſſe in Weſtphalia Regios Magiſtratus, qui nomine Regni jus dixerunt; ut oſtenderem, Carolum M. rem Provinciæ formaſſe in Eccleſiaſticis & ſecularibus, Sacerdotibus & Magiſtratibus; eoque probarem, eam immediatam feciſſe. Quo plures igitur fecit, eo fortius argumentum noſtrum. Numerum addidi ex Autore, non ut definiendum putarem, ſed ut ejus locum integrum referrem. Jamque patet ſatis, illum quoque ſibi conſtare.

12. Nec habet libellus, quod numero opponat, quam figmentum de infinitis prope Comitibus & Comitatibus, in quos Weſtphaliam diſcerptam fuiſſe fingit; eamque fabulam iterum iterumque in ſcenam reducit. *Omnes Saxones*, ait, *quaſi rebelles, initio in plenam ſervitutem redactos; alios fuiſſe fideles, alios infideles; hos in ſervitute manſiſſe: Omnes fideles ex formula ſæpe dicti diplomatis, manumiſſos; omnes ita manumiſſos, Trutmannos; omnes Trutmannos Comites, & quidem ex dicta formula, Illuſtres; eosque prope infinitos.* Fuit igitur tota Weſtphalia ſedes Trutmannorum, ſeu Comitum

prope

prope infinitorum; Horum nulli ſubditi liberi & fideles, ſed omnes ſervi & mancipia: Sui tamen ſingulis ex iſta formula Vicarii & Scabini. Hi cum nec ipſi niſi liberi & fideles eſſe potuerint, pariter Trutmanni; pariter ergo Comites. Iidem ergo Comites, Comitumque Vicarii & Scabini: Omnes prope infiniti. Nulli iis ſubditi, ſed ſervi. Omnes tamen in mallo publico cauſas audire, & jus dicere debuerunt. Quibus? Non liberis, ſed ſervis, qui jura non habent, ſed omnia adquirunt dominis: Non fidelibus, ſeu Trutmannis, qui omnes Comites ſunt, ſed infidelibus & rebellibus. Propter hos ergo Comites prope infiniti, & plures adeo judices, quam partes fuere. Sed quid his immoror? Monſtra quis tanta explicet? Nihil addo. Judicium omnibus Cordatis permitto.

APPEN-

APPENDIX II.

Continens reſolutiones dubiorum, quæ a Nonnemine in Additionibus ad Hiſtoriam Palatinam, contra Tractatus mei de Prudentia Juris publici Caput XXXIII. mota ac edita ſunt.

Ad præfationem cum illam, quæ præmiſſa eſt Volumini additionum, tum illam, quæ objectionibus fol. 128.

I.

Cum jus publicum edidiſſem (quod primum ſuperioris ſeculi anno 96. factum,) prodiit, quadriennio poſt & amplius (anno ſcil. 1700.) liber de rebus Palatinis, ſub titulo, Hiſtoria, magna diligentia, multaque eruditione conſcriptus, in quo quædam adverſus ea, quæ de Gente & ſerie Sereniſſ. Principum Palatinorum commentatus fueram, mota, ſententiamque noſtram paſſim, ſæpe etiam injurioſius exagitatam inveni.

2. Adſeruit ſcil. Doctiſſimus Autor *d. tract. Cap. 1. fol. 3.* Hermannum & Ezonem quendam, ſeu Ehrenfridum, ut vocat, cui Ottonis III. Imperatoris Soror, Mathildis, invito fratre

fratre, nupſit, & quem Arnolphi, Regis primum, deinde Ducis Bavariæ, ex Hermanno filio nepotem fingit, fuiſſe *veros & antiquiſſimos Comites Palatinos Rheni*; idque ſe vetuſtiſſimis & indubitatis monumentis oſtendiſſe, ubique prædicat.

3. Etſi autem ea longius ab inſtituto meo remota, & ad ſummam Juris publici, quod unice excolendum receperam, nihil aut parum facere viderem, ac ſubmirarer, Dn. Autorem (cum cujus egregia familia, & illius maxime propinquis, jucunda mihi conſvetudo in Palatinatu, quin & neceſſitudo non una fuit,) Annalium Scriptorem, ita ſe mihi, quin anxie, Jus publicum tradenti, gratis obtrudere: reſpondi tamen in Appendice I. alteri editioni Juris publici adiecta, placide, &, quanta fieri potuit humanitate, teſtatus, quantopere exoſcularer Viri induſtriam; ex qua non minus fructuum ad alios, quam ad ipſum ex hoc ſpecimine laudis perventurum eſſe augurabar.

4. Verum non acquievit ille, ſed novo edito Volumine, ſub titulo, *Additiones ad Hiſtoriam Palatinam* &c. ex profeſſo prolixam ei replicationem adverſus nos attexuit, non quidem ſine aliquo verborum honore; ſed nec ſine monitoris & cenſoris ſupercilio; quin nec ſine injuriis & procacia. Nam & ætati (quaſi novus Cato) jam tum ante 10. inquam,

inquam, annos, inſultare, & ſeni neſcio quod vitium improbare veritus haut fuit. Vid. *Addit. ad Hiſt. Pal. pag. 128.* ubi ſe ea intentione ſcribere ait, *ut me aberrantem, utpote cui aliis negotiis diſtricto, iamque ad ſenium provecto, quamplurima vel memoriæ ex lapſu intercidiſſe libentiſſime credat, reduceret in viam.* Atqui ab eo tempore, quo id ſcripſit, decennii acceſſione ſenium meum iam crevit, & tamen DEI gratia, hodieque nondum ab annis patior defectum animi, ut hujus cura vel ductu egeam; etſi corporis valetudo, quæ tum pariter quoque ſatis firma erat, nunc ſit afflictiſſima, non ſenio, ſed morbis, qui & juventutis vires proſternere ac enervare valent. Meum itaque nunc eſt, cum animo meo reputare, & examinare, num tutum ſit, eum, qui, neſcio qua fronte ſe ſenii mei ducem, & quaſi curatorem, quin διδάσκαλον, tam arroganter, quam liberaliter offert, ſequi, ut ſequendo ducar, non ſeducar; & in viam redeam, non de via pariter exerrem. Idque bona Doctiſſ. Autoris venia fore, ſi æquus eſt, nullus ambigo.

5. Sed & indignatur, nomen ſuum me non addidiſſe. *Vid. d. præf. prima, fol. 3. & altera fol. 128.* Quod vero alii ſummi & illuſtres Viri quoque haut ægre tulerunt; quia ſcil. negocium non cum Autoribus mihi eſſe volo, ſed unice de re, ejusque veritate agere: nec hunc

morem

morem nunc migro. Neque impetrare a me tum potui, ut reſpondendi neceſſitate mihi impoſita, unicuique, ſive juris perito, ſive imperito, arbitrium mei interturbandi, & perpetuas occupationes meas pro libidine rumpendi, permitterem.

6. Verum cum poſtmodum alia adverſus tractatum noſtrum ederentur, quæ propius ad Juris publici momenta accedunt, & pleniorem enodationem, lucemque vere requirere viſa ſunt, eaque cauſa eſſet, de autonomia Juris Gentium agendi, & una per appendicem refutandi ea, quæ Libellus alius de ſtatu Weſtphaliæ amarulentiſſime in nos evomuit magis, quam edidit; opportunum credidi, altera appendice ſubjuncta, ad hunc quoque libellum, ſed pauciſſima monere, & digitos ſaltem ad fontes veri, unde receſſum eſt, intendere.

7. Tota tractatio ad 4. præcipue capita reduci poterit. I. Quod Comites Palatinos, quorum innumeri ſunt gradus, miſcet cum ſummo illo Comitatu, ſeu Præſidata Palatii regni ad Rhenum; & miniſtros cum Dominis confundit. II. Quod fingit, Ezonem aliquem Arnolphi, Regis olim, deinde Ducis Bavariæ, nepotem ex Hermanno filio, & hos duos fuiſſe veros & antiquiſſimos Comites Palatinos Rheni. III. Quod fingit Eberhardum, Conradi I. fratrem, Franconiæ Principem, non Giſelbertum fuiſſe Principem Dominum

minum terræ Rhenenſis; & illum, non hunc, Comitem Palatinum Rheni. IV. Quod nomina Ducis, Comitis, Marchionis &c. fruſtra vellicat, cum de re, ſeu poteſtate quæſtio ſit, non quibus vocabulis illa appellata fuerit.

8. Præterea & in eo iniquus & falſus eſt, quod partes aggreſſionis a ſe in me transferre ſatagit, quaſi ego ipſum prior oppugnare, ipſe objectiones movere, & dicta ejus refutare coeperim; cum palam ſit, me, ut jam dixi, quadriennio ante iſta ſcripſiſſe & edidisſe, quam doctiſſ. Autoris liber in rerum natura fuerit, ut ego certe hariolari non potuerim, quos ipſe novos Principes Palatinos Rheni, quem Hermannum & Ezonem poſt 4. deinde annos pariturus eſſet. Ipſe ergo, libro ſuo deinde edito, litem mihi, nomine meo expreſſo, movit, & adeo ipſemet ſe mihi ingeſſit, non ego me ipſi; & nec objectiones feci, ſed ad factas ab ipſo reſpondi; nec ipſius ſententiam oppugnavi, ſed meam ab oppugnante juſtius defendi.

9. Multus quoque in eo eſt, ut jactet *Veterum documenta, Imperatorum & ipſorum Palatinorum diplomata; horum vetuſtisſimas literas ante 600, & quod excurrit, annos exaratas, a ſe in Originali viſas, denique coævorum, teſtiumque oculatorum teſtimonia &c. quibus luculenter ſua firmaſſet, quæque productis aliis, ſi quæ haberem, antiquitatis diplomatibus, quippe in re facti, oppugnare de-*

debuiſſem. Vid. d. præf. pag. 3. & pag. 128. ac paſſim creberrime. Verum tantum abeſt, ut, quod ita jactat, Monumentis luculenter probaverit, ut nulla, quæ ad rem noſtram faciant, exhibuerit. Et tamen non dubitat ille a me expoſcere alia vetuſta diplomata, quibus contrarium demonſtrem: parum a jure, ut videtur, inſtructus; cum ipſius, ut novi adſertoris & aggreſſoris, iſtæ vices ſint, non meæ, defenſoris, cui tam integra eſt negandi, quæ ipſe fingit, libertas, quam ipſi probandi, quæ adſerit, impoſita neceſſitas. Scilicet cum in tractatu meo unice inſtituti mei ſit, jus publicum explanare; ipſe me ad annalium centones avocare, ſecumque abſtrahere molitur, quibus hic & in hac quæſtione uſus non eſt; ubi, quod pace ipſius dictum volo, omnia prope ſuo lubitu & ingenio comminiſcitur; autores etiam coævos & bonos, qui ipſi adverſantur, probris inceſſit; fidem lacerat, verba ac nomina torquet vel rodit, & quæ certa, manifeſta, ac in vulgus nota ſunt, impugnat, & tum vetuſta & coæva documenta in contrarium ſibi edi poſtulat, idque in rebus, quæ omnium Annalium & indubitata monumentorum fide conſtant; atque ex infra dicendis plana fore, & æquis judiciis, & Juris non imperitis ſatisfactum iri confido. Cæterum quod iis, qui ubique coævos Autores cantant, aliisque fidem derogant, *in Append. I.*

pend. I. cap. 8. §. 2. repoſui, id hic quoque di-ctum monitumque volo.

10. Sed nec ipſi rationi æquum ſe & placidum præbet. Ita enim ſcribit in *d. præf. pag. 3.* *In rebus ad hiſtoriam ſpectantibus, non ſolis ratiociniis, res quandoque magis obfuſcantibus, quam explicantibus, ſtandum eſſe.* Et iterum *d. fol. 128.* ait: *Porro & hoc monendum eſſe cenſeo, quod ſolis ratiociniis ſubtilioribus, præſertim ubi & rerum documenta atque diplomata, & veterum, inprimis coævorum, ex aſſe probantium, teſtimonia deſunt, res non conficiantur; ſed potius eædem, deficientibus illis, obducta quaſi caligine, magis obfuſcentur, quam explicentur.* Nec veretur, fidem ſuam *d. fol. 3.* interponere, *ita eruditiſſimos quosque hactenus judicaſſe.* Hoc vero de ratiocinio, quo rei ratio concludens redditur, (de qua ſola tantum quæritur,) nemo cordatus ſenſit, aut ſentire potuit; ſed eadem licentia, qua ſe ſententiam ſuam ex indubitatis & coævis monumentis probaſſe, aſſeritur. Tum porro ipſemet hoc ratiocinio utitur: *Cum Hiſtorici ſit, res facti, adeoque non ea, quæ in Imperio jure fieri debuiſſent, ſed quæ in eo revera publice facta ſint, probatis rerum documentis exponere.* Quod utrumque hic falſiſſimum eſt; cum nec de re facti quæſtio ſit, ſed de intellectu & interpretatione verborum & inſtrumentorum, nec de eo, quid jure fieri debuerit, ſed quid verius & probatius ſit, factum fuiſſe.

Fal-

Falſisſimum denique, id rerum documentis Dn. Autorem probaſſe. Denique tota aſſertio a vero alienisſima eſt. Nam ubi diſputatur de ſententia documentorum, ratio, etſi ſola ſit, rem expedit & decidit, modo ſolida & vera, adeoque modo ratio ſit. Quodſi enim falſa affertur, aut ſpuria, aut non concludens, non eſt ratio; nec tum ratio redditur, ſed deficit; nec poteſt dubium decidi, non vitio rationis, ſed hominis, recta & genuina ratione non utentis. Ratio enim eſt anima omnium inſtrumentorum, legum, conventionum, quin omnis ſermonis, & præfertur verbis, ſi de horum ſenſu, ut hic, diſceptatur. Et hoc demum eſt, quod omnes eruditi judicant, ipſæque leges diſertisſime docent: ut in *l. 17. π. de Legib. Scire leges* (& ſic alia literarum monumenta ſeu inſtrumenta,) *non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem.* Et *in l. 29. π. eod. In fraudem legis facit, qui ſalvis verbis legis, ſententiam ejus circumvenit.* Item *in l. 30. π. eod. tit. Fraus legi fit, ubi, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit.* Ita *in l. 13. §. 2. verſ. Sed etſi. π. de Excuſat.* tutor. *Etſi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult;* adeo, ut remota ratione, non magis tuto verum ex inſtrumentis, quam ex loquacibus pſittacis & picedulis, adſtrui poſſit. Sufficeret igitur nobis vel hoc ſolum, quod rationi

noſtræ, contra Ezonem allatæ, ſatisfacere non valuerit; *de quo infr.*

II. Cum igitur nihil jure vel ratione efficere in præfatione ſua potuerit, prolabitur ad injurias, & merum contradicendi ſtudium mihi impingit, idque *familiare mihi eſſe* convitiatur. *d. præf. pag. 3. in fin.* ubi hæc ejus verba : *Cum nulla antiquitatis documenta producta ab ipſo hactenus viderim, ex ſolo contradicendi ſtudio, ipſi, ut videtur, familiari, hoc, quod in hac re ſibi ſumpſit, negocium, proveniſſe nullus dubito.* Qua in re ſatis mirari non poſſum Viri frontem. Etenim, cum jus publicum ſcriberem, ne quidem ſciebam, ipſum adhuc in vivis eſſe, aut literulam edidiſſe, nedum quid ipſe in futurum parturiret, aut quem foetum pluribus poſt annis enixurus adhuc eſſet. Adeo nullus mihi locus fuit, ipſi contradicendi, nedum cura aut ſtudium. Præterea explicui in eo opere ſententiam, quam in tribus celeberrimis Academiis per ſemiſeculum, & jam tum publice docui, ac profeſſus ſum, cum ipſe adhuc, ni fallor, in ludum literarium iret, certe ſcribendi & ætatis nondum maturus eſſet. Non potuit igitur mihi affingi animus, cui ne facultas quidem fuit, ipſi contradicendi, qui nihil dum dixerat, nihil adhuc horum dicere poterat, & quid olim tandem dicturus eſſet, meum non erat haruſpicari. Non noviter, ex quo Ipſe ſcripſit, ſententiam in eum edo; ſed

in

in his ſpatiis, in quibus a prima prope ætate currere cœpi, priſtino meo more decurro. Quæ invidia, ſi, quæ ſemper docui, doceam, & contra oppugnatores & gratuito occurſantes modeſtisſime defendam ? Ipſe itaque eſt, qui operas meas poſt luſtrum edito libro invadit, vellicat, refutat ; adeo iniquus, ut ſibi id absque nota vel ſuſpicione ſtudii contradicendi liberum ; at mihi, mutire vel hiſcere contra, crimen publico libello exprobrandum : ut ſibi fas eſſe ſtatuat, a me edita ultro aggredi ; mihi nefas, ea defendere ; quod omni jure fas eſt. Ipſe hoc juris publici noſtri caput auſu privato adortus eſt, & mihi ſuccenſet, mota mihi dubia ſolvendo, officii publici vices implenti. Quodnam igitur ſupercilium, ſibi ſumere in alios pro libidine involandi, & quicquid lubet, ac in mentem venit, dicendi licentiam ; & iraſci, ſi illi reſpondeant, nec ſubmiſſo vultu plagas, quas ipſis infringit, excipiant, & alto venerabundoque ſilentio maxillam offerant? immemor Terentiani illius : *Sic exiſtimet ; reſponſum non dictum eſſe, quia læſit prior.* Ego vero nec unquam læſi hominem ; nec quicquam mihi unquam cum ipſo commercii fuit ; quamvis, ut jam memini, cum amicis ejus Heidelbergæ olim conjunctisſimus mihi uſus fuerit. Quæ cauſa igitur mei, publico libello edito, ita gratis inſectandi, & hominis

 rixoſi

rixoſi ac contentioſi labem adſpergendi, ac vitii quaſi mihi familiaris publice reum agendi? Quid hoc ad cauſam? Quid ad ipſum? Exſtant publice, quæ edidi, ſcripta, & palam faciunt, nunquam me in alios ſcripſiſſe, niſi laceſſitum, & plerumque valde exagitatum. Non poſſum igitur, nulla injuria, ſed ejus profligendæ famæque tutandæ cauſa, non hiſce teſtari, hanc eſſe meram putidamque calumniam,

12. Denique ait: *Mirari ſe, quod ea, quæ documentis ante 600. annos exaratis luculenter firmaverit, aggreſſus fuerim; errores vero ipſius, quos potiori jure rationeque oppugnare atque perſtringere potuiſſem, penitus neglexerim. Vid. d. præf. pag. 4.* Scilicet quia nolui ipſius errores numerare & colligere; (quid illi ad me? Jus, non annales, ſcribo;) ſed meam ſententiam defendere. Atque hoc ipſo ſane jam ipſe Dn. Autor perſpicit & convincitur, quam nullus mihi fuerit animus, nedum ſtudium, ipſi contradicendi, qui nec illius, & quos ipſemet agnoſcit, errores attingere, ſed tantummodo, quæ in me ſcripſit, retundere volui. Hinc conſtat, ipſique Dn. Autori fatendum eſt, non mihi ipſum adoriendi, ſed ejus, quod per tot luſtra publice docui, veritatiſque ab ejus adſultibus adſerendæ conſilium fuiſſe; quia id ſolum tractavi, & reliqua omnia, quæ, ipſomet fatente, *potiori jure ratio-*

rationeque oppugnare, atque perſtringere potuiſſem, penitus neglexi, & intacta reliqui. Quæ vero ipſe in jure publico noſtro perſtrinxit, una ad ea reſpondendi neceſſitatem mihi expreſſit, ne ab ipſo laceſſitus & provocatus, quin iniquiſſime & publice traductus, ceſſiſſe ſententia, & veritatem deſeruiſſe ac prodidiſſe viderer; & Viri graves quoque ſilentium meum in adſenſum errorum ducerent, aut alioverſum traherent. Vellemque etiam, his me parcere & ſuperſedere, &, ſi quid otii eſſet, id iis, quorum majus operæ pretium eſt, & quæ magis Spartam noſtram ornant, excolendis collocare licuiſſe, neque his rebus atterere oportuiſſe.

13. Nec quicquam moror ipſius, quæ continenter cantat, ante 600. annos exarata documenta, de quibus dixi *ſupr.* §. *9*. nihil enim ad rem faciunt, nihilque minus, quam quod ipſe vult, probant; ut inf. patebit.

14. Quæ & cauſa eſt, cur diu animo ſederit, nihil ad ea reſpondere; cum & ſuperiore reſponſione dubiis jam ſatisfactum ita eſſe crederem, ut æquus & ingenuus animus acquieſcere iis poſſet, & magno mihi, ut fatear, tædio eſſet, cum annalium rapſodiis certare; cum id quoque nec temporum, nec inſtituti, nec ſtudiorum meorum rationes ferant, quæ cum mea voluntate, una cum vita, ſacris juris-

 pru-

prudentiæ juſtitiæque aditis devota; tum publica autoritate officio.

CAP. I.

Refutatio generalis & ſummaria errorum, quos D. Autor maxime fol. 129. usque ad fol. 136. identidem ac promiſcue commiſit.

I.

Contra indubitatam omnium monumentorum fidem, & unanimem omnium ſententiam aſſerit, eandem eſſe Franciam & terram Rhenenſem; & omnium harum vaſtiſſimarum terrarum Principem, ſolum Eberardum, Conradi I. fratrem, fuiſſe; & Giſelbertum in his ſpaciis ne glebam quidem terræ habuiſſe. Qua fabula efficitur, Eberardum totius Regni Franciæ Principem fuiſſe; Giſelbertum vero, etſi Archiofficium Regni geſſerit, in toto regno Franciæ nullam terræ glebam habuiſſe. De quo *Cap. II.*

2. Ineptum eſt, quod *fol. 129.* reſpondet, jam ſub Carolingis Duces fuiſſe. Non quæritur: An ſub ultimis Carolingis jam Duces fuerint; ſed an illi Ducatum cum propria & ſumma poſt Regem poteſtate, non vero adminiſtratorio & officii ſaltem jure habuerint; ſeu

ſeu an eo jam tempore hæc non fuerint nomina officii & adminiſtrationis, ſed propriæ poteſtatis? Fruſtra ergo nudam nominationem & vocem *Ducis* ex Browero captat *fol. 129.* Et ita *Itterus de Feud. Imp.* ait: *Fuiſſe ſub Carolingis Duces, ſed ſine Ducatu, ſeu terra Ducali.* De quo *Cap. III.*

3. Ineptiſſime *fol. 129. fol. 135.* & alibi provocat ad Scriptorem vitæ Abbatis Gorz. *Quod Eberhardus tenuerit Franciæ Auſtraſicæ partem, aliaque trans-Rhenana loca.* De eo enim non eſt quæſtio: Nam tenuit Ducatum Franciæ, qui trans Rhenum, & pars Franciæ Auſtraſicæ eſt; Sed quæritur, an terram cis-Rhenanam tenuerit? Quod negat idem Autor. Eum ergo allegando ſe ipſum ferit. Vid. *Cap. II.*

4. Pari hallucinatione *d. fol. 135.* Conringium in ſe laceſſit: Ille enim non de Ducatu, ſed de regno Franciæ Orientali ait: *utramque Rheni ripam ad id pertinuiſſe.* Vid. *Cap. II.*

5. Falſum eſt, quod *fol. 129. & 130.* fingit, *Conradum I. jam ſub ultimis Carolingis non ſolum in Ducem vel Marchionem Franciæ Orientalis evectum, ſed & ipſam terram Rhenenſem revera poſſediſſe, indeque in ſupremum Regiæ dignitatis faſtigium evectum, eandem in fratrem ſuum Eberardum cum Ducis &c. titulo transmiſiſſe.* De quo *Cap. II.*

6. Falſum eſt, quod *fol. 129.* & deinde ſæpius ait: *Terram Rhenenſem nibil aliud fuiſſe,*

 quam

quam ipſam Marchiam Franciæ Orientalis; ſeu Ducatus Franconiæ; quem Eberardus tenuit. Falſumque, *hunc Ducatum Franciæ Orientalis poſtea Palatinatum Rheni dictum*; *& hunc a Conrado I. Rege facto in fratrem Eberardum titulo Ducis &c. transmiſſum*; atque hunc ideo *Comitem potentiſſimum, id eſt, Judicem ſacri Palatii Cæſarei dictum fuiſſe. d. fol. 129.* Quin ſub Conrado I. & Ducatus & Comitatus &c. adhuc fuiſſe mera adminiſtrationis officia, infra videbimus.

7. Giſelbertum *totam Auſtraſiam, aut regnum Lotharingicum tenuiſſe*, nemini hominum, credo, in mentem venit. Sed Eberardus multo minus; qui nullam ejus regni partem habuit, ſed Ducatum Franciæ, quæ trans Rhenum eſt, & a terra Rhenenſi toto Rheno diviſa.

8. Perperam confundit *Auſtraſiam & regnum Lotharingicum*, cum ait: *totam Auſtraſiam ſeu regnum Lotharingicum. fol. 130.* Multa Auſtraſiæ fuere extra regnum Lotharingicum; & multa regni Lotharingici extra Auſtraſiam. *Vid. Obrecht. in Prodr. Alſ. Cap. 5. pag. 35. & ſeqv.* Nec ſequitur: *Giſelbertum non fuiſſe Comitem Palatii Rheni, quia totam Auſtraſiam ſeu regnum Lotharingicum, quale Zuendibolchus, Arnulfi Imp. filius, adhuc anno 900. poſſederat, ſub ſua poteſtate tenuit. fol. 130.*

9. Quæ

9. Quæ cavillatio? cum inquit: *Aquisgranum in Auſtraſia ſeu Lotharingia ſitum, civitatem Rhenenſem, & Palatium in eo Rhenenſe dictum quondam fuiſſe, ſe in antiquo ſcriptore non legiſſe. fol. 130.* Urbs & Palatium fuere in terra, quæ ad Rhenum eſt, in Gallia Belgica; & hinc *Palatium ad Rhenum ſeu Rhenenſe* vocitatur. An ſcriptores dixerint Palatium ad Rhenum, ſeu Rhenenſe, nihil ad rem facit: Sufficit, eſſe ad Rhenum, & ideo vere ac recte id, quod eſt, dici: Nam & hodie Aquisgranum refertur inter urbes Rhenenſes, unter die Rheiniſche Städte; & hinc, ut urbs, ita urbis Palatium *Rhenenſe* ſeu ad *Rhenum* rectiſſime vocatur.

10. Cæterum non nunc quærimus, quis ſub Conrado I. fuerit Comes Palatinus, vel Dux terræ Rhenenſis, aut Dux vel Comes Franciæ; quia tunc adhuc omnia hæc nomina officii, & adminiſtrationis ſignificationem habebant, & jus propriæ poteſtatis in Ducatus ſub Henrico I. demum cœpit. Fruſtra ergo D. Autor tam verboſe diſputat *fol. 131.* quid fuerit Eberardus *ſub fratre ſuo, Conrado Rege; & ante, quam Giſelbertus in Ducem Lotharingiæ electus fuit.* Et fruſtra *fol. 135. n. 2.* operoſus eſt, ut probet, *Eberhardum officio Comitiva Palatii in Cæſaris aula jam ante functum fuiſſe, quam Giſelbertus in Ducem Lotharingiæ electus eſſet &c.* Omnis quæſtio eſt de eo tempore & caſu,

& caſu, quo ipſe & Giſelbertus in adminiſtratione Archi-officiorum Imperii concurrerunt, ut in inauguratione Ottonis I. cum Provinciarum Principes jam jus propriæ poteſtatis in ſuos Ducatus acquiſitum haberent. Enimvero inepte quæritur, Princeps Franciæ, an Princeps Lotharingiæ officium geſſerit, ſi hic plane nondum fuit. De quo *inf. ad Cap. III.* Vid. *tract. de Autonom. J. G. Cap. XXIV.*

11. De hujus inaugurationis tempore, & de ejus loco, Aquisgrano, expreſſe docet Witechindus, qui tum vixit, & ſcripſit, *Lib. 2. in princ. Quod ille ad Giſelberti Ducis poteſtatem pertinuerit, & iſte adeo omnia tum procuraverit. Vid. Jus publ. Cap. XII. §. 5.* Quem locum tam manifeſtum ut eludat libelli Autor, *fol. 130. in fin. & fol. 131. princ.* ita reſpondet: *Aquisgranum Imperii ſedes, non ratione poteſtatis vel jurisdictionis territorialis, ſed ratione ſolius ſitus pertinebat ad Giſelbertum, quia illud ejusque Palatium non Rhenenſe, ſed Imperiale, non in terra Rhenenſi, ſed in ipſo ejus Ducatu Lotharingiae Moſellano conſtitutum erat.* &c. Et iterum *fol. 132. princ.* ubi pro ratione allegat, *Palatia Imperialia ad Provinciae, in qua ſita ſunt, Duces non ſpectaſſe, ſed Palatinis provincialibus ab Impp. tradita ad jus dicendum fuiſſe. Deinde* (pergit) *Aquisgranum ejusque Palatium in terra Rhenenſi ſitum antiquitus non fuerat, cum illud nunquam Palatium Rhenenſe, vel Aquisgranum civitas Rhenenſis in Vete-*

rum

rum monumentis nuncupatum fuerit. Nec tamen Aquisgranum ab Eberardi ditionibus, & a caſtro ſuo Tonaburg adeo longe diſtabat; hocque caſtrum eo occiſo, Succeſſor ipſius, Hermannus Bavarus, ſtatim occupaverat. &c. Hæc quam vana ſint, diſpiciamus.

12. Et primum quidem, quod ait, pertinuiſſe locum ad Giſelbertum, ratione ſolius ſitus, non poteſtatis, tam a ſenſu, quam a veritate remotum eſt, peſſimaque omnium concluſio. Quid enim hoc eſt, *pertinere ad aliquem ratione ſolius ſitus, non poteſtatis?* Situs non eſt modus, vel cauſa, ſeu titulus juris, quo res ad aliquem pertinere dicitur; imo nihil rei eſt, ſed mera extrinſeca denotatio vel denominatio rei in loco ſitæ. Et verba hæc: *urbs ratione ſolius ſitus ad ipſum pertinet:* hunc ex verborum figura ſenſum habent, quod *non urbs, ſed ſolus urbis ſitus ad ipſum pertineat.* Quid vero id ſibi vult? Situs ſolus rei eſt abſtractum, & ipſum τὸ *ubi*; quod non eſt in rerum natura, niſi in concreto, ut ſcholæ loquuntur, ſeu cum re, id eſt, urbs ipſa in loco ſita: uti tempus, ſeu τὸ *quando:* etenim ſolum τὸ *ubi*, τὸ *quando*, τὸ *nunc* vel *tunc* non dicuntur ad aliquem pertinere, ſed res, quæ alicubi, vel quæ nunc aut tunc exiſtit.

13. Sed & pugnat illud cum expreſſis verbis *Witechind. in Lib. 2. princ.* qui ait: *Ad Giſelberti*

berti POTESTATEM *locum illum* (Aquiſgranum) *pertinuiſſe*. Quin pugnat cum jure & ratione, urbem ad Giſelbertum pertinuiſſe, & tamen ad eum non pertinuiſſe ratione poteſtatis: Si enim ei nihil poteſtatis in eam fuit, falſum eſt, ad ipſum pertinuiſſe. Res enim ad nos pertinet vel jure dominii privati, vel imperii publici, vel alio quodam jure in re, vel ad rem, ut loquuntur; id eſt, ex legitima juris cauſa vel titulo, quo jus & poteſtas aliqua in rem nobis quæſita eſt, ut JCtis notum eſt. Vid. *l. 70. §. fin. π. de Verb. Signif. l. 45. §. 1. π. de Legat. 2. l. 39. §. 2. π. de Procurat. l. 53. §. 1. π. de Obl. & act. l. 27. §. 1. π. ad l. Jul. de adult. l. 45. §. 1. π. de Legat. 1. l. 19. π. de Adopt.* &c. Vid. *Joh. Goedd. ad d. l. 70. §. fin. π. de Verb. Sign.*

14. Equidem Giſelbertus in ſuum Ducatum, qui complexus eſt illam partem terræ Rhenenſis, in qua fuit Aquiſgranum & Regni ſedes ac Palatium, pari jure ac poteſtate uſus eſt, qua cæteri ſummi Duces in ſuum: quod & evincit locus ille celebris Luitprandi *de Reb. Imp. & Reg. Lib. 2. cap. 7.* qui tanto omnium conſenſu atque applauſu probatus eſt, ut nullus majore: eumque certatim ac totidem verbis adferunt *Sigeb. ad ann. 914. Urſperg. in Hiſt. Conradi I. ad ann. 913. fol. 144. Abb. Stad. ad ann. 913. pag. 98. Cuſpin. in Conrad. I. fol. 363. Naucler. Vol. 2. Gener. 31. ad ann. 913. fol. 723.*

Lebmann.

Lehmann. Chron. Spir. lib. 2. cap. 16. &c. Ita autem locus ſe habet apud *Luitpr. d. l. Sub quo* (Conrado) *potentisſimi Principes, Arnoldus in Bojoaria; Burcardus in Suevia; Eberhardus, Comes potentisſimus in Francia; Giſelbertus in Lotharingia erant: quos inter Henricus, Saxonum & Thuringorum Dux præpotens, clarebat.* Hi omnes ergo æque dicuntur potentiſſimi Principes, quisque in ſua terra ſeu provincia. Quo ſenſu ergo Arnoldus in Bavaria, Burchardus in Suevia, Eberhardus in Francia, Henricus in Saxonia fuere & dicti ſunt potentiſſimi Principes; eodem Giſelbertus in Lotharingia ſua Moſellanica ſeu Belgica: qui Ducatus complexus eſt eam partem terræ Rhenenſis, in qua fuiſſe Aquisgranum & regni ſedem ac Palatium, nemo hactenus dubitavit, aut dubitare merito potuit; *de quo mox.*

15. Nihil igitur ſingulare hic fuit in Giſelberto, ejusque Ducatu. At aliud generale diſcrimen ex jure publico obſervari debuit inter provincias ſeu terras regni Francici mediatas & immediatas; de quo in *Autonom. J. G. Cap. VIII. & ſeqq.* falſumque eſt, quod Dn. Autor promiſcue de omnibus provinciis aſſerit, Palatia non eſſe in poteſtate Ducis: Nam in terris mediatis, uti urbes regulariter, ita & quæ in iis ſunt Palatia, ſunt omnino Ducatus ac Ducis, in quibus curiæ pro-

provinciales, Land⸗Täge, non imperiales, ſeu Reichs⸗Täge, habentur. Nam & Comites, Barones &c. in his terris mediatis Duci ſunt ſubjecti, ratione terrarum; licet Comitivæ dignitas non niſi a Rege concedatur; tamen illa in hisce terris perſonæ ſaltem Comitum inhæret: At terræ ſtatus ac conditio non mutatur; ſed illa manet mediata & Ducatus. Unde ab hac immediata regni dignitate & hi Comites, etſi Landſasſii, dicuntur Reichs⸗Grafen. At terra non ideo eſt immediata, eine unmittelbahre Reichs⸗Grafſchaft; ſed manet provinciæ ſeu Ducatus. Quam in rem notabilis eſt locus in *R. I. de ann. 1548. §. 66.* qui exhibetur in *Diſp. de Charact. Stat. Imp. Sect. 3. §. 3. Conf. Jus publ. Cap. 9. §. 10.*

16. E contrario in terris regni immediatis verus eſt Dn. Autor: In his enim urbes, Magiſtratus, judicia & miniſteria publica, regulariter non ſunt Ducum, ſed Regis ac Regni. *d. Autonom. Cap. XIV. ſeqq.* Et quam maxime Palatia Imperialia, in quibus Curiæ ſeu Comitia regni, (Reichs⸗Täge) habentur, & in terris regni immediatis fere extructa ſunt, immediate ſunt Regis ac Regni, neutiquam vero in poteſtate Ducis, ut recte hactenus ſtatuit Dn. Autor *fol. 131. princ. in verbis ſupra §. 11. adductis;* cum aſſerit, *Aquisgranum Imperii ſedem, ejusque Palatium Imperiale* (eine Reichs⸗Pfaltz) *& in ipſo Giſelberti Ducatu conſtitutum fuiſſe.*

fuiſſe. Et deinde *fol. 132. in princ. Palatia Imperialia ad Provinciarum Duces proprie non ſpectabant, licet in eorum Ducatibus ſita eſſent.*

17. Sed hæc aſſertio ipſummet manifeſte ferit, & per eam ſuo ipſe ſententiam ſuam telo confodit. Cum enim, ipſo fatente, Aquisgranum ſit immediata Imperii civitas, & ſita in provincia immediata, atque adeo nec illa, nedum Palatium ipſius Imperiale, ut Dn. Autor ipſe vocat, ulla ratione ſit in poteſtate Ducis provinciæ Rhenenſis; & tamen ad Giſelbertum pertinuerit, teſtibus Witechindo, Urſpergenſi, &c. *ſupr.* §. *11. & 13.* & *J. publ. d. Cap. XII.* §. *5.* fatendum una eſt, non pertinuiſſe ad eum, ut Ducem provinciæ, ſed ut Comitem Palatii regni. Id enim inevitabiliter inde ſequitur: quia urbs Imperii immediata, & ſedes Imperii nulla ratione recognoſcit provinciam, ejusque Ducem, ut civitates mediatæ, ſed unice Imperium ac Imperatorem, ut cæteræ civitates immediatæ regni. Relinquitur ergo, Palatium Rhenenſe Aquisgrani ad Giſelbertum pertinuiſſe, tanquam ad Comitem Palatii regni: quod munus eſt non Ducatus, ſed Imperii, & nomine Regis ac regni exercetur. Nec vero tertium datur, cum non niſi duplex relatio Giſelberti ad locum iſtum oſtendi poſſit: vel ut Ducis provinciæ & Ducatus Moſellanici, vel ut Comitis Palatii regni,

quod in hoc Ducatu conſtitutum fuiſſe Dn. Autor fatetur. Veriſſima itaque concluſio hæc eſt: Quod locus ille ſpectaverit ad Giſelbertum, vel ut Ducem provinciæ, vel ut Comitem Palatii Regni. Non prius, ut in confeſſo eſt; poſterius igitur.

18. Quod porro *fol. 131. n. 3.* inquit: *Scriptores antiquos Giſelbertum non nominaſſe Comitem Palatii Rhenenſis; ſed tantum Ducem Lotharingiæ, & antea Comitem;* &c. denuo mere cavillatorium, & merum nominum ac verborum aucupium eſt. Sufficit, quod eum nominaverint a ſuo Ducatu, ſeu Provincia, Ducem Lotharingiæ Moſellanicæ, ſeu Belgicæ, cui dignitas illa Comitatus Palatii annexa fuit. De quo latius *inf.* Ita & reliqua, quæ *d. fol. 131. n. 1. & 2.* de ratione ſangvinis & dignitatis Eberhardi narrat, inepta ac vana, & reſponſione plane indigna ſunt.

19. Nec minus futilis & falſa eſt fabula, quam *d. fol. 131. n. 4.* texit de prærogativa honoris Eberhardi præ Giſelberto: *quod hic illi, ut ſummo & potentiſſimo Comiti Palatii, qui Imperii inſignia, Rege defuncto, cuſtodire ſolitus fuerit, eaque Henrico Aucupi detulerit, honorem, prærogativamque debuiſſe videatur.* Etenim Giſelbertus ne ipſum quidem Conradum, unquam Regem agnovit, nedum Eberardum Comitem Palatii hujus Regis, quem ſemper negavit eſſe Regem, adeoque habere Palatium regium,

regium, Palatiique Regii Comitem. Quin & ipſemet poſtea regno inhiavit, & de eo cum Eberardo mutuis dolis ſtudiisque certavit. *Vid. Urſperg. in Hiſtor. Henrici I. fol. 153. & in Otton. I. fol. 156.* ubi narrat ſummam vafritiem Eberardi & Giſelberti, qui, cum uterque regnum captaret, ſubdole ſe junxerunt; & inprimis de Eberardo, qui Henricum Ottonis I. fratrem captivum tenuit, inquit, *quod ab eo* (Henrico, captivo ſuo) *veniam petierit, & nequiter promeruerit; ea conditione, ut Henricus contra Dominum & fratrem ſuum ſecum faceret conjurationem, & ipſe ſibi coronam imponeret.* Et mox recenſet, qua arte *Eberardus Giſelbertum a Rege disjunxerit: quod Giſelbertus ſuſcipiendi regni ſpe Regi reſtiterit; quod Eberardus haut ſecus potuerit Giſelbertum a Regis fide ſejungere, quam ut ei promitteret, ſe illum Regem facturum; quod Giſelbertus Henricum hac arte voluerit decipere, ut ipſe regni ſolium obtineret.* Et tum addit: *Verum Eberardus longe aliter diſpoſuerat: Voluit enim, ſi Regem poſſet devincere, utroſque regno privare, illudque ſibi uſurpare:* & in id allegat ejus verba ad uxorem &c. Hic ſcil. eſt honos iſte & prærogativa, quam ille huic exhibuiſſe dicitur, quod regnandi ſtudio invicem decipere voluerunt. Quod & ipſum notat *Sigeb. ad ann. 943.* & de utroque ait, *prædando regno intentos fuiſſe.* Inſignia autem regni in cuſtodia Eberardi fuiſſe,

non apparet; ſed contra huic a Rege, ut cum regno ea Henrico I. offerret, commiſſa fuere.

20. Nihil vero omnium eſt, quod omnes magis lineas turbet, quam portentoſum illud figmentum, cujus tria præcipue capita vel membra ſunt: (1) quod duos Ducatus ſeu Provincias, Franciæ & terræ Rhenenſis, confundit, & utramque in unam compingit: (2) Quod terram Rhenenſem ab inferioribus Rheni partibus ad usque extrema Alſatiæ producit; & (3) quod omnia hæc vaſtiſſima terrarum ſpacia, una cum Franconia, in ſolius Eberardi ditione fuiſſe, nec Giſelbertum inde vel glebam terræ habuiſſe, contendit. Quo admiſſo Eberardus ſolus efficietur totius regni Francici, quippe quod duæ hæ Provinciæ originariæ componunt, Princeps; Giſelbertus vero in toto regno Francico nullam glebam retinet, in qua vel pedem figere, nedum archiofficii, quod eum tum geſſiſſe in confeſſo eſt, dignitatem aſſerere ac tueri potuerit: cum e contrario Giſelbertus ſolus fuerit veriſſime Princeps terræ Rhenenſis, & Eberardus nullam ejus partem habuerit. Quæ vero Autor tanta fingendi licentia, & aſſerendi audacia molitur, ut indubitatis & coævis veterum monumentis ea ſe probaſſe, non erubuerit ubique jactare; etſi nihil habeat aut afferat pro munimento ſuo, quam unicum Chronici Lauriſh.

riſh. locum, quem, etſi ſibi quam maxime adverſum, ubique crepat, & omnibus prope paginis creberrime appellat, vana plane ſunt ac de nihilo; ut ex ſequentibus apparebit.

CAP. II.

Quo illa, quæ D. Autor confuſe & ſine ordine, nimisque verboſe proponit, in pauca contracta, certoque ordine coercita exhibentur, illisque reſpondetur.

I.

Cum vero confuſe & ſine ordine, nimisque verboſe, Autor ea tractet, & non modo idem ſæpiſſime & tædioſiſſime recoquat, paſſimque ſpargat, ſed & extra cauſæ pomeria ac merita non minus, quam a vero evagetur, atque exorbitet; ne & refutatio noſtra pariter fluctuet, tria illa, quæ modo recenſuimus, fabulæ membra, propriis ipſius verbis, ſed in pauca contractis, certoque ordine coercitis, exhibebimus. Prius itaque membrum quod ſpectat, ſcribit Dn. Autor *fol. 135. Ducatum Eberardi, ſeu Marchiam Franciæ Orientalis, nihil aliud fuiſſe, quam ipſam terram Rhenenſem.* Et *fol. 134. Terram Rhenenſem cum Marchia Franciæ Orientalis eo tempore conjun-*

ctam, unam eandemque fuiſſe. Quin *d. fol. 134.* in Genealogiæ tabula, quam ibi fabricavit, Conradum I. Imp. nominat *Comitem Orientalem, NB. ſeu Ducem terræ Rhenenſis*; & Eberardum, *Comitem Palatii, & Ducem ſeu Marchionem Franciæ Orientalis, NB. id eſt, terræ Rhenenſis*; prorſus quaſi unum idemque ſit Francia Orientalis & Terra Rhenenſis, nec Rhenus interſit: Et tamen fatetur, *Franciam Orientalem pro limitibus habuiſſe Rhenum, aliaque Rheno adjacentia loca, fol. 133.* Longam deinde attexit fabulam; *jam ſub Carolingis a Ludovico Germ. alium quendam Eberardum, inde hujus filium Utonem, tum Conradum I. & eo Rege facto, fratrem ipſius Eberardum, Marchiones Franciæ Orientalis conſtitutos fuiſſe.* Et iterum *fol. 134. Eberardum in poſteris temporibus Marchionem Franciæ Orientalis conſtitutum fuiſſe, ex optimæ notæ Chronico Laurisb. certum eſt.* Tum in continenti addit verba paulo ante adducta: Deinde terram Rhenenſem cum Marchia Franciæ Orientalis eo tempore conjunctam, unam eandemque fuiſſe, ex ejusdem Chronici Laurish. verbis notatu digniſſimis clariſſime eluceſcit. Et mox *d. fol. 134. in fin. Terræ Rhenenſis Ducem*, ait, *fuiſſe Conradum I. eumque poſtea in Regem electum, fratri ſuo Eberardo eandem terram Rhenenſem Ducis titulo, quo ipſe hactenus uſus fuerat, adminiſtrandam tradidiſſe.* &c. Atque hoc primum figmenti caput eſt.

2. Reli-

2. Reliqua duo his verbis Autor prodit *fol. 131. & ſeqv. Giſelbertus* (inquit *d. fol. 131. in fin.*) *potiſſimum ratione potentiæ & affinitatis, in inauguratione Ottonis R. affinis ſui, omnia procurabat, & non vi Ducatus Lotharingiæ, neque etiam vi terræ Rhenenſis, quam nunquam poſſedit; imo ne glebam quidem ex tam vaſtis Eberhardi Palatini ditionibus.* Et poſt alia inutilia & pro lubitu *fol. 132. 133. & 134.* de Marchione Franciæ Orientalis confiѕta, vel nihil huc facientia, pergit *fol. 135. Hic Ducatus ſeu Marchia Orientalis Franciæ latiſſime ſe extendens, a partibus videlicet Rheni inferioribus usque ad ſuperiores, atque adeo etiam ad extremam usque Alſatiam, vaſtiſſimum terrarum tractum complectebatur, ex Witechindo. Atque hunc vaſtiſſimum terrarum tractum, ſeu Provinciam Rhenenſem in Alſatiam usque, (quæ Auſtraſia, ſeu regni Lotharingici, poſtea in varios Ducatus Comitatusque ſciſſi, quondam pars erat,) ſe extendentem, ſolus Eberhardus poſſedit, non Giſelbertus.* Et hic pergit: *Eberardi Ducatus ſeu Marchia Franciæ Orientalis nihil aliud fuit, quam ipſa terra Rhenenſis, dicta deinde Palatinatus Rheni, cujus intuitu Comes Palatii, &, in inauguratione Ottonis I. anno 936. ſimul Archiofficialis vocatus fuit Eberhardus noſter, neutiquam autem Giſelbertus, Dux Lotharingiæ, ne glebæ quidem ex tam vaſtis Palatinis ditionibus poſſeſſor. &c.*

3. Hæc hactenus Autor; qui his commentis Palatium ad Rhenum, ejusque Comitatum de Ducatu Giſelberti cis-Rhenano, nullo ponte facto, quadam quaſi incantatione, transferre voluit in terram Eberhardi, quæ trans Rhenum fuit.

4. Quænam ergo ſunt jam indubitata illa & coæva veterum monumenta, quibus adeo innititur; quæque ad probandum tot & tanta paradoxa hactenus inaudita in medium affert? Unicus ſcilicet fere locus ex *Chronico Laurisham. pag. 68.* in his verbis: *Conradus, frater Eberardi, Marchionis Orientalis,* (addit ipſe, FRANCIÆ) regni partem circa Rhenum (id eſt, TERRAM RHENENSEM) *tenuit.* Hanc regni partem circa Rhenum ait, eſſe Ducatum Franciæ Orientalis. Atque hic locus ipſi eſt clava Herculis, quam ubique & omnibus momentis oſtentat; & ſcutum, quo tot portenta tegit.

5. Sed ſane nullum locum invenire potuiſſet, quo iſtud minus, & quo contrarium magis probaretur. Enimvero textus ille nec agit de Provincia ſeu Ducatu Franciæ, quem Eberhardus habuit; nec de Provincia ſeu Ducatu terræ Rhenenſis, quem ipſum, & antea ipſius fratrem, nondum Regem, ſed Ducem, habuiſſe Dn. Autor fingit: Sed de ipſo regno Franciæ Orientalis, quod Conradus I. non ut Dux, & jure Ducatus, ſed ut Rex jure Regio habuit; quodque pars

pars fuit potentiſſimi illius regni Francici, quod Carolus M. & Ludovicus Pius integrum tenuerunt, liberi autem ipſorum primum in tres, mox in duas partes, Franciam Orientalem, ſeu Auſtraſiam, & occidentalem ſeu Weſtraſiam, vulgo Neuſtraſiam, diviſere. *Vid. late tract. de Autonom. J. G. Cap. 18. §. 15. & ſeqq.* Ex hac igitur diviſione duo regna diſtincta extiterunt; quæ fuere duæ partes totius regni Francici: Una Orientalis, a Moſa verſus Orientem, cis & trans Rhenum, adeoque *circa Rhenum*: Altera Occidentalis, a Moſa verſus occaſum, usque ad Oceanum Britannicum, adeoque remota a Rheno. Provoco ad ipſius textus evidentiam; quo inſpecto res in oculos incurſura eſt. Etenim, recenſet Autor Chronici, utriusque Franciæ, Orientalis & Occidentalis, Reges, qui tum vixerunt; *& ait, in occidentalis regni Franciæ parte, ſeu Neuſtria, Carolum tum Regem fuiſſe; &c. in Orientalis regni parte, quæ circa Rhenum eſt, Conradum, Eberardi fratrem.* En loci tenorem, qua huc pertinet, integrum: *Poſt Ludovicum, Regem Galliæ, Carolus occidentale regnum*, (Neuſtriam, ſeu Weſtraſiam) *adeptus eſt*: &c. *Conradus vero, frater Eberardi Marchionis, Orientalis regni partem circa Rhenum tenuit.* De toto ergo regno Franciæ Orientalis, non de Ducatu Franciæ, qui una provinciarum regni fuit, loquitur.

quitur. Nam & porro de hoc Conrado refert, quod coenobio Laurishamenſi *privilegia immunitatum*, & Conventui *jus Abbatem ſibi eligendi* dederit, vel confirmaverit. Hoc vero Regum eſt, qui initio inprimis regni, privilegia populis ſuis dant, vel confirmant. Quemadmodum & ante Arnolphus Imp. initio imperii ſui; & poſtea Otto I. Imp. idem feciſſe *in eodem Chronico Laurisb. fol. 67. & 69.* dicuntur. Quin mox ipſe Chronici Autor expreſſiſſimis verbis id ita declarat, cum pergit: *Hujus NB. REGIS* (de Conrado loquitur) *uxor Chunegunda locum &c. Giuga, S. Nazario tradidit &c.* Adeo ibi non agitur de Duce & Ducatu Franciæ; non de Duce & Ducatu terræ Rhenenſis; ſed de Rege & regno totius Franciæ Orientalis, cujus duæ iſtæ Provinciæ, Francia ſeu Franconia noſtra, & terra Rhenenſis, originariæ & quaſi primitivæ partes fuere; quibus reliquæ deinde jure belli acceſſerunt. Vid. Jus publ. *Cap. III.* §. *84. & Cap. V.* §. *1.* Hoc itaque regnum Franciæ Orientalis ſeu Auſtraſiæ, fuit *pars illa totius regni Francici*, quod Conradus I. circa Rhenum, & ab utraque ejus ripa habuiſſe dicitur; quodque ille non ad fratrem Eberhardum, ſed Henricum Aucupem transmiſit; non dum vixit, illi dedit, ſed poſt mortem huic reliquit.

6. Nul-

6. Nullus itaque manifeſtior & gravior inveniri ſeu excogitari error potuit, quam quo confunditur regnum Franciæ cum Franciæ Ducatu, & utrumque cum terra Rhenenſi; nec ullus manifeſtior locus, qui errorem iſtum caſtiget, & luculentius diſcutiat, quam quem ad eum ſtabiliendum Dn. Autor tam fruſtra, quam operoſe inducit, quem unice ubique jactat, & toties ingeminat; *fol. 129. in med. & iterum circa fin. fol. 130. n. 2. in princ. & mox iterum fol. 134. in fin. fol. 135. ubi ter in eadem re eo provocat: item fol. 142. &c.*

7. Hoc ſane videtur nodum in ſcirpo quærere, lumen in ſole. Conſtat, Franciam matricem totius regni, & quæ initio ſola illud conſtituit, non fuiſſe niſi trans Rhenum in Germania magna; & nullibi excesſiſſe fines ſoli Germanici; ſed totum conſtitiſſe intra ripam Rheni Orientalem ſeu Germanicam. *Vid. tract. de Autonom. Jur. Gent. Cap. XVIII. §. 15. & ſeq.* Omnes reliquæ terræ ſeu Provinciæ poſtea jure armorum vel alio acquiſitæ, acceſſerunt quidem huic regno; ſed manſere tamen ab eo diſtinctæ; & alia fuit ipſa Franciæ terra, aliæ terræ ei acquiſitæ, ut Bavaria, Suevia, Saxonia, & ſic terra illa cis-Rhenana, quam primam omnium, Francorum Reges, trajecto Rheno, in ſolo Gallico, occuparunt, & in ea ſedem regni fixerunt. *d. tract. Cap. XVIII. §. 17. & ſeqv. & J. publ. Cap.*

Cap. III. §. 79. & ſequ. Hæc igitur duæ terræ ſeu provinciæ, Francia germanica, & terra hæc cis-Rhenana, quæ tum compoſuerunt regnum Franciæ, *d. Cap. 18. §. 25. ſeqq. & d. Cap. 3. §. 83. & ſeqv.* non modo inter ſe diſtinctæ, ſed & toto Rheni amne, fatali illo limite, diviſæ ſunt: non minus, quam Bavaria, Suevia, Saxonia & Francia inter ſe diſtingvuntur, etſi illæ, ut hujus armis quæſitæ, in unum cum ea & prædicta terra cis-Rhenana regnum coiverint. *Vid. J. publ. Cap. 5. Sect. I. & d. Cap. 18. §. 9. & ſeqv.*

8. Atque hoc diſcrimen duarum diſtinctarum Provinciarum, ſeu Ducatuum eorumque Ducum, tam manifeſtum & tritum fuit, ut tædeat ei immorari. Semper enim & ubique in recenſendis regni provinciis ſecernuntur & ſeparantur Francia & terra Rhenenſis, & ſui cuique peculiares Principes ſecundum Regem ſummi adſignantur. Ita, quemadmodum in univerſum, præter Saxoniam, quatuor diſtinctæ terræ, ſeu provinciæ Teutonicæ nationis, die Vier Lande Teutſcher Nation, numerantur, ſcil. Bayern, Schwaben, Francken und die Rheinlanden; *vid. tract. de Autonom. Cap. 18. §. 28. & ſeqv.* ita præter Ducem Saxoniæ, quatuor diverſi earundem Provinciarum Principes potentiſſimi, ſeu cum ſumma poſt Regem potentia: uti in celebratiſſimo illo loco, ab omnibus

certa-

certatim probato, quem produximus *ſupr. Cap. 1. §. 14. & in Jur. publ. Cap. XII. §. 1.* Arnoldus in Bavaria; Burchardus in Svevia; Eberardus in Francia; Giſelbertus in Lotharingia. Cum igitur nec plures Provinciæ Teutonici juris, nec plures talium Provinciarum ſummi Principes fuerint, & de tribus prioribus conſtet, dicendum eſt, quartam, nimirum terram Rhenenſem, die Rhein-Landen, vel non dari, vel eam eſſe, quæ in *d. loco* Lotharingia dicitur, & Franciæ opponitur ac Giſelberto aſſeritur. Ut certo certius ſit, alium fuiſſe Principem Franciæ; alium terræ Rhenenſis, & adeo Principem ſummum Franciæ, non fuiſſe Principem ſummum terræ Rhenenſis, ſed cujusque alium & alium. Atque hac ratione demum ſibi conſtat & efficitur quinarius ille provinciarum, earumque Ducum numerus, qui compoſuit das Reich Teutſcher Nation: nec tum plures fuiſſe, alibi jam oſtenſum eſt. *Vid. J. publ. d. Cap. XII. §. 1. & Autonom. J. G. d. Cap. 18. §. 9. & ſeqv.*

9. Hoc idem perſpicue probat Ordinatio Judicii Rotwilenſis *a Conrado III.* renovata *Part. I. Tit. 6. apud Gold.* von Reichs-Satzungen, *fol. 6. ad ann. 1147.* Cum enim hoc ſit judicium immediatum regni & Regis, des H. Reichs Hoff-Gerichte zu Rottweil, uti *in d. Ord. tit. 6. & paſſ.* dicitur, non fuit niſi in provinciis regni immediatis, quæ hodieque tres

ſunt

ſunt, Svevia, Francia & terra Rhenenſis, *J. publ. cap. 9.* per quas ſolas judicii hujus Imperialis immediati circulus decurrit: (Weſtphaliæ enim ſtatus peculiaris huc non pertinet. *Vid. d. Cap. 9. §. 12.*) & hæ duæ poſteriores provinciæ evidentisſime ab invicem ſegregantur. Ipſa verba *d. tit. 6.* quæ huc faciunt, videamus: Des H. Reichs Hoff-Gericht zu Rottweil hat NB. von alters her gerichtet von Rottweil unten an die Förſt und an die Gebirge (Vogeſum ſaltum & montem intelligi, ex ſitu patet:) ihnenhalb Ober-Elſaß (totus hic tractus pars Sveviæ fuit, a Svevis, ſuperato Rheno, occupatus usque ad Sequanos, monte Vogeſo inde diviſos,) und hie dißhalb dem Gebirge, dem Rhein ab und ab, biß gen Cölln, und nicht fürter; (hic ergo circuli hujus prima provincia fuit terra ſeu Germania cis Rhenum, in ſolo Gallico,) und hie NB. dißhalb dem Rhein wieder heruff gen Franckfurt/ und NB. als weit das Francken-land gehet, biß an den Thüringer-Wald, und NB. in Francken und Schweinfelden, biß an das Baierland; (hæ enim duæ terræ Saxoniæ & Bavariæ fuere mediatæ: atque hæc adeo altera circuli Rotvilenſis provincia eſt Francia, quæ proinde trans Rhenum fuit in ſolo Germanico,) und hie dißhalb Baiern inher biß gen Augſpurg an den Lech, und nicht über den Lech (qui dividit Sveviam a Bavaria,)

und

und von dem Gebirge einher, was vor demſelben gen Schwaben zu, biß gen Chur, und was in demſelben Kraiß lieget; (recenſentur ibi loca Helvetiæ, quæ tum pars fuit Sveviæ. *Vid. J. publ. Cap. III. Sect. 2.*) gen Mompelgard, und nicht fürter, (ibi enim ſunt fines Sequanorum, & Germaniæ primæ; atque ita hæc tertia circuli Rotvilenſis eſt Svevia, ad quam omnia iſta loca pertinebant,) und daſelbſt wieder herein biß an die Förſt und an die Gebirg' ihnenhalb Ober-Elſaß, und an alle End, ſo NB. zwiſchen den vorgeſchriebenen Kraißen von einem an den andern liegend, weit, lang und breit. His itaque verbis recenſentur tres illæ provinciæ regni immediatæ, Schwaben, Francken und die Rheinlanden; atque adeo duæ poſteriores, Francken und die Rheinlanden, pro duabus diverſis provinciis computantur, omniumque fines exacte deſcribuntur. Etenim, inter Lycum & montem Vogeſum Svevia eſt, quam ille a Bavaria, hic a Sequanis ſeu Burgundia ſecernit; hæ enim immediatas juris Teutonici provincias non ſpectabant. Cis Rhenum terra Rhenenſis fuit; trans Rhenum, usque ad fines Saxoniæ, Bavariæ, & Sveviæ, Francia; Helvetia juncta fuit Sveviæ; Alſatia a Svevis occupata.

10. Et quis hæſitabit in re tam pervulgata, cui non penitus quoque incognita eſt hiſtoria ludorum equeſtrium; quorum tota ratio

ac

ac celebratio ad quatuor provincias, die vier Landen, refertur; atque inter eas ita diſtributa & diviſa eſt, ut, quicquid in iſta celebritate publica actum geſtumve fuit, in eo concurrerint die vier Landen; nihilque agi, geri, fieri oportuerit, niſi auſpiciis der vier Landen, & per electos aus den vier Landen, per quos ſolos omnis munerum, miniſteriorum, rerumque curatio, a ſummo ordine ad infimum, ſive maſculorum, ſive fœminarum nobilium illa eſſent, explicari debuit, *J. publ. Cap. 12. §. 3.* Atque in toto hoc ludorum equeſtrium contextu ubique & perpetuo Francia non minus a terra Rhenenſi, quam a Bavaria & Svevia, diſtingvitur ac ſeparatur: aliique fuere ſemper ludi, qui a Francis; alii, qui a Rhenenſibus indicti ſunt.

11. Nec moror, quod Autor Ruxnerum penitus rejicit, & ei, quippe ſibi adverſanti, more ſuo ſuccenſet, in tantum, ut, ſui oblitus, judicem induat, & in Ruxnerum poenalem ſententiam ex crimine falſi publice pronunciet. *fol. 139. 140. & 141.* Etenim nolo equidem erroribus Ruxneri patrocinari; ſed illud tamen ferri non poteſt, ſi ſcriptor rerum geſtarum in quibusdam factis aberret, ideo totam hiſtoriam repudiari; præſertim ſi ad ſummam rei id non faciat. Eſto ergo, Ruxnerum in perſonis, nominibus, aliisque ſingularium rerum circumſtantiis, uti arguitur, fefel-

feſelliſſe, quod in tanto numero, tantaque antiquitate, & temporum obſcuritate proclive fuit; at credendum inde non eſt, ideo in ſumma quoque totius rei, in ipſa generali ludorum forma, & eo, quod omnibus commune & perpetuum eſt, ipſum lapſum fuiſſe: Hæc enim, cum uſus ludorum ad ejus usque tempora duraverit, ab noviſſimis exemplis perdiſcere, ac inde ſuperiorum uſum, ritus ac formam reſcire ſatis potuit. Nam & illud, quod noviſſimum refertur haſtiludium, anno 1487. Wormatiæ, a Rhenenſibus indictum fuit, cum præcedenti anno 1486. Franci aliud indixiſſent; & in utroque eadem forma in genere ſervata, & pariter ratio der vier Landen habita fuit. Quod ad hanc cauſam, & ad explodendum errorem Autoris, qui utramque miſcet, ſufficit, quicunque fuerint, ſinguli aut ſingulorum nomina. &c.

12. Quare nec pendemus a ſola Ruxneri fide. Res ipſa pervagata eſt, & qui ætati iſti proximi, ac recentiore memoria vixerunt, idem comprobant, uti *Münſter. in Coſmogr. lib. 5. cap. 409. & 410. Franc. Pfeil, Syndicus olim Magdeburgenſis, Conſil. 202. n. 28. 37. & 105.* qui *d. n. 28.* litem refert fuiſſe zwiſchen denen vier Landen, und Sachſen, wegen der Turniers-Freyheit. Sic enim inquit *d. n. 28.* Daß die vier Landen, als Rheinland, Francken, Baiern und Schwaben ſich deſſelben, als ihres ſon-

derlichen Lebens alleine anmaßen, und den Sachſen daran nicht geſtehen wollen. Quin & nova ſubinde pacta ac ſtatuta prioribus addita ſunt, quibus die Ritterſchaft der vier Landen de modo haſtiludiorum leges inter ſe fecerunt, & priora interpretando ea quoque agnoverunt. *Limn. de J. P. lib. 6. Cap. 5. n. 20. & ſeqq.* Unde id ſane conſtat, Franciam a terra Rhenenſi prorſus ſeparatam, duasque illas, diſtinctas ſemper provincias, & cujusque proprium ac peculiarem Ducem fuiſſe.

13. Quod ipſum præterea quoque maniſeſtiſſimum eſt ex numero VI. Circulorum Imperii; qui repræſentant provincias. *J. publ. cap. 4.* Horum enim duos efficiunt Francia & terra Rhenenſis; & alius omnino eſt der Fränckiſche, alius der Rheiniſche Kraiß. Idem probat numerus der unmittelbahren Reichs-Ritterſchaft, quæ triplex dicitur, juxta tres diſtinctas Imperii provincias immediatas, die Schwäbiſche, Fränckiſche und Rheiniſche Reichs-Ritterſchaft. Idem evincit tota Comitiorum ratio; in quibus Ordines Franciæ & terræ Rhenenſis ſeparatas ſedes, ſeparata ſuffragia, & ſeparatas omnino rationes habent; & uti alia eſt nobilitas Franciæ, alia terræ Rhenenſis, der Fränckiſche und Rheiniſche Adel, ut dictum; ita quoque diſtingvuntur utriusque provinciæ civitates, die Fränckiſche und Rheiniſche Reichs-Städte, Comites &c. Die Fränckiſche

ckiſche und Rheiniſche Reichs-Grafen; Prælati, die Fränckiſche und Rheiniſche Prælaten; & in genere, ſedes ac curiæ, vulgo die Fränckiſche und Rheiniſche Banck. Qua in re adeo ſeparantur ab invicem duæ hæ provinciæ, ut, cum Civitates Imperii duo tantum ſuffragia, duasque curias habeant, Francicæ non jungantur Rhenenſibus, ſed Svevicis; nec Rhenanæ Francicis, ſed Weſtphalicis. Et pariter, antequam Comitum duplex ſuffragium geminatum, duoque ipſis addita fuere, non Franciæ & terræ Rhenenſis Comites; ſed illi cum Svevis, hi cum Weſtphalicis conjungebantur, & cum iis communem curiam, non inter ſe habuerunt. Atque ita hodieque, ex quo Prælati jus gemini ſuffragii nacti ſunt, non Franci & Rhenenſes, ſed iterum illi cum Svevis, hi cum Weſtphalis communes junctasque rationes ac Curias habent.

14. Præterea, ut, quod cœpimus filum pertexamus, idem a finibus cujusque provinciæ notiſſimis demonſtratur. Francia enim trans Rhenum fuit, & Rheni latere dextro ſeu Orientali finiebatur: quod & inter omnes in confeſſo eſt, ac doctiſſ. Valeſius docet apud *Obrecht. in Prodr. Alſ.* ſed & Autor ipſe fatetur *fol. 133.* Terra Rhenenſis e contrario cis Rhenum eſt, & ſiniſtro ſeu occidentali latere Rheni terminatur, quippe quæ eſt in Gallia Belgica. Atque ita duæ hæ provinciæ

toto Rheno ab invicem divulſæ ac diviſæ fuere: Illum enim ſemper limitem fuiſſe Galliæ & Germaniæ, quis neſcit? Ita Marcellin. *Lib. 27. cap. 8.* inquit: *Svevos & Francos Gallicanis tractibus confines fuiſſe:* Hi vero incipiunt a Rheno ſiniſtro; ut ergo Franci his confines fiant, neceſſum eſt, eos prætexi & terminari Rheno dextro; alias non eſſet vicinia ſeu confinium. Quin Agathias Francos ex eo probat Germanos fuiſſe, *quod trans Rhenum inhabitent.* Idque ipſi Galli fatentur, Francos trans Rhenum fuiſſe, & inde Galliam & terras cis Rhenum invaſiſſe. Hinc & Maſſon. *Lib. 1. in pr. Trans Rhenum Francia eſt; Claudiani, Auſonii, Hieronymi, Sidonii, atque aliorum teſtimonio.* Idem P. Æmil. *lib. 1. fol. 9.* & Hadr. Valeſius. Ita conſtat, Clodionem, alterum jam a Pharamundo Francorum Regem, nec pedem terræ cis Rhenum habuiſſe, ſed regnum ipſius Rheno clauſum, regiamque ſedem Duisburgi, ad confluentes Rheni ac Ruſæ fuiſſe, & inde demum terras cis Rhenum, Galliam ſcil. Belgicam, in qua terra Rhenenſis eſt, tentaſſe. Vid. *Jus publ. Cap. 3. §. 81. & ſequ.*

15. Hanc Franciam Eberardi fuiſſe conſtat; ut in laudato jam loco *ſup. §. 14. in med. Eberardus, Comes potentiſſimus in Francia.* Ultra eam vero ipſum quoque Principatus cis Rhenum poſſediſſe & Principem terræ Rhenenſis fuiſ-

ſe,

ſe, vaniſſima commenta ſunt; nihilque minus ex Chron. Laurish. probari jam vidimus.

16. Palam igitur eſt, terram Rhenenſem cis Rhenum, & aliam a Franciæ Ducatu terram, aliam provinciam, alium Ducatum, & alium denique ejus ſummum Principem & Ducem fuiſſe. Nec minus certum ac evidens eſt, ejus Duces ac Principes fuiſſe Duces Lotharingiæ, & ſub Ottone I. quidem Giſelbertum, *per d. loc. ſupr. Cap. 1. §. 14.* Etenim Lotharingiæ Ducatus tum non anguſtis illis, quibus hodie, finibus coercitus fuit, ſed omnem Belgicam, usque ad fines regni Galliæ ſeu Weſtraſiæ, quod Caroli Calvi fuit, ambitu ſuo complexus eſt. Atque hujus Belgicæ, qua indubitato continetur terra Rhenenſis, in ea Aquisgranum, Dux ac Princeps Giſelbertus fuit; qui proinde promiſcue *Dux Lotharingiæ*, vel *Dux Belgicæ*; & terra Rhenenſis nunc *Belgica*, nunc *Lotharingia* dicta eſt: ut ex ſequentibus patebit.

17. Et primo quidem Giſelbertum & fuiſſe Ducem Belgicæ, & ita nominatum fuiſſe, immota annalium fide conſtat. Diſerte Viterb. *Part. 17. fol. 551. Giſelbertus Belgicam tenuit.* Et Friſing. *Chron. Lib. 6. Cap. 18. Conſilio Giſelberti, Belgicæ Ducis.* Ita Urſperg. *in Henrico I. ad ann. 921. fol. 153. Belgarum Dux erat Giſelbertus.* Et *ad ann. 937. in Otton. I. fol. 156.* de eodem,

 quem

quem ante ibi vocavit *Giſelbertum Lotharingiæ Ducem*, mox ait: *Profectus in Lotharingiam, ad Giſelbertum, Belgicæ Ducem.* Et iterum *fol. 158. Conſilio Giſelberti, Ducis Belgicæ.* Quemadmodum & Abb. Stadenſ. *ad ann. 920. pag. 101. b. Quam Giſelberto, Duci Belgicæ dederat.* Sic & Papir. Maſſonius *Annal. Lib. 2. in Ludovico, Caroli ſimplicis filio*, Giſelbertum *pag. 193.* appellat *Lotharienſium potentiſſimum:* & mox *pag. 194.* inquit: *Lotharienſium nomine non Leuci tantum, ſed & Mediomatrices & Treviri NB. finitimique in Belgica populi continebantur.*

18. Unde manavit & alterum; terram ſcil. Rhenenſem quoque promiſcue dictam fuiſſe *Lotharingiam & Belgicam.* Lotharingiam dictam fuiſſe liquido exponit Papir. Maſſon. *Annal. lib. 2. pag. 130. in Carolo Calvo*, ubi ait: *Carolus provinciam habuit; Secundus* (Lotarius) *Leucorum & Mediomatricum terras* (Tull und Metz) *quæ priſcum nomen mutarunt in Lotharingiam.* Quod plenius *pag. 194.* explicando, inquit: *Lotharienſium nomine non Leuci tantum, ſed Mediomatrices & Treviri, finitimique in Belgica populi continebantur.* Quod ut evidentius eluceſcat, notandum iterum eſt, quod dudum demonſtravimus in *J. Publ. cap. 3.* & *cap. 4.* & *in Autonom. J. G. Cap. 18. §. 28. & ſequ.* præter Saxoniam quatuor fuiſſe provincias, quibus regnum Teutonicæ nationis continetur, Baiern, Schwaben, Francken und

NB. die

NB. die Rheinlanden, non plures; & totidem ſummos a Rege earum Principes ac Duces, non plures. Unde ſequitur, ſi inter 4. has provincias Teutonicas, unter den vier Landen, (præter Saxoniam) recenſeatur provincia, non aliam intelligi poſſe, quam terram Rhenenſem, quocunque illa nomine indigitetur. Cum igitur ſub Ottone M. in prima fuerit Arnoldus, in altera Burchardus, in tertia Eberhardus, ſupereſt ſola quarta, ſeu terra Rhenenſis. Hæc ergo quarta eſt, quæ dicta fuit *Lotharingia*, dicta, *Belgica*; & hujus quartæ Dux Giſelbertus. Id conſtat ex ſæpius laudato loco *ſup. Cap.* 1. §. 14. *Giſelbertus in Lotharingia.* Hæc igitur cum numeretur inter 4. illas provincias Teutonicas, & illarum una fuerit, non poteſt non eſſe eadem cum terra Rhenenſi, cum certe nulla ſit ex tribus trans-Rhenanis. Atque ita Veteres recenſendo quinque regni Teutonicæ nationis provincias, hanc quartam unter den vier Landen, aut computata quoque Saxonia, quintam, *Lotharingiam* appellarunt. Ita cum Schafnab. *ad ann. 1076. fol. 530.* narraſſet, quanto in diſcrimine ſub Henrico IV. regnum fuerit, adeo, ut quidam Epiſcopi & Principes conſultum ducerent, monere provinciarum regni Principes, ut labanti patriæ ſuccurrerent, & ideo Triburiam convenirent; addit: *Hoc Sueviæ, hoc Bojoariæ, hoc Saxoniæ, hoc Lutheringiæ,*

ringiæ, hoc Franciæ Teutonicæ Principibus denunciarunt. Et ipſe Conradus Salicus *apud Wipponem in ejus vita tit.3. de Electione Regis*, alterum Cunonem ita alloquitur: *Vota, ſtudia, conſenſus Francorum, Lotharingorum, Saxonum, Noricorum,* (i. e. Bavarorum,) *Alemannorum* (i. e. Svevorum,) *ad nos conferebant:* Utroque loco quinque Germanici juris populi ſeu provinciæ numerantur; quatuor trans-Rhenanæ: Schwaben, Baiern, Sachſen und Francken; quinta, cis-Rhenana, ſeu Rhenenſis, dicitur *Lotharingia.* Quin idem Wippo, Conrado Salico coævus, *d. loc. & tit.* recenſens Principes & populos, qui ad electionem Regis circa Rhenum confluxerant, præclariſſime diſcernit quatuor Duces ac populos Teutonicos trans Rhenum, a quinto, qui cis-Rhenum fuit, his verbis: *Ibi dum conveniſſent cuncti Primates, & vires ac viſcera regni, cis & circa Rhenum caſtra locabant: qui dum Galliam a Germania dividit, ex parte Germaniæ convenere NB. Saxones, Franci Orientales, Norici, Alemanni: de Gallia vero Franci, qui ſupra Rhenum habitant, Ribuarii,* LVTHARINGI.

19. Ex quo loco notabili patet (1) Qui fuerint quinque Teutonicæ nationis populi ſeu provinciæ. (2) Harum quatuor fuiſſe trans Rhenum, Sachſen, Francken, Baiern, Schwaben; quintam, ſeu terram Rhenenſem, cis Rhenum. (3) Francos hos cis-Rhenanos dici

Lotha-

Lotharingos & Ripuarios; hi enim ſub illis comprehenſi, & Ripuaria pars Lotharingiæ inferioris fuit, inter Moſam & Rhenum, ad Ruram fluvium, ubi Ruhrmond, ut ex antiquis ſcriptoribus perſpicue demonſtrat *Lindenbrog. Gloſſar. Voc. Ripuarius pagus.* Quin ipſa illa terra eſt Ripuaria, in qua Aquisgrani Palatium fuit; ut teſtis locuples eſt Wippo *d. tract. tit. 6. de Itin. Reg. Collecto*, inquit, *regali comitatu, Rex Conradus primum per regionem NB. Ribuariorum, usque locum, qui dicitur Aquisgrani palatium, pervenit; ubi publicus thronus regalis ab antiquis Regibus, & a Carolo præcipue locatus, totius regni Archiſolium habetur.* (4) Ex eodem hoc loco perdiſcimus, quorum fuerit jus Comitiorum Regni: etſi enim Wippo dicit: *Cunctos Primates regni conveniſſe*; tamen in ſequentibus refert, populum interfuiſſe; cui & ipſe Conradus in ſua allocutione jus hoc aſſerit, & deinde populus adſtitiſſe, ſententiam Moguntini rogaſſe, & clamore adſenſiſſe dicitur *d. loc.* Enimvero nemo quisquam dixerit, ſingulos totius Germaniæ utriusque cives una & per ſe adfuiſſe, ſed per ſuos Magiſtratus regni immediatos, eorumve legatos comparuiſſe: quod & ex ipſo hoc Wipponis loco palam eſt: tum quia Proceres iſti vel Magiſtratus comparentes in Comitiis, omnes ſunt æque immediati, adeoque verbis, *cunctorum Primatum*, omnino comprehenſi:

tum, *quia vires ac viſcera regni* conveniſſe dicuntur; non itaque totum regnum, ſeu omnes regni cives ſigillatim. Quo proinde loco maxime confirmantur, quæ tradita ſunt in *Autonom. Cap. 22.*

20. Atque hinc igitur conſtat, terram Rhenenſem tum *Lotharingiæ* nomine veniſſe. Eandem autem etiam *Belgicam* dictam vulgo fuiſſe, non minus indubitatum eſt. Idque liquet cum ex Viterbienſis & Maſſonii, tum ex cæteris locis, quos adduximus *ſup. §. 16. 17. & 18.* ubi terra, cujus Dux fuit Giſelbertus, Dux Lotharingiæ, vocatur *Belgica.* Sed & alia idem probant. Notum ſcil. eſt, quantopere de Lotharingia decertarint Reges Germaniæ cum ſuperſtitibus in Gallia Regibus Carolingis; qui toties fide jurata ea ceſſerunt, & rupta, eam iterum invaſerunt. De ea re *Witechind. Annal. Lib. I. apud Meibom. tom. I. fol. 637.* inquit: *Unde usque hodie certamen eſt Regibus Carolorum & Francorum Orientalium ſuper regno Lotharii.* Idem certamen referens Friſing. *Chron. Lib. 6. Cap. 18. & Cap. 19.* hanc terram, quam Witechindus *Lotharingiam* dixit, ipſe perpetuo *Belgicam* vocat, & *d. cap. 18.* ita loquitur: *Itaque dum Henricus* (Auceps) *de* BELGICA *cum Carolo diſceptaret, die Bunnæ conſtituta,* BELGICA *Henrico ceſſit.* Et *cap. 19. Igitur Ludovicus, Caroli filius,* BELGICAM, *quam pater (ut ſupra dixi,) perdiderat, recipere geſtiens,*

geſtiens, Alſatiam ingreditur. Et paulo poſt: *Rex vero rurſum Belgicam ingreditur, totamque in deditionem accepit, & exhinc Provincia illa a Regibus Teutonicorum absque contradictione poſſidetur.* Idem de eadem lite Viterb. *Part. 17. in Otton. I. pag. 552.* paribus prope verbis ſic refert: *Rex Otto iterum Belgicam ingreſſus, totam in deditionem redegit: & ex tunc omnes Teutonici Reges ſine contradictione Belgicam ſemper tenuerunt.* Conſtat vero, hanc litem inter utriusque Franciæ Reges de *Lotharingia* fuiſſe: idemque quod hic de *Belgica terra* refertur, alii magno conſenſu tradentes eandem terram *Lotharingiam* vocant. Quod & ipſe Viterb. *Part. 17. ad ann. 815. pag. 538.* expreſſe ſic explicat: *Lotbario a Moſa usque ad Rhenum fluvium,* GALLIA BELGICA *ceſſit; quæ usque hodie NB. Lotharingia, ſuo nomine, ſolita eſt appellari.*

21. Nec vero terra Rhenenſis tantum Lotharingiæ & Belgicæ nominibus indicata, ſed & *Auſtraſia* dicta, quin ipſa genuina ac primigenia quaſi Auſtraſia fuit. In hac enim terra primum cœpit nomen Auſtraſiæ; quæ cis Rhenum in Gallia Belgica inter Rhenum & Moſam ſita eſt. *Aimoin. Lib. 1. Cap. 5. in fin. Viterb. Part. 17. pag. 538.* &c.

22. Etenim in iſta terra Belgica Franci Germani ſuperato Rheno primum conſedere, & ſub Meroveo Rege ſedem regni fixerunt. *Thuan. Hiſt. Lib. VIII. ad ann. 1552. ubi de rebus ger-*

germaniæ agit, atque inde ultra Moſam Belgica Gallia ad Ligerim usque & ultra occupata, hanc ulteriorem, ſeu trans-Moſanam, verſus occaſum, *Weſtraſiam*, id eſt, *occidentalem* ſeu *novam Franciam*, & corrupte *Neuſtriam*; illam priorem vero, & citeriorem, ſeu cis-Moſanam, verſus Rhenum & ortum, *Auſtraſiam*, id eſt, *Orientalem Franciam* dixere. Vid. *Autonom. d. cap. 22. §. 4.* Et hinc, cum hæc Auſtraſia & Francia noſtra trans-Rhenana, primæva Francici regni matrix (vid. *Obrecht. in Prodr. cap. 5. pag. 30. 31. 33. & ſeqv.*) regnum Franciæ componerent, utraque Provincia, uti in regni, ita & in nominis communionem unitatemque coaluit; & cum ipſum hoc regnum, tum quicquid verſus ortum ei armis adquiſitum fuit, nomine *Auſtraſiæ*, ſeu *Orientalis regni*, comprehenſum eſt; *Hadr. Valeſ. Rer. Franc. Lib. 7. apud Obrecht. Prodr. cap. 5. pag. 34. in fin. & pag. 35.* & merito, quia contemplatione Weſtraſiæ ea omnia in ortum ſpectant. Atque ita hæc terra Rhenenſis tum primum *Auſtraſia*, olim *Belgica*, poſtea, cum ex diviſione Lotharii Cæſaris inter tres filios, in portionem Lotharii junioris veniſſet, inde *Lotharingia* audivit; ex quo obſolevit Auſtraſiæ appellatio.

23. Atque in id conveniunt Annales. Et Thuan. *d. loc.* de his locis Galliæ Bellicæ inter

ter Moſam & Rhenum, ita ſcribit: *Nam conſtat, Francos, qui circa A. C. 420. in Galliam deſcenderunt, iis in locis primum conſediſſe, ac ſub Merovingis, qui Francorum regnum condiderunt, tota ea regio ſub Auſtraſiæ nomine Francici juris fuit.* Et Rob. Gaguin. *de Francor. Geſt. in Carol. Calv. Lib. 5. pag. 66.* ubi de diviſione regni a Lothario Cæſare inter tres filios, Ludovicum, Carolum, & Lotharium facta, agens, ait: *Lotharius* (minor) *Auſtraſiam accepit.* Acceperat autem eam partem, quæ poſtea ab eo *Lotharingia* vocata fuit. Idque clariſſime docet P. Æmil. *Lib. 3. in Carol. Calv. fol. 83.* ubi de eadem diviſione Lotharii Cæſaris inter filios, inquit: *Lothario* (juniori) *alteram* (Burgundiam) *attribuit, cum ea, quæ Auſtraſia fuerat antea, tum Lotharingia, pro Lotariana, dici ab Rege ſuo cœpit.*

24. Apparet igitur, quam enormis ſit iſte error Autoris, duas provincias & Ducatus diverſos, Franciæ & terræ Rhenenſis, miſcentis, & confundentis. Apparet item, quæ ſit genuina illa terra Rhenenſis, quæ una eſt ex 4. provinciis Teutonicis, vulgo die vier Landen, præter Saxoniam, quæ quinta, & poſtea a Maximil. I. in duas diviſa fuit. Vid. *J. Publ. Cap. 5.* Atque hoc primum eſt membrum: ex quo ultro ruunt duo reliqua membra, non minus erronea: immodica ſcil. extenſio terræ Rhenenſis, & immenſa illa terrarum, quas

Eber-

Eberardo Autor tribuit, ſpacia, plane imaginaria.

25. Terram Rhenenſem primum quod ſpectat, patet ex dictis, per eam intelligi illam Galliæ Belgicæ partem, quam Franci ſub Meroveo Rege primum inſedere, & in qua fuit Germania II. ſeu inferior, *ſup.* §. 14. *&* *ſeqv.* Nam Germaniæ I. ſeu ſuperioris terras occupaverant Svevi ſeu Alemanni; easque tenebant adhuc tempore Clodovei M. ante prælium Tolpiacenſe: quo quidem jure belli quæſitæ ſunt Victori Clodoveo & Francis: Verum ex hac victoria non ceſſerunt illa terræ Rhenenſi, neque Ducatui Franciæ; ſed regno Francorum, quod ex duabus his provinciis, Francia & terra Rhenenſi tum conflatum & conſtitutum fuit. Eodem itaque jure, quo ipſa Svevia devicta, etiam hæc Svevorum pars & terra in jus ac ditionem regni & populi Francici conceſſit; ſcilicet, ut provincia jure belli a Francis occupata; quæ non minus tamen ac ipſa Svevia a regno, ejusque duabus provinciis originariis, Francia & terra Rhenenſi, diverſa manet; perinde ut Bavaria & Saxonia, quæ pari victoriæ lege regno Franciæ quæſitæ ſunt, ab eo tamen manent diſcretæ. Sunt enim terræ, bello victæ, acceſſiones regni, ab ipſo regno diſtinctæ, nec adeo cum eo confundendæ: quemadmodum aliud eſt res ipſa; aliud rei acceſſio.

26. Ve-

26. Verum oſtendimus jam dudum, terras bello victas, quamvis re diſtinctæ ac ſeparatæ a regno: attamen, ſi non & ipſæ integram per ſe conſtituant provinciam, accenſeri ſolere iſti provinciæ juris Teutonici, cui vicinæ ſunt; uti Venedorum terræ, de Vandalia bello captæ, adnumerantur Saxoniæ. *Vid. J. Publ. Cap. 3. §. 3.* Ita & hæ terræ ſuperioris Germaniæ accenſeri potuerunt vel Sveviæ, cujus etiam pars fuere; vel terræ Rhenenſi, cui vicina & continens terra eſt. Erit igitur hæc terra ejusdem juris & conditionis, ut Svevia, quippe una pariter victoria, unaque armorum ſorte parta; nimirum terra a regno Franciæ ac terra Rhenenſi, cæterisque regni partibus ſeparata, ſed cum reliqua Svevia devicta acceſſio regni, ei immediate ſubjecta, ſub Merovingis & Carolingis autem, utpote deficiente autonomia, non ſui juris ſeu libera, quam tamen differentiam ſub Henrico I. ſublatam vidimus; de quo late in Autonom. *cap. 22. ſeqq.*

27. Habuit autem hæc Auſtraſia primitiva, ſeu terra Rhenenſis, aut Lotharingia, fines a meridie & ortu Vogeſum montem, ab occaſu Moſam: cætera Rhenus & Oceanus claudit. Vogeſus eam verſus meridiem a Sequanis, vel Burgundis, verſus ortum ab Alſatis ſeparat. *Zeiler. Germ.* Moſa fluvius, a Weſtraſia; Rhenus a tribus provinciis trans-Rhenanis.

28. Nec

28. Nec turbare debet, quod Lotarii junioris regnum latius patuit: quippe qui & Alſatiam accepit, & alteram Burgundiarum habuit. Primo enim id non impedit, quo minus ſua cujusque terræ conditio integra permanſerit, & terræ illæ cum inter ſe, tum a regno Lotharingiæ diſtinctæ fuerint: ut ſupra oſtendimus. Deinde has terras ex alia cauſa, vel alio jure habuit: Burgundiam ſcil. non ex partitione patris, ſed deinceps ex ſucceſſione fratris Caroli. Et Alſatia ſpecialiter adjecta fuit, ut æquarentur portiones; mox vero iterum inde avulſa, & Ludovico Germanico reddita, deinde Lotharii filio Hugoni donata. Quæ dilucide exponit *Obrecht. Prodr. Cap. 6. pag. 55. & multis ſeqq.*

29. Conſpectus itaque rei, ut in pauca contrahatur, hic eſt: In portione Lotharii majoris, Cæſaris, tria regna integra fuere, inter tres filios diviſa; Regnum Italiæ, quod Ludovico; Regnum provinciæ ſeu Arelatenſe, quod Carolo; Regnum Auſtraſiæ, quod Lotario ceſſit; inde *Lotharingia* dicta; quod & planiſſime *Viterb. Part. 17. in Lothar. Imp. pag. 539.* ita refert: *Lotharius regnum partitur; Ludovico Italiam; Lothario Lotharingiam; Carolo provinciam tradens.* Et ita pariter, *Pap. Maſſon. Lib. 2. pag. 130.* Regno Caroli acceſſit una Burgundiarum: (altera enim pertinuit ad regnum Caroli Calvi) Regno Lotharii

tharii Alſatia. Quo facto junctæ ille fuerunt portionibus Caroli & Lotharii, non confuſæ cum regnis. Quin ne terris quidem permixtæ aut incorporatæ, ſed perſonis datæ ex altero regno. Ita Burgundia illa citerior, olim Sequanorum dicta, (uti altera Æduorum,) manſit pars Burgundiæ, & ex eo regno attributa eſt Carolo. Ita Alſatia pars Sveviæ ſeu Alemanniæ devictæ, & ex ea provincia Lothario conceſſa eſt. Quemadmodum in pari diviſione regni Franciæ Orientalis inter tres filios Ludovici Germanici, Carolomannum, Ludovicum & Carolum, idem notavit *Lib. 2. ad ann. 876.* doctiſſ. Rhegino (ut eum laudat Conring.) *Ludovicus ſortitus eſt Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & NB. partem regni Lotharii,* (ſcil. quæ fuit inter Rhenum & Moſam,) *Carolus Alemanniam, & NB. aliquas civitates ex regno Lotharii,* ſcil. Moguntiam, Spiram & Wormatiam, quæ acceſſerant portioni Ludovici Germanici *propter vini copiam. Vid. Friſing. Chron. Lib. 6. cap. 6. & Viterb. Part. 17. ad ann. 874. pag. 542.*

30. Iidem itaque fines ſunt terræ Rhenenſis, Lotharingiæ veteris, ſeu Auſtraſiæ primitivæ cis-Rhenanæ; nimirum intra Moſam & Rhenum, usque ad montana Vogeſi; ab inde enim ex una parte incipiunt fines Sequanorum, ſeu Burgundiæ; ab altera, Alſatiæ; illa ad regnum Burgundorum pertinuit;

h nuit;

nuit; hæc ante pugnam Tolpiacam, ad regnum Alemannorum; quæ alterius fuere rationis. Craſſiſſimus ergo error autoris eſt, cum terram Rhenenſem ab inferioribus Rheni partibus extendit ad extrema Alſatiæ, adeoque confundit ejus fines cum finibus utriusque Germaniæ cis-Rhenanæ: illam enim his finibus contineri patet ex *Itinerario Anton. pag. 83. rubr. A Lugduno capite Germaniarum*, Argentoratum: Lugdunum enim (Leiden) Rhenus interluit, Germaniæ limes; & ultra Alſatiam Sequani & Maxima Sequanorum fuit.

31. Hinc jam evaneſcunt pariter illa maria & montes vaſtiſſimarum terrarum ac ditionum Eberardi, & immanis ille hiatus, quod iſte has terras cis Rhenum, ab ejus ferme capite & fontibus usque ad oſtia & exitum, una cum Francia trans-Rhenana, ſolus poſſederit, nec Giſelbertus glebam terræ in tam vaſtis terrarum Eberardi regionibus habuerit. *Vid. Aut. fol. 131. in fin. & fol. 135. in princ. &c.* Vidimus enim e contrario, Giſelbertum omnem hanc terram Rhenenſem ſeu Lotharingiam, quæ & vetus Auſtraſia fuit, ſolum, nec Eberhardum ullam ejus partem habuiſſe, ſed hujus terram vel Ducatum Franciam trans Rhenum fuiſſe: exceptis tribus illis civitatibus, Moguntia, Spira, & Wormatia, quæ ex priſtina illa diviſione trium filiorum Ludovici

ci Pii, poſt pugnam Fontoniacenſem, propter vini copiam, Ludovico Germanico, ejusque regno adſcripta fuere: ut ex *Annal. Bertin. ad ann. 843. Regin. ad ann. 842. & ex Sigeb. ad ann. 844.* liquet. Vid. *Dn. Obrecht. in Prodr. cap. 6. pag. 53. & ſeqv.* Reliqua illa immenſa ſpatia mere imaginaria, nec niſi in Autoris cerebro vaniſſime confiđa ſunt. Quod vel tum maxime intelliget, ſi quis inſpexerit loca Dn. Autoris, quæ ad rem probandam affert. Et quidem locus Chronici Laurish. in quo arcem ſententiæ ſuæ ſtruit, jam exploſus eſt *ſup. §. 5. & 6.* quippe qui loquitur de regno Franciæ, quod Conradi I. tum Regis, fuit; non de Ducatu Franciæ, ſeu terra, quæ Eberardi fuit, ut Dn. Autor fabulatur.

Non minus immanis eſt error, cum abutitur duobus aliis locis, quorum alterum *fol. 135.* ex Witechindo *Lib. 2. fol. 648.* refert: *Erat* (Otto I. Imp.) *pugnans contra Briſeg, & alias urbes*, quæ erant Eberardi ditionis. Alterum *fol. 134.* & iterum *d. fol. 135.* ex *Chronico Auſtrali ad ann. 939.* ubi Eberardus dicitur *Comes Alſatiæ.* Vt autem appareat, quam mutilis ſuis allegationibus imponat Dn. Autor Lectori, advertenda eſt cauſa & occaſio, ac tempus hujus expeditionis. Eberardus enim Ottoni I. rebellis, & ab eo jam pulſus & proſcriptus, confugerat, ſeducto prius a fide Cæſaris Giſelberto, ad Ludovicum, Regem We-

 ſtraſiæ

ſtraſiæ ſeu Galliæ, qui duorum horum Principum perſvaſionibus motus, bellum, eorundum ductu, Ottoni Cæſari intulerat; Alſatiam invaſerat, eique armis occupatæ Eberardum titulo Comitis præfecerat: atque ita Eberardus Briſacum & alias urbes Alſatiæ ſub ditione ſua tunc habebat, utpote auſpiciis Regis Galliæ, adeoque jure belli captas. In hos igitur Cæſar duxit, eo ſucceſſu, ut in hac ipſa expeditione Eberardus gladio, Giſelbertus aquis Rheni perierint, & Ludovicus, Rex Galliæ, prælio victus, Alſatia & omni regno Lotharingico ceſſerit. Hoc ita evidenter exponit *Sigeb. Chron. ad ann. 943.* ubi ita rem narrat: *Otho Rex obſedit Briſagam oppidum Alſatiæ, quod NB. Ludovicus Rex per milites Eberardi & Giſelberti tenebat. In qua obſidione, ſvaſu Friderici, Moguntini Epiſcopi, qui animo jam ab Imperatore defecerat, multi ab Imperatore defecerunt, eaque re aliis territis ſolus Rex interritus manet. Interim fideles Regis Eberardum & Giſelbertum, prædando regno ſecure intentos, juxta Rhenum inopinato aggreſſi acerrime debellant. Eberardo gladiis peremto, Giſelberto autem Rheni undis ſubmerſo, cæterorum vix aliquis fugit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur. Hoc nuncio infideles Regis corde franguntur, & NB. Ludovicus ab Alſatia diſcedit.* &c.

Paria habet *Regin. Chron. Lib. 2. ad ann. 939. fol. 438. Eberardus*, inquiens, *& Giſelbertus cum*

Hen-

Henricho, fratre Regis, adverſus Regem conjurant &c. Tunc Rege Lotharingiam, ubi tunc rebellionis ſumma gerebatur, adeunte, Giſelbertus cum fratre Regis tranſitum Rheni Regi probibere volens, nec valens, juxta Biertanam ſociis Regis congreditur, Deoque victoriam præſtante, plurimis ſuorum occiſis, aliisque fugatis, ipſe & frater Regis fugæ ſubſidia petunt. Quos Rex inſequens, usque ad Caprimontem pervenit, caſtellumque in eo ſitum firma undique obſidione circumdedit. Interim NB. Ludovicus, Rex Galliæ Romanæ, filius Caroli, conſilio inimicorum Regis, ſub obtentu requirendi Lotharienſis regni, quod pater perdiderat, NB. Alſatiam invaſit &c. Quod Rex Otto patienter non ferens, Caprimontem obſidione abſolvit, & Alſatiam petens, Ludovicum Regem expulit. Quo expulſo, Briſacum, caſtellum munitisſimum obſedit &c. Tum porro: *Giſalbertus & Eberardus juxta Anternacum caſtellum cum ſuis Rhenum tranſituri, ab Udone & Chuonrado, cæterisque Regi fidelibus, ne tranſeant, bellica congreſſione citoque mortis compendio impediti: nam Eberardus occiditur, & Giſalbertus in Rheno ſubmerſus necatur &c. Quo audito, Briſacenſes Caſtellani regiæ dominationi ſubduntur; caſtellum obſidione abſolvitur. Tunc iterum Lotharienſes adiens omnes ſuo ſubjugavit imperio.*

Item *Otto Friſing. Chron. lib. 6. cap. 19.* de Ottone I. hæc refert: *Hic Belgas, conſilio Giſilberti Ducis tranſitum Rheni probibere nitentes, in*

 fugam

fugam vertit, ac caſtrum in monte Capri ſituatum obſidione cinxit. Igitur NB. Ludovicus, Caroli filius, Belgicam, (i. e Lotharingiam, *ſup.* §. *36. & ſeqv.*) *quam pater* (Carolus ſimplex) *perdiderat, hac occaſione recipere geſtiens, Alſatiam ingreditur. Quo audito Rex* (Otto I.) *obſidionem Caprimontis ſolvit, pulſoque Alſatia Ludovico, Breſacum obſedit. Inter hæc Giſelbertus Dux fugere volens, Rheno ſubmergitur, cæterique in fugam, cæſis plurimis, vertuntur. Quo comperto Breſacenſes Regi caſtrum dediderunt. &c.* Conveniunt etiam, quæ *Urſperg. Chron. in hiſtor. Ottonis I.* recenſet; ubi præmittit *fol. 156.* quomodo Eberardus Henricum, Ottonis fratrem, ceperit, & cum illum, tum Giſelbertum, in partes ſuas traxerit, & cum hoc rebellionem paraverit; quem locum jam *ſup. Cap. I.* §. *19.* exhibuimus. Tum pergit *fol. 157. Eſt autem in confinio Alſatiæ caſtellum, vocabulo* Briſach; *quod fertur olim fuiſſe illorum, qui Harelungi dicebantur; tunc autem temporis erat in ditione Eberardi, in quo ipſe ſuorum multitudinem poſuit militum. Quorum terrore non ſolum magnam partem præfatæ provinciæ ſibi vindicabat, verum etiam circa fideles Regis miſere laniabat.* Et mox: *Eberardus autem & Giſelbertus, audientes Regem eſſe in partibus Alſatiæ, collecto permagno exercitu, alveum Rheni apud Andernacum tranſeunt.* Tum porro refert, ut Duces Ottonis Imperatoris eos a præda reverſos, jamque Rhenum tranſituros aggreſ-

aggreſſi fuderint, eoque prælio uterque, prout dictum, perierit.

Tantum abeſt igitur, ut Dn. Autor his locis probaverit, Eberardum fuiſſe Ducem terræ Rhenenſis, quin immenſa terrarum ſpacia habuiſſe, ut e contrario tum regno expulſus & proſcriptus, ab imperio nullam terræ glebam, antea vero nunquam aliquid extra Franciam trans-Rhenanam habuerit; Briſacum vero & quicquid in Alſatia tum tenuit, non ab imperio vel Imperatoribus, ſed ab hoſte; non ut imperii Princeps, ſed ut transfuga & prædo, & perduellis tenuerit. Nam & Meibomius *Vol. I. in notis ad Witech. fol. 690.* & iterum *fol. 698.* ex Reginonis continuatore docet, Moguntinum, qui & ipſe tum a perduellium partibus ſtabat, *& Briſaci in caſtello tum habitabat, illud latibulum præbuiſſe ſemper DEO Regique rebellantibus.* Ut taceam, quam abſurdum ſit, quod ex Dn. Autoris ſententia ſequeretur; Eberardum totum regnum Franciæ in Ducatum ſuum habuiſſe; Giſelbertum vero, qui regni archi-officium geſſit, in toto regno ne glebam quidem terræ. Sed nimis immoror tam fabuloſis aſſertionibus.

CAP. III.

Nihil intereſſe, Eberardus Marchio, Dux, an Comes Franciæ dicatur; ubi de Dn. Autoris ſtudio cavillandi verba ac nomina, & de vario Comitum Palatinorum ſignificatu; ad §. 17. ſeqv.

I.

Solenne eſt Dn. Autori, hærere in cortice nominum, & verba captare, etſi de re appareat. Ita jam vidimus, quam inepte opponat, nec civitatem, nec Palatium Aquisgrani a veteribus nominatum fuiſſe Rhenenſe. Etenim Rhenenſis dicitur civitas, quia ad Rhenum ſeu in terra Rhenenſi urbs cum ſuo Palatio ſita eſt: idque ex oculari evidentia liquet; quæ pluris eſt mille nominibus: hæc cum ſignificandarum rerum cauſa reperta ſunt, ridiculum eſt, nomina requirere, ubi de re conſtat. §. *29. Inſt. de Legat. L. 9. §. 1. de Contrab. emt.* &c. hodieque inter Rhenenſes numeratur. Similiter, Giſelbertum non fuiſſe ab illis vocitatum Comitem Palatii Rhenenſis; quaſi vero perſona nominata, omnium functionum tituli ſimul cumulandi ſint. Dictus

Dictus ille fuit Dux Lotharingiæ, ſeu Belgicæ: & quæritur: Anne his Ducibus connexus fuerit Comitatus Palatii regni, quod in ipſorum Ducatu fuit? non vero, a Ducatu ſuo, an ab hoc Comitatu ipſum appellaverint Scriptores? Item an primum Comes, deinde Dux Lotharingiæ dictus fuerit? Quæ futilia ſunt, & cauſam non decidunt.

2. Ita operoſus eſt in adſerendo, Franciam Marcam, & Eberardum Marchionem Franciæ dictum fuiſſe. Quæ res quæſtionem noſtram non contingit. Quærimus enim, qualis fuerit potentia Principum provinciarum in ſuas terras? non ſub qua appellatione illam exercuerint, aut acceperint. Quod paucis evolvere haut abs re videtur.

3. Conſtat, has provincias olim regna fuiſſe, ſed bello victas, regiam poteſtatem, quin omne imperium, niſi quod conventione vel beneficio Victoris, relictum ſit, amiſiſſe; poſt Carolingos autem, cum ad priſtinam poteſtatem denuo adſpirarent, tandem tamen Regnum Ducatus formula, quæ poſt regiam ſumma erat poteſtas, mutarunt. Quod ipſum quoque docent vetuſta jura Teutonica. *Weichbild. art. 7. in fin.* ubi de 4. provinciis, von den vier teutſchen Landen, dicitur: *Regna fuere; poſtquam vero imperio ſubjugatæ ſunt, in Ducatus nomina transmutantur.* Idem totidem verbis traditur in *Spec. Sax. Lib. 3. art. 53. §. 1.* & pa-

riter in *Spec. Saev. Part. I. cap. 19. rubr.* von den vier Landen. *Vid. J. publ. Cap. 15. Sect. 2. §. 17.*

4. Ita provinciis hiſce in Ducatus formam transmiſſis, inhæſit iis poteſtas Ducalis, id eſt, ſumma a Rege. Quo factum eſt, ut qui his Ducatibus proprio jure præpoſiti fuere, ſummi Principes, quocunque dignitatis charactere, aut poteſtatis nomine inſignirentur, ſub illo poteſtatem Ducalem, id eſt, a Rege ſummam, exercuerint, in tantum, ut ab ævo Friderici I. iſti 4. provinciarum Duces omnes peculiari dignitatis nota diſtincti fuerint, nec niſi unus Ducis nominatione compellatus fuerit; ſcil. Rex Bohemiæ, Comes palatii ad Rhenum, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandenburgicus; qui 4. Archi-officia geſſere in Curia Friderici I. apud *Arn. Lub. Chron. Slav. Lib. 3. cap. 9. Vid. J. publ. Cap. 12. §. 7. 8.* & recenſentur jam ut perpetui Archi-officiales regni in *Spec. Sax. lib. 3. art. 57. §. 2.* atque ex eo tempore ad noſtram usque memoriam continuarunt.

5. Iſti tamen omnes pariter cum Ducali, id eſt, ſecunda a Rege poteſtate, & terræ ipſorum Ducatus, ipſique adeo æque Duces fuere; & pro talibus hodienum habentur. Hoc enim eſt, quod de provinciis Teutonicis in Weichbild, & utroque Speculo dicitur, *in Ducatus mutatas fuiſſe, ſup. §. 3.* Hinc & omnes promiſcue ac pariliter Duces ſalutati

tati fuere: ita *Witech. Lib. 2. cap. 1.* inquit: Duces *miniſtrabant. &c. & Ditm. Lib. 4. pag. 67. Quatuor adminiſtrabant* Duces. Ita Eberardus fuit comes Franciæ, uti a Luitprando coævo, aliisque vetuſtis autoribus dicitur *ſup. Cap. I. §. 14.* Idem tamen & Dux vocatur. *Regin. Lib. 2. Annal. ad ann. 937. fol. 438. Hepidann. Annal. ad ann. 938. apud Goldaſt. Rer. Alemann. Tom. I. Part. 1.* & e contrario Giſelbertus *Comes Lutaringorum. Ditm. Lib. 2. pag. 38.* Quemadmodum Henricus Auceps Dux Saxoniæ fuit, & tamen Comes quoque dicitur. *Herm. Contr. ad ann. 919.* Et in regno Burgundiæ non fuere Duces, ſed Comites; qui ſummam ſecundum Regem poteſtatem habuerunt; ex quo *Ditm. Lib. 7. pag. 201.* recte concludit: *ipſos habuiſſe Ducalem poteſtatem:* Nullus enim inquit, *ibi Comes vocatur, niſi is, qui Ducis honorem poſſidet.* Nec mirum, ſi reſpiciamus potentiſſimos illos Comitatus Provinciæ, Burgundiæ, Campaniæ, Flandriæ, Sabaudiæ, &c. qui ſinguli certare opibus cum regno poſſent. Hi omnes Comites ſummam ſecundum Regem poteſtatem habuere in ſuas terras, perinde ut Duces; adeoque Ducalem poteſtatem. Atque ita pariter Eberardus Ducatum Franciæ & Ducalem in eam poteſtatem ſub appellatione Comitis habuit.

6. Ut adeo nihil vanius, aut magis putidum ſit, quam tam otioſe quærere, Dux, Comes

Comes, an Marchio dictus fuerit Eberardus, cum Francia tamen Ducatus fuerit, & proinde is, qui cum ſumma poſt Regem poteſtate illi præfectus eſt, etſi titulo ac nomine Comitis, re tamen poteſtatem Ducalem habuerit, atque inde rectiſſime Dux quoque dictus fuerit.

7. Unde & fatendum eſt, non minus otioſam quæſtionem eſſe de Gerone, laudatiſſimo olim Marchione Brandenburgico, cui in monumento Illuſtriſſimi Ducis nomen adſcriptum fuit; ideone id factum ſit, quod Dux belli fuerit, an, quod Ducatum habuerit? Cum enim in Vandaliæ provincia ipſe poteſtatem Regiæ proximam, & adeo habuerit, ut, qui reliqui in ea fuere Slavicæ Gentis Principes, ejus autoritatem revereri oportuerit, certum eſt, ipſum cum poteſtate Ducali fuiſſe, & Ducatum habuiſſe. *Vid. J. publ. cap. 12. §. 2. & cap. 15. §. 39.* Unde & illa inanis & monumenti memoriæ parum apta verbi captatio foret, cum a ſola ambulatoria & momentaria adminiſtratione, quæ omnibus momentis auſferri poteſt, & nec ad vitam fere durare aut retineri ſolet, non autem a perpetuo illo Ducatus, quem tenuit, honore ita in monumento cognominatum fuiſſe. Sufficit igitur, Geronem Ducatum habuiſſe; quemadmodum & hæc *Marchia* ſpecialiter quoque *Ducatus* appellata fuit; ut apud *Cuſpin.*

in

in Ludovico Bavaro, in princ. ubi dicitur: *Cæſarem, Woldemaro Marchione mortuo, NB.* DUCATUM *filio ſuo* (Ludovico) *ſibi & poſteris ſuis poſſidendum dediſſe.* Atque hinc Gero Marchio, ab omnibus Marchionibus inſignite diſtinctus, & cum *omnium Marchionum præcipuus, apud Reginon. ad ann. 965. fol. 444.* tum *Orientalium Marchio* apud *Ditm. Lib. 2. pag. 25.* ſingulariter appellatur; quo eximii aliquid connotari videtur, quod nulli cæterorum Marchionum commune fuit: & vix aliud intelligi poteſt, quam id, quod ſolum quidam Principes præ reliquis Principibus & Marchionibus præcipuum habebant, Ducalis ſcil. poteſtas, quæ propria & ſumma poſt Regem in tota Provincia fuit: cum reliquorum Principum adminiſtratoria ſaltem tum adhuc eſſent in partibus Provinciarum officia. Vid. *J. publ. Cap. 15. §. 14.* atque adeo cum hac poteſtate unus ſaltem in regno Orientalium Marchio. Sed & alia cauſa eſt, quæ Ducatum Marchiæ ab omni dubio abſolvit; quod Archi-officium & Electoralis dignitas ei accreverit; quæ nunquam niſi Ducibus permiſſa fuit: ejusque rei expedita ratio eſt, ut ſumma ac primaria regni dignitas & gubernatio nonniſi regni Primatibus, qui Duces erant, *J. publ. Cap. 12. §. 4.* conferretur. Unde illud in primis certum eſt, Marchiam, ex quo Electorale Archi-officium ei acceſſit, ex hac quo-

que

que cauſa fuiſſe Ducatum; cum omnes Electoratus ſine dubio Ducatus, & omnes Electores ſint Duces, alle Churfürſten ſind Hertzogen: tum quia iidem illi ſunt, qui olim Duces provinciarum. Vid. *J. publ. Cap. 10. §. 1. cap. 12. §. 2. & cap. 15. §. 14.* tum quia major quoque eorum & eminentior poteſtas eſt, quam cæterorum Ducum; uti diſerte in *Ordin. Regim. de anno 1500. Rubr.* Von der Churfürſten ꝛc. dicuntur die fürderſten und treflichſten Stände des Reichs; & in A. B. aliisque paſſim Imperii conſtitutionibus *baſes & columnæ Imperii.* &c. Cui conſequens eſt, ipſos, etſi alio nomine, ut Comitum, Marchionum &c: appellentur, tamen Duces, nec Duces ſaltem, ſed & Ducum præcipuos ac primarios eſſe, propter cohærentem archi-officii eminentiam, cæteroſque longe anteire; adeo, ut Archi-Ducibus quoque præferantur. Ita Status Evangelici in libello Cæſari *anno 1598.* exhibito Ottonem Henricum, anteceſſorem Friderici III. Electoris Palatini, Ducem appellant: apud *Lehmann. in Act. publ. Pac. rel. Lib. 2. cap. 69. pag. 541. a. 16.* Friedrichs des Dritten Pfaltz-Graff Churfürſten nächſten Vorfahren an der Chur, NB. HERZOG Ott Henrich ꝛc. Atque ita in pactis gentilitiis Sereniſſimæ Domus Palatinæ *anno 1551. & anno 1553.* inter omnes Principes Palatinos ſolenniter initis & conventis, omnes nominantur

ſemper

ſemper Herzogen; nec unquam aliter in textu: Nam & ita concludunt: Des zu beſtem wahren Uhrkund, haben Wir Pfalz-Graff Friederich Churfürſt, Herzog Ott Henrich, Herzog Wolffgang/ Herzog Hans, Herzog Wolffgang von unſers Pfleg-Sohns Herzog Georg Hanſen wegen Herzog Friedrich/ und Herzog Georg dieſe Einigung unterſchrieben ꝛc. & tum iidem ſeſe non ſubſcribunt niſi Pfalz-Grafen; adeo utriusque nominis eadem vis ac poteſtas viſa fuit. Unde cum duo Henrici, Superbus & Leo, duos Electoratus una poſſiderent, Saxoniam & Bavariam, idque improbarent Cæſares, Conradus III. & deinde Fridericus I. decreverunt, *injuſtum eſſe, quenquam Principum duos tenere Ducatus. Helmold. Chron. Slav. Lib. 1. cap. 54. n. 7. Abb. Stad. ad ann. 1138. Cranz. Saxon. Lib. 6. cap. 8.* Atqui lis tantum fuit de Electoratibus: Alios enim Principatus plures alii quoque, quin ipſi Cæſares, Sveviæ Duces, habebant. Electoralibus autem Ducatibus cohærebant Archi-officia, ad gubernationem imperii & aulæ lege publica inſtituta, & certo numero cum in ipſo Imperio, tum ad honorem Imperii, paria in aulis Ducum definita; quem proinde non truncari, ad decus Imperii pertinere viſum eſt. Atque ideo Cranzius *d. cap. 8.* porro inquit: *Cenſuiſſe Cæſarem, decus regni eſſe, in duobus Ducatibus duos eſſe Duces.* Per hos igitur *Electoratus* intel-

intelliguntur: Neque enim hoc nomine, quod tunc adhuc inſolens & inauditum erat, ſed *Ducatus* vocabantur: & licet tunc jam alii quoque Ducatus eſſent, hi tamen, quibus Archi-officia Imperii affixa erant, primæ originis prærogativam ſervabant, & quaſi *κατ᾽ ἐξοχὴν Ducatus* & *Duces* dicebantur. Atque hic demum eluceſcit cauſa Cæſarum, cur duos hujusmodi Ducatus in unam perſonam concurrere noluerint. Sane enim intererat ipſorum, *quorum ſublimitati adſiſtere, & in partem ſollicitudinis conſtituti A. B. cap. ult.* §. *1.* quin, *quorum præſidio dextera Imperialis potentiæ roborari* dicitur *A. B. Cap. 3.* §. *1.* & aulæ Cæſareæ, ad cujus ſplendorem numerus quoque ſummorum Principum, curam ejus habentium, ſpectat; quin univerſi Imperii, nec non eorum, qui ipſius fulcra, Grund- und Haupt-Säulen paſſim celebrantur, (*Vid. A.B. prooem. & Cap. 3.* §. *1. Cap. 12.* §. *1. & d. Cap. ult.* §. *1. Capit. Joſeph. art. 45. &c.*) numerus ut non attenuetur. Quod & Sigismundus Imperator expreſſit in inveſtitura Electorali Saxonica apud *Hortled. de Cauſ. bell. germ. lib. 4. cap. 9.* daß es NB. UNS UND DEM H. R. REICH unbeqvemlich wäre, wo die Zahl der 7. Churfürſten unerfüllet bleiben ſolte; etſi cauſa hæc ſenſim, & præſertim ex quo Duces iſti non amplius, aut raro, per ſe Curias Imperiales ſequuntur, ſed per Legatos pleni-

poten-

potentiarios res peraguntur, plurimum remiſerit, & laxata fuerit.

Apparet ergo, ut e diverticulo in viam revertamur, hos Principes, etſi nomine ac titulo Comites, Marchiones, audiunt, poteſtate tamen ſeu a terra vel Ducatu, quem tenent, Duces eſſe & appellari; atque adeo quam ſcitisſime a Ditmaro Mersburg. obſervatum & dictum fuiſſe, etſi in Burgundiæ regno Duces non eſſent, ſed Comites, hos tamen non alios fuiſſe, quam qui Ducis honorem poſſederunt. *ſup.* §. 5. Denique manifeſtum hinc eſt, quam evanidum atque inſulſum ſit, captatis nominum umbris, corpus ipſum, de quo quæritur, expungere aut deperdere.

Et Palatinorum & Comitum nomina, ſive ſingula ſeorſim, ſive utraque conjunctim in Oratione poſita ſint, tanta ſunt latitudine, ut & ſummum poteſtatis ac dignitatis in aula & republica exprimant, & utraque ad infimorum miniſteriorum vices porrigantur. Ita enim omnes, qui in aula vel palatio miniſtrant, *Palatinorum ſeu Aulicorum* nomine veniunt, tum ſummi aulæ ſeu palatii Præſides, tum infimum ei inſervientium vulgus. Et ſic pariter de voce Comitis. Nam & jure communi fuit Comes Orientis; idemque adeo plurium regnorum, *Rubr. & tot. tit. Cod. de Off. Com. Orient. Zoſim. Hiſt. Lib.* 5. & in Francia Comites Provinciæ, Flandriæ, Campaniæ &c. *ſupr. Cap.* 3. § 5. & e contrario

trario quicunque alteri, tanquam qualitercunque principaliori, miniſtrant, Comitum, & omnia ejusmodi miniſteria Comitatus verbo continentur. *L. 7. C. de Malef. & Mathem.* verb. *in Comitatu noſtro*: & verb. *in Comitatu meo vel Cæſaris.* Et ſic cum Legatorum Comitatus nominatur, vox ea ambitu ſuo omnia ipſorum miniſteria complectitur, ut *in L. 7. π. ad L. Jul. de vi publ.* verb. *item quod ad Legatos Comitesve attinet. L. 4. in fin. Cod. de Commerc.* & ſic in Veteri fecialium formula, ſeu ut vocant, carmine: *Rex, facisne metu Regium nuncium Populi Romani Quiritium; Vaſa Comitesque meos?* Vid. *Grot. de J. B. & P. Lib. 2. cap. 18. §. 8. Kircher. de Legat. Lib. 2. cap. 1. n. 233.* Ita Tiberius, ut iter ſimularet, *legiſſe jam dicitur Comites*, i. e. miniſteria, *Tac. Lib. I. cap. 47. §. 4.* & Bomilcar, e miniſtris & ſubditis Jugurthæ, dicitur ejus *Comes. Salluſt. in Jugurth. cap. 35.* Add. *Pontan. Orig. Franc. Lib. 6. cap. 14.* Quin & inter mere privatos pediſſequi & ancillæ, quibus commiſſa eſt pueri vel puellæ cura & cuſtodia, Comites eorum vocantur; quod perſpicue explicatur in *L. 15. §. 16. 17. 18. & 19. π. de injur.* & *l. 1. §. fin.* ibi: *corrupto comite*, & *corrupti comites. π. de Extraord. crimin.*

8. Porro, quæ ſingulorum horum nominum, eadem & conjunctorum, Comitum ſcil. Palatinorum, eſt varietas & latitudo: Nam & is, cui ſaltem actus aliquis, quantumcunque levis, commiſſus eſt, uti creatio Tabellionum, legi-

tima-

timatio ſpuriorum &c. *Comes Palatinus*, & facultas illa *Palatinatus* ſeu *Comitatus Palatii* vocatur, ac ſæpe hominibus de plebe conferri ſolet. Vid. *P. Pith. de Comit. Palat. ex verſione Freber. ad tract. de Origine Palat.* Et ex adverſo culmen illud omnis potentiæ & dignitatis ſecularis pariter *Comitatus Palatii* dicitur, & is, qui ſummæ rerum Imperii præeſt, Comes Palatinus. Ita *Eginhard. in vita Caroli M. in princ.* ait: *Et opes & potentia regni penes Palatii Præfectos, qui Majores domus dicebantur, & ad quos ſumma Imperii pertinebat, tenebantur.* Tantundem dicitur in *Chron. Laurisb. in vita Bennonis, Abbatis 32. apud Freber. tom. 1. fol. 88.* de Bennone ab Abbatia extruſo, *quod per Godofredum Palatinum Rheni Comitem, (NB. cujus ſententia momentum curiæ per id temporis fuit,) reſtitutionem obtinuerit.* Sed & Juſtin. Imp. *in L. fin. in princ. C. de Temp. & reparat. appellat.* ad Tribonianum Sacri Palatii Quæſtorem reſcribit: *Ex omni provincia ad hunc ſuum ſacratiſſimum* COMITATUM *curſum ad appellationes exercendas impertitum fuiſſe.* De Quæſtoris Palatii ſumma tum dignitate, quam Tribonianus geſſit, vid. *Prooem. Juſtin. ad Inſtitut. §. 3. & ibi Harprecht. n. 5. & ſeqv.* Add. *Briſſon. de Verbor. ſignif. Lib. 15. verb. Quæſtorum.*

9. Cæterum major adhuc oritur ex vocibus Comitum Palatinorum varietas & ambiguitas, quam qua ſparguntur generalitate ſua per omnes Miniſtrorum Palatii gradus: Nam &

plurima iis ab ὁμωνυμία ineſt notio; quæ probe obſervanda. Inprimis igitur (I) duplex eſt genus Comitum Palatii Regii: Alii ſunt meri aulæ miniſtri, qui libero Regis arbitrio, ut reliqua aulæ officia, leguntur: Alii, Principes Imperii, qui autoritate vel lege publica Imperii conſtituti ſunt. Illi Regis ſunt Officiales; hi Regni: Illi his ſubjuncti ſeu ſubſtituti ſunt, & quotidiani Curiæ Regalis Miniſtri; hi illorum ſuperiores dicuntur in A. B. *cap. 29. junct. cap. 27. §. 6.* Illi aulam; hi regnum gubernant. Unde *Fredegar. Chron. cap. 75.* de Sigeberto, Rege Auſtraſiæ, ait: *Adalgyſelum Ducem ad Palatium & ad* NB. *regnum gubernandum inſtituit.* Et *Aimoin. lib. 4. cap. 35.* de Ega, Majore domus, ſeu Comite ac Præfecto Palatii (*conf. d. l. 4. c. 37.*) inquit: *Egam Palatium cum regno gubernaſſe.*

(II) Verum hi quoque Comites Palatii, qui regni fuere Principes ac Primates, diviſo ſub Merovingis, & Carolingis regno, plures ac diſtincti, & ſuus cuique regno peculiaris fuit Major domus, ſeu Palatii Comes. Ita *Aimoin. Lib. 4. cap. 39.* duos referens Majores domus, Erchinoaldum & Flaucatum, *quorum*, inquit, *unus Neuſtriæ, alter Burgundiæ poſt Regem præfuit aulæ.* Quod & refert *Fredegar. Chron. cap. 89.* Et cum inter duos Reges, Clotarium, Chilperici, & Theodoricum, Childeberti filium, bellum eſſet; illi Bertoaldus, huic Landericus, Majores domus fuere, qui, cum pacti eſſent, ſingulari

lari certamine congredi, nec alter compareret, prælio commiſſo, uterque periit. *Fredegar. Cap. 24. 25. & 26.* aliaque plura paſſim occurrunt exempla. Hi ergo, etſi omnes ſint Majores domus, & ſummi Comites Palatii, non tamen fuere Comites Palatii ad Rhenum: hoc enim nullibi niſi in Auſtraſia, ſeu terra Rhenenſi fuit; & proinde nulli quoque alibi Comites Palatii ad Rhenum.

(III) Nec tantum quodque regnum ſuum habuit Comitem Palatii; ſed & quælibet provincia Teutonica: ut ex utroque Speculo conſtat; de quo in *J. publ. Cap. 15. §. 17. & 18.*

(IV) Porro, nonnunquam *Comites Palatii ad Rhenum* quoque dicuntur, qui ipſi tales ſunt, ſed de eorum gente ſeu familia; quod ſæpius occurrit in recenſenda Epiſcoporum ſerie, quibus nomen familiare vel gentilitium adſcriptum eſt. Ita in Catalogo Archi-Epiſcoporum Trevirenſium, *n. 4. ſub ann. 1047.* (atque adeo ſub Henrico III.) memoratur *Eberardus, Comes Palatinus Rheni, apud Limn. add. 1. ad lib. 3. cap. 5.* Verum in eadem Archi-Epiſcoporum ſerie, quam exhibet *Mich. Praun.* im Adelichen *Europa, §. 732. pag. 630.* idem Eberardus non vocatur *Comes Palatinus, ſed Encelini, Comitis Palatini, filius*; quemadmodum & apud *P. Merſſaum, in Elect. Eccleſiaſt. Catalogo, Cap. 3. de Archiep. Trevir. §. 77.* Dn. Antor. vero *in Hiſtor. Palat. Cap. 10. ad ann. 1047. fol. 272.* eum *Hezelini*

 qui-

quidem, ſed *Sueciæ Comitis, non Comitis Palatini, filium* facit. Adeo vulgo hærent in hoc articulo. Id vero inter omnes conſtat, eo tempore, i. e. ſub Henricis III. & IV. nullum Eberardum fuiſſe Comitem Palatinum Rheni; quod & Dn. Autor ſupponit, & alios tunc Comites Palatinos Rheni memorat *d. cap. 10.* Alia igitur, quæ magis huc faciunt, exempla annotanda ſunt. Inter Epiſcopos Spirenſes recenſentur ſub *ann. 1529. Georgius, Comes Palatinus Rheni*, apud *Mich. Praun. dict. tract. cap. 735. pag. 638.* Vti & inter Elwacenſes Præpoſitos, & Epiſcopos Wormatienſes, *Henricus, Comes Palatinus Rheni*, apud *Mich. Praun. dict. tract. 717. pag. 598. & cap. 736. pag. 642.* ſub *ann. 1552.* Atqui uterque fuit Philippi, Comitis Palatii ad Rhenum, filius, & duorum Comitum Pal. Rheni, Ludovici V. & Friderici II. frater. *Bruſch. de Epiſcop. Germ. Cap. 6. n. 68.* Vid. *Geneal. Palat.* Ita inter Hildeſienſes Epiſcopos tres nominantur Comites Palatini Rheni: Erneſtus; Ferdinandus; & Maximilianus Henricus, apud *Mich. Praun. dict. tract. cap. 765. pag. 673.* Verum ille fuit frater Wilhelmi, Ducis Bavariæ, & patris illius Maximiliani, qui primus anno 1623. Electoralem dignitatem cum Palatinatu ſuperiore, acquiſivit; iſte ejusdem Maximiliani frater; hic alterius fratris filius: qui nunquam Palatinatum Rheni habuerunt, nec alia ratione dicuntur Comites Palatini

latini ad Rhenum, quam quia agnati ipſorum ſunt; etſi multis gradibus ab iis diſſiti; uti eorum Genealogia docet.

(V.) Sed & Palatinus Rheni aliquando dicitur, qui neque Comes Palatinus eſt, neque de Comitum familia & agnatione, ſed de terra ipſorum, die in der Pfaltz am Rhein gebohren, oder geſeſſen ſind. Nam inter Archi-Epiſcopos Colonienſes refertur *Hermannus, Palatinus Rheni*, apud *Frider. Merſſæum dict. tract. cap. 1. de Archiep. Colon.* §. 33. qui tamen non fuit de familia Principum Palat. Rheni, ſed Nobilis de terra Palatinatus Rhenenſis, ſeu inferioris, oriundus, einer von Adel, gebürtig aus der Unter-Pfaltz am Rhein. Hoc ergo ita rectius exprimitur apud *Limn. in add. 1. ad d. lib. 3. cap. 6. n. 4.* ubi dicitur *Hermannus, Nobilis ex Palatinatu Rheni.* Graviter igitur errat *Merſſæus d. loc.* cum putat, ipſum cognomento *Nobilem* dictum fuiſſe; cum tantum his verbis deſignetur genus ipſius & terra natalis: Nam & ipſam terram Palatinatum Rheni, die Pfaltz am Rhein, dici, vulgo notisſimum eſt; ut in *Pac. Oſnabr. art. 4. §. 6. &c.*

Gravius hallucinantur vulgo, cum inter Moguntinos Archiepiſcopos Aribonem nominant *Palatinum Rheni*, uti apud *P. Merſſæum dict. tract. Cap. 2. de Archiep. Mogunt. §. 21. Mich. Praun. d. tract. cap. 731. pag. 626.* Quin alii pejus adhuc *Comitem Palatinum ad Rhenum, ut Limn. ad d. lib. 3. cap. 4.* qui nec ipſe unquam talis fuerit,

nec de gente Comitum Palatinorum Rheni; nec de terra quidem Palatinatus Rheni; ſed *natione Noricus*, ut teſtatur *Wippo in Conrado Sal. rubr. I. de conventu Principum* apud *Joh. Piſt. tom. I. Scriptor. rer. Germ. fol. 423. & Aventin. lib. 5. fol. 310. in princ. & fol. 314. in princ.* Potuit igitur fuiſſe e Palatinis Bavariæ, (etſi nec illud appareat,) non e Palatinis Rheni. Certe Wippo, qui tum una vixit, & Optimates ſui temporis, eorumque conditionem, diligenter *dict. loc.* deſcribit, nihil hujus meminit, ſed *nobilem* & *ſapientem* vocat, & ejus conſangvineum ait fuiſſe Pelegrinum, Archiepiſcopum Colonienſem. Nec Aventinus alium eum agnoſcit, quam Dynaſtam in Bavaria; ubi & caſtella, quæ ibi habuit, recenſet, deinde in templa mutata.

Non poteſt ergo quicquam inſulſius aut ineptius videri, quam ab appellatione Comitum Palatinorum adeo ambigua, adeo varia & multiformi, inferre ſummum illum Archi-Palatii Regii Rhenenſis Comitatum, qui toti regno præfectus fuit. Qua ratione pariter abſurdisſimum eſt, Ezonem quendam, ejusque parentem, quod Comites Palatini dicuntur, atque hoc officium in aula regia geſſerunt, fingere Principes Imperii, & tales Archiſolii Rhenenſis Comites, qui præcipua autoritate ad totius regni clavum præſederunt. Quo ipſo ea, quæ §. 21. & §. 22. Dn. Autor de Ottone Wittelsbachio diſſerit, ſatis refelluntur.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Primus numerus, iſque majuſculus, Caput, ſecundus §. tertius vero paginam, A. I. Appendicem priorem, & denique A. II. poſteriorem denotat.

A.

Acerbitas Legum ac Pœnarum, libertati hominum nihil detrahit, ſed ejus menſuram implet. VII. 8. 108. Nec obſtat ipſi hominum voto communi. VII. 9. 108.
Actus, ex errore geſti, an ſint validi? VII. 14. 114.
Ἀδεσπότα, quæ ſint? XIII. 7. 219.
Agrippa, an Rex Judæorum fuerit? XI. 6. ſeqq. 181. ſeqq. an ejus filius ejusdem nominis talis fuerit? XI. 9. ſeq. 182. ſeq.
Alemannia, quasnam provincias contineat? XIIX. 32. 296.
Aquisgranum, an inter civitates Rhenenſes connumerari poſſit? A. II. 569. Ad cujus Ducis poteſtatem olim pertinuerit? A. II. 570. ſeqq.
Archelaus, an Rex populi Judaici fuerit? XI. 3. ſeqq. 179. ſeqq. & XVII. 7. 258.
Ariſtoteles, quantopere materiam de ſpontaneo, invito, & voluntario mixto

i 5

mixto involverit & turbaverit? VII. 11. ſeq. 109. ſeqq. Vera hujus rei ſententia quæ ſit? VII. 13. 113.

Aſpernatio Voluntatis Divinæ, eſt fons omnis mali, omniumque & æternarum miſeriarum. XX. 19. 336.

Auguſtus, quo jure olim & proximi ſucceſſores rempublicam geſſerint? XXI 4. 382.

Auſtraſia an ſit ipſum illud regnum Franciæ, cujus matrix & terra primigenia quaſi eſt Francia Germanica, ſeu Franconia. XVIII, 16. ſeqq. 278. ſeqq. Unde ita dicta? XVIII. 22. 284. Quosnam populos contineat? XVIII. 27. 289. Quomodo fuerit diviſa inter Ludovici I. liberos, & quæ partium portio facta ſit? XXIII. 7. 452. ſeq. Conſpectus veteris regni Auſtraſiæ, ejusque duarum provinciarum immediatarum & liberarum, Auſtraſiæ trans-& cis-Rhenanæ. XXII, 4. 414. De regni Auſtraſiæ gemina ſede Regia: Metenſi, quæ ei regno propria, & Aquisgranenſi, quæ toti corpori regni Franci æ communis fuit. XXII. 8. 419. ſeqq. Ruptum fuit regnum Auſtraſiæ diviſione trium liberorum Ludovici I. ſed mox ſtirpe majoris fratris ſublata, alia diviſione rurſus coaluit. XXIII. 3. 448. ſeq. Hinc duo regna extiterunt, perpetuo jure ab invicem diviſa: Auſtraſia, & Neuſtria. XXIII. 4. 449. Auſtraſiæ regni ejusque provinciarum ſeu populorum ſtatus ea diviſione nihil fuit immutatus, nec plura regna facta, nec regni terræ in plures partes diviſæ. XXIII. 5. ſeq. 450. ſeqq. An Germanis integrum fuerit, regnum Auſtraſiæ, præteritis Caroli Calvi poſteris, Conrado I. deferre? XXIV. 1. 458. ſeqq.

Αὐτοδικία, comprehenditur ſub αὐτονομία, a victore populo devicto conceſſa. XV. 4. 232.

Αὐτοκρατεία, comprehenditur ſub αὐτονομία, a victore populo devicto conceſſa. XV. 4. 232.

Αὐτονομία, quid? I. 18. 19. Comprehendit ſimul αὐτοκρατίαν, αὐτοδικίαν, & αὐτοτελείαν. XV. 4. ſeqq.

ſeqq. 232. ſeqq. XXII. 28. 440. Non tamen videtur ſemper neceſſarium eſſe, triplicem hanc facultatem in omni Αὐτονομίᾳ concurrere. XV. 7. ſeq. 234. ſeqq. Conſtituit libertatem mediatarum civitatum. XV. 9. ſeqq. 236. ſeqq. An cum jurisdictione civitatum municipalium, eique nonnunquam conjuncta poteſtate condendi ſtatuta unum idemque ſit? XV. 17. ſeqq. 243. ſeqq. Quibus populis a Romanis fuerit conceſſa? XVI. 6. ſeqq. 251. ſeqq. A quibus Regibus Judæis reſtituta fuerit? XVII. 2. ſeqq. 255. ſeqq. A quo fuerit reſtituta Bavariæ, & Saxoniæ? XXII. 5. 415. De Αὐτονομίᾳ, ejusque partibus, effectibus, & vario inter gentes uſu, vid. tot. Cap. XV. pag. 229. ſeqq. De Αὐτονομίᾳ Judæorum in ſpecie, vid. tot. Cap. XVII. pag. 253. ſeqq.

Αὐτοτέλεια, ad αὐτονομίαν, populo devicto a victore conceſſam, pertinet. XV. 5. 233.

B.

Bavari, quemnam tractum Germaniæ poſſederint? XVIII. 10. 272.

Bavaria, Tasſiloni ablata, & Carolo M. adjudicata, ſtatus ejus nihil immutatus, & Carolus M. ei & ut Dux, & ut Rex imperavit. XXIII. 2. 447. ſeq.

Belgæ, ſunt Germani, & antiquitus e Germania, hoc nomine nondum cognito, in Galliam Belgicam tranſierunt, deinde alii confederunt ad ripam Rheni, eamque Germaniam primum vocarunt. XVIII. 17. 278. ſeq.

Bonorum Fortunæ Vitium, non in eo eſt, quod vere bona non ſint, ſed quod abuſu ſuo bonum honeſtum, veramque adeo felicitatem corrumpunt & ſubvertunt. VI. 16. ſeqq. 88. ſeqq.

Bona, quotuplicia ſint? XX. 13. 331. Bona Regum quotuplicia ſint? XII. 9. 195. Bona hujus vitæ quo ſenſu æternis quoque accenſeri posſint? XX. 16. 332.

Bona Æterna, quæ & qualia ſint? XX. 14. 331.

Bona

Bona Caduca, non poſſunt non ſequi ex Dei obſequio, quo imago ejus effingitur. XX. 17. 333.

Boni, cur in civitate plerumque affligantur, & ærumnis premantur, reſolvitur. XX. 21. 340.

Bonum, quotuplex ſit? IV. 13. 48. & IV. 16. 50. Quodnam, ſi pugnent inter ſe, voluntas eligere ſoleat? IV. 14. ſeq. 48. ſeq. De rebus relate, de perſonis vero abſolute dicitur. XX. 12. 330. Unde ita dicatur? ibid. Solum Bonum eſſe, quod honeſtum, Stoicorum eſt ſententia, & an hæc ſit admittenda? IV. 16. 50. & V. 4. 54.

Bonum Honeſtum, prima fronte videtur tetricum & auſterum, & ideo voto hominum, eique, quod libet, contrarium. VI. 10. 83. Eſt caput & firmamentum felicitatis civilis. VI. 19. ſeq. 95. ſeq. De Bono Honeſto ſolus intellectus arbitratur. VI. 11. 84. Ratione & meditatione cognoſcitur ineffabilis Boni Honeſti pulchritudo, eaque propria & nativa. VI. 12. ſeq. 84. ſeqq. Cum Bono Honeſto conjunctum quoque eſt Bonum utile & jucundum. VI. 14. 87.

Bonum Publicum. De Bono civitatis Publico, ſeu civili ac ſummo, vid. Cap. VI. pag. 75. XX. 54. ſeqq. 374. ſeqq. Si magna ſit civitas libera, quæ plura civitatum vel univerſitatum corpora ſub ſe contineat, an Bonum Publicum ex eorum omnium, nullo excepto, utilitate & ſalute, ac votis ponderandum, nec poſſit aliud jure ſtatui, quam quod e re omnium eſt, nec ullius rationes poſthaberi? XIX. 18. 310. An Boni Publici voce temporalia bona ſint accipienda? XX. 1. ſeqq. 318. ſeqq. Quatuor Boni Publici capita, de quibus conſenſus gentium & ſacrarum literarum demonſtrantur, addita cauſa, cur ex intervallo demum de eo agatur. XX. 5. ſeqq. 321. ſeqq. Bonum Publicum, ejusque cura ad quos pertineat, & quibus competat? XX. 38. 363. XXI. 1. ſeq. 579. ſeqq. Quibus Bonum civi-

civitatis Publicum commune non ſit? XX. 53. 373.
Bonum Summum, a quibus & quorum cauſa in quaque civitate id procuretur? de hoc vid. Cap. XX. pag. 313. ſeqq. Ab autoribus ad duo capita quam optime refertur: juſtitiam & pietatem. XX. 11. 328. Summum Bonum civitatis continetur in verbis finalibus definitionis libertatis: *niſi quid jure probibetur*. VI. 1. 77. Hoc vinculum juris facit ſubſtantiam & libertatis, & civitatis. VI. 2. & 21. 77. ſeq. 97. Ejus duæ cauſæ ſunt: juſſus Summi Numinis, & ipſa hominum felicitas. VI. 3. 78. Summum Bonum civile omnes quidem optant & cupiunt, non omnes tamen quærere, aut eo anniti poſſunt, ſed liberi tantum populi. VI. 8. 82. Summum Bonum civitatis conflatum eſt ex bono honeſto, & Bonis fortunæ, ad illius ſuſtentationem rite ordinatis. VI. 19. 95. Quibus Modis Summum Bonum civile ejusque facultas libertas comparetur ac conſervetur? VII. 1. ſeqq. 100. ſeqq. XX. 27. 350. ſeqq. Summi Boni Civilis pars primaria eſt cuſtodia inviolata Juris Naturæ. VII. 1. 100. Altera pars eſt ubertas, ita coërcita, ne in luxum & perniciem vertatur. VII. 2. 101. Id quod difficile eſt conſequi legumlatione, quæ difficultas tamen ſuperanda eſt legislatoris prudentia. VII. 3. ſeq. 102. ſeqq. Qualiter Summum Bonum civitatis ſeu felicitatem civilem velint & cupiant, etſi ipſi in contrarium moliantur? VII. 21. ſeqq. 119. ſeqq. Non poteſt Summum Bonum felicitatis civilis aliter inter homines cuſtodiri, quam inſtituta civitate. VII. 32. ſeq. 133. ſeq. Summum civitatum ac populorum Bonum curari non poteſt, niſi Magiſtratibus conſtitutis. VII. 35. 136. Boni hujus ſubjectum eſt totum corpus civitatis liberæ, conſtans ex magiſtratu & civibus. VII. 36. 137. Summum Bonum Civile omnibus illis, qui juris & boni

& boni publici curandi & tuendi cauſa in civitatem coiverunt, commune eſt, & ex omnium voto æſtimatur. VIII. 6. 145. De Modo & facultate Summi Boni civilis procurandi, reſtitutis civitatibus, vid. tot. Cap. VII. pag. 98. ſeqq. An voce Boni publici contineatur Summum utriusque vitæ Bonum, etiam ſecundum ſententiam Gentium & Sacri Codicis? de hoc vid. Cap. XX. pag. 313. ſeqq. In quonam Summum hominis Bonum conſiſtat? XX. 9 325. ſeq. Summum & perpetuum Bonum propoſitum eſt cum civitati, tum ejus membris, ſcil. & magiſtratui, & ſubditis. XX, 30. 355. Summi Boni cura & tutela magiſtratui incumbit. XX. 35. ſeqq. 357. ſeqq.

Bonum Utile, quod ab honeſto recedit, non tantum definit eſſe Bonum honeſtum, ſed & Bonum Utile, & fit noxium. V. 5. ſeqq. 54. ſeqq. De Bono utili & jucundo ſenſus arbitratur. VI. 11. 84.

Bruta, ſuos inſtinctus tantum ſentiunt in præſens bonum, nec aliud percipiunt. V. 13. 61. ſeqq.

C.

Carthago, quo ſenſu a Romanis libera dicta fuerit? XV. 14. ſeqq. 240. ſeqq.

Ceres, quæ fuerit, & quid fabula de illa ſibi velit? VII. 30. 130. ſeqq.

Charta Ingenuitatis, quid Carolus M. in diplomate ſuo de Truthmanno per hæc verba intellexerit? A. I. 524.

Circuli Imperii Germanici, quot & a quonam Imperatore ſint inſtituti? XVIII. 33. 297.

Cives, quotuplices ſint? XX. 45. ſeqq. 368. ſeqq. Quinam Cives Imperii dicantur immediati, quinam mediati? I. 2. ſeq. 10, ſeq. & §. 11. pag. 16. Natura & originario Jure omnes Cives ſunt immediati, etſi Princeps eos per alios gubernet. I. 7. 13. Cives Imperii ſub Merovingis & Carolingis immediati fuere, poſtea vero mediati. I. 8. 14. Quando hæc mutatio facta ſit? I. 9. ſeq. 15. ſeq.

Cives deviƈtarum gentium manent liberi homines, niſi & ſinguli bello aut prælio capti, aut alio ex caſu ſervi faƈti fuerint. I. 17. 19. II. 8. 29. ſeq. XIII. 5. ſeq. 216. ſeqq. Cives & Magiſtratus juris & boni publici ſeu communis curandi & conſervandi cauſa in civitatem colleƈti, ſunt immediata illius membra. VIII. 4. 144. Civium eadem libertas eſt ſub Rege, quæ fuit ſub populo. X. 3. 167. Quæ fuerit Civium libertas in ſtatu populari? X. 5. 168. Civium eadem libertas eſt, ſive populo, ſive Senatui, ſive Regi ſuo pareant. X. 7. ſeq. 170. ſeqq. Quod Cives ſui Regis legibus teneantur, eſt ex voto eorum, & re communi, & ideo a libertate, X. 10. ſeqq. 173. ſeqq. Quotuplices ſint Cives adſumti? XX. 46. ſeq. 368. ſeqq. Si Civi jus alterius civitatis conceditur, & in veteri ſua civitate habitat, in altera magis honorarius cenſetur, nec ad munera obſtriƈtus eſt. XX. 50. 371.

Civitas, quid? XX. 32. 358. Quotuplex ſit? I. 15. 18. VIII. 18. 152. ſeq. & XIX. 10. 305. Opus habet Magiſtratu. XIX. 13. 306. Cur quælibet Civitas coierit? I. 16. 18. XIX. 12. & 18. 306. & 310. Qualem inſignem effeƈtum Civitatum inſtitutiones habuerint? VII. 26. ſeqq. 123. ſeqq. Cur neceſſarium fuerit, unam illam Civitatem, in quam Deus totum genus humanum ſociavit, in plures diſtingvi? IX. 3. 157. ſeq. Civitatis ſtatus & libertas nihil immutatur, ſi Rex ex ejus gremio non ſit eleƈtus, ſed aliunde petitus. XI. 1. ſeq. 177. ſeqq. De triplici diſcrimine Civitatum in genere, quæ de ſummo bono civili participant mediate vel immediate, vid. tot. Cap. IIX. pag. 141. ſeqq. Si Civitati jus civitatis conceditur, honorarium jus eſt pro modo concesſionis, qui variat. XX. 51. 372. Si duæ Civitates mutuo invicem jus civitatis tribuant, quid juris? XX. 52. 372. ſeq.

Civitas,

Civitas, aratrum paſſa, quæ dicatur, & qualis ſit? XIII. 9. 220.
Civitas Immediata. De natura originaria Reip. prima Civitatis ſpecie, Immediata libera ac per ſe una, vid. tot. Cap. IX. pag. 154. ſeq. De Civitate Immediata, & non libera, vid. tot. Cap. XIII. pag. 121. ſeqq. De diſcrimine Civitatis Immediatæ & mediatæ ſeu liberæ, quod ab ἀυ]ονομία eſt, & apud omnes gentes celebratiſſimum ſemper fuit, vid. tot. Cap. XVI. pag. 246. & A. I. 538. ſeqq.
Civitas Inferior, quid nomine hujus Civitatis veniat? XIX. 11. 306. Suum quoque bonum publicum peculiariter procurat, ſuiſque illud legibus immediate tuetur; de bono autem publico ſuperioris mediate participat, legibusque ejus mediate ſubjecta eſt. VIII. 17. 152.
Civitas Libera, quæ dicatur? II. 4. 28. XX. 32. 358. Definit eſſe publice libera, ſi ab alio populo libero victa eſt. VIII. 8. 145. Si magna ſit, & plura Civitatum vel univerſitatum corpora ſub ſe contineat, an bonum publicum ex eorum omnium, nullo excepto, utilitate & ſalute ac votis ponderandum ſit, nec aliud jure ſtatui poſſit, quam quod e re omnium eſt, nec ullius rationes poſthaberi? XIX. 18. 310. Utrum Civitas libera ab alia Civitate Libera bello victa, ſit membrum ipſius immediatum, an mediatum? I. 19. ſeqq. 19. ſeqq. VIII. 7. 145. VIII. 16. 151. & XIII. 1. ſeqq. 212. ſeqq. Civitate Libera, ab alio populo libero bello devicta, ſinguli non deſinunt eſſe liberi, niſi capti ſint. VIII. 8. 145. XIII. 5. ſeq. 216. ſeqq. Si Civitati victæ libertas publica, ſeu ἀυτονομία, reſtituitur, duæ ſunt Civitates liberæ, in unum corpus conjunctæ. VIII. 12. 149. Cur tam religioſæ Civitates Liberæ a non liberis gentes diſtinxerint? XX. 5. 321. ſeq.
Civitas Mediata, quænam ſit? XIX. 17. 309. Quomodo differat a ſubjectione mediata? XX. 43. 366. De Civitate Mediata,

diata, & libera, ex αὐτονομίας, vid. tot. Cap. XIV. pag. 224. ſeqq. In hac Civitate diſtingvenda ſunt triplicia jura & negotia. XIV. 6. 227. Cur Civitates Mediatæ ab immediatis tam religioſe a gentibus fuerint diſtinctæ? XX. 5. 321. ſeq.

Civitas Superior. Quid nomine hujus Civitatis intelligatur? XIX. 11. 305.

Civitas Victa, non communicat de actibus ſeu juribus Imperii civitatis victricis, & quæ inde dependent. VIII. 11. 148. Nec ſuis legibus, Magiſtratibus & Judiciis utitur, nec de ſuo bono publico ſtatuere ipſa poteſt, ſed ſequitur arbitrium victoris. VIII. 9. 146. XX. 38. 363. Victa Civitas, cui libertas publica ſeu αὐτονομία reſtituta, ſuis legibus, Magiſtratibus, ac Judiciis utitur, & ipſa ſui boni publici peculiaris curam habet, adeoque & proprio jure comitiorum gaudet. IIX. 13. 150. XX. 39. ſqq. 364. ſqq. Non tamen conſors eſt juris comitiorum in ſuperiore civitate, ſed ſeorſim illa exercet in ſua. VIII. 15. 151. Si Civitati Victæ libertas reddita, & permiſſum eſt ſuo magiſtratu & jure uti, ea fit mediata & libera, & propriam habet civitatem, magiſtratus & leges. XX. 35. ſeqq. 360. ſeqq.

Collegium, quid ſit? VIII. 3. ſeq. 144.

Combourgoiſie, quid ſit? XX. 52. 372.

Comitatus, quot fuerint in veteri Weſtphalia? A. I. 550. ſeqq.

Comites, quinam olim fuerint dicti? A. I. 518. ſeqq. & A. II. 623. ſeqq.

Comites Palatini, quinam dicantur? A. II. 624. ſqq.

Comites Palatini, ſeu Palatii ad Rhenum, qui? A II. 627. ſeqq.

Comitia. Ob quas cauſſas conſtituantur? XXI. 2. 381. Non ſunt in ſtatu mere Regio. XXI. 3. 381. Quando populo ſint ademta? XXI. 5. 383. ſeqq. De Comitiis, quibus de bono publico & ſcopo civitatis agitur, conſultatur & ſtatuitur, vid. tot. Cap. XXI. pag. 377. ſeqq. De Comitiis populi Romani cum ſub Regibus, tum ſub Republica libera. XXI. 4. 382. Quid interſit inter Comitia populi ſeu civium,

vium, & Collegia miniſteriorum ſeu officiorum? XXI. 6. 385. ſeq. Ex jure Comitiorum certum eſt argumentum ſtatus popularis vel mixti. XXI. 8. 387. ſeq. Eorum, qui in Comitiis conveniunt, præter Regem, tres in univerſum claſſes ſunt. XXI. 23. 407. ſeq. In Comitiis Francorum ab omni memoria fuerunt utriusque ordinis, ſacri & ſecularis, proceres. XXII. 12. 422. ſeq. XXIV. 15. 478. ſeq. De Comitiis in regno Francico, ex triplici forma mixto. XXII. 15. 424. Quinam ad hæc Comitia fuerint admisſi? XXII. 16. ſeq. 425. ſqq. XXIV. 13. ſeqq. 477. ſeqq. An omnium provinciarum populus pariter jus comparendi in his Comitiis habuerit? XXIV. 17. ſqq. 480. ſeqq. Utrum ſinguli ex populo, an ſaltem Proceres & Magiſtratus in Comitiis comparuerint? XXIV. 21. ſeqq. 486. ſeqq. De Comitiis Galliæ terrarum ſtante diviſione. XXII. 23. ſeqq. 434. ſeqq.

Conradus I. e Principibus Franciæ primus Rex Germaniæ eligitur, & quis tum temporis Germaniæ fuerit ſtatus? XXIV. 2. ſeqq. 461. ſeqq.

Corpus Civile, quid ſit? VIII. 3. ſeq. 144. Totum Corpus civitatis, ex hominibus, natura liberis, juris & boni publici ſeu communis curandi & tuendi cauſa collectum, eſt pure liberum. VIII. 5. 144.

Cupiditas, nec libertati obſtat, nec voluntati. VII. 15. 14. ſeq. poteſt tamen eſſe tam valida, & in habitum adoleſcere, ut vincat libertatem aliter agendi. VII. 16. 115.

Cura & Vigilia tam Divinæ rei & felicitatis hominum ac populorum, cui incumbat? XX. 30. ſeqq. 355. ſeqq.

Cuſtodia Juris, eſt fulcrum omnis Imperii & poteſtatis. VI. 4. 79.

Cyrus, an Judæis jus civitatis, & libertatem poſt captivitatem Babylonicam reſtituerit? XVIII. 2. ſeq. 255.

D.

Deditiones, Harum formulæ ex Polybio & Livio. XIII. 6. ſeqq. 218. ſeqq.

Didititii, quales apud Romanos fuerint? XIII. 6. ſeq. 218. ſeq.
Δεσπότης, quid proprie ſignificet? XIII. 7. 219.
Dienſtleute, quinam olim fuerint appellati? A. I. 523.
Diploma Caroli M. de Truthmanno. De vera ejus ſententia ac ſenſu. A. I. 512. ſeqq. Utrum eadem formula pluribus Comitibus ſit datum, an vero ſaltem uni, Truthmanno? A. I. 520.
Divortium. Cur in Divortiis ſimilibusque privatorum actibus, qui in comitiis & coram populo expediendi erant, quinque teſtes fuerint adhibiti? XXI. 15. 396. ſeq.
Dominium, quotuplex ſit ratione feudorum? XIX. 5. 303.
Dominus, rebus ſuis abuti poteſt. III. 11. 36.
Dorff=Gräven, quinam fuerint? A. I. 519.
Duces, an ſub ultimis Carolingis Ducatus cum propria & ſumma poſt Regem poteſtate habuerint? A. II. 566. ſeq.

E.

Eberardus, an tenuerit terram cis-Rhenanam? A. II. 567. 580. ſeqq. Nihil intereſt, Eberardum Marchionem, Ducem, aut Comitem dici. A. II. 614. ſeqq.
Edle Knechte, quinam olim fuerint dicti? A. I. 523.
Electoratus, cur plures in unam perſonam concurrere non poſſint? A. II. 622.
Epiſcopatus, quot fuerint in veteri Weſtphalia? A. I. 540. ſeqq. quot in Saxonia a Carolo M. ſint inſtituti? A. I. 546. ſeqq. An Epiſcopatus, Magdeburgenſis, & Hamburgenſis, Epiſcopatibus Saxoniæ ſint connumerandi? A. I. 546. ſeqq. A quonam hi ſint inſtituti? A. I. 547.
Error. An ſit ſpecies inviti? VII. 11. 110. Obſtat voluntati, non libertati. VII. 14. 114. Hominem a ſuo fine & voti communis filo ſeducit, & in avia abripit. VII. 22. ſeq. 120. ſeq.
Exceſſus, quis dicatur? III. 6. 33. ſeq.

F.

Fabula de Cerere, ejuſque filia Proſerpina, recenſetur & declaratur. VII. 30. 130. ſeqq.
Facultas Naturalis agendi, quod lubet, per quænam impediatur? III. 1. ſeqq. 31. ſeqq. Tollitur vel natura, vel lege, & quænam divinæ Juris Romani regulæ inde ſint natæ? III. 4. ſeq. 32. ſeq.
Felicitas Certa & Perpetua utriusque vitæ, juſtos ſequitur. XX. 20. 337.
Felicitas Civilis, an ideo minor videatur, quod jure conſtricta ſit? V. 2. ſeq. 53. ſeq. Ejus parandi facultas eſt ipſamet libertas. VI. 7. 81.
Franci ſeu *Francorum Populus*, quomodo ante regni conſtitutionem fuerit diſtinctus? XXII. 10. 421.
Franci Germani, quas terras in Gallia Belgica occuparint, & ſedem in illis conſtituerint? XVIII. 18. 280.
Francia ſeu *Francicum Regnum*. Ejus ſtatus usque a prima ejus origine fuit triplex, & ex triplici mixtus, qualis ſtatus a gentibus & veteribus prudentibus optimus eſt judicatus. XXII. 9. 421. Intra quos fines conſtiterit? A. II. 585. Quis fuerit ſtatus, Regno Franciæ in plures diviſo? XXII. 18. ſeqq. 429. ſeqq. An & quae mutatio ſtatus Regni Francici facta ſub Carolingis? vid. tot. Cap. XXIII. pag. 445. ſeqq. An Francia & terra Rhenenſis eadem fuerit, & num omnium harum vaſtiſſimarum terrarum Princeps ſolus Eberardus, Conradi I. frater dicendus ſit, ita ut in his ſpatiis Giſelbertus ne glebam quidem terræ habuerit? A. II. 566. ſeqq. 580. ſeqq.
Freie Herren, quinam olim fuerint dicti? A. I. 523.
Freſones, dicti quoque ſunt Weſtphali. A. I. 543.
Fur, ſi lucrandi cauſa rem alteri auferat, an re vera id ipſi utile ſit? V. 5. 55.

G.

Gallia Belgica, in quot partes ſub Auguſto fuerit diviſa? XVIII. 17. 279. In hac Gallia Belgica Franci Germani primum

mum occuparunt Germaniam inferiorem, eique acceſſit a prælio Tolbiaco ſuperior. XIIX. 18. 280.

Gentes, an ſtatuerint, voce boni publici contineri ſummum utriusque vitæ bonum? XX. 1. ſeqq. 318. ſeqq. Unde hauſerint, Deum omnis boni ideam & cauſam, ac hominem ad ejus imaginem factum eſſe? XX. 6. 324. Cur plerisque Gentibus conſultius viſum fuerit, rei ac utilitatis publicæ æſtimationem Regis potius judicio & arbitrio, quam ſuo committere, atque ſub Rege potius, quam ſub populo vivere? X. 10. ſeqq. 173. ſeqq.

Genus Humanum, a Creatore in unam civitatem ſociatum eſt, & ad quem finem id factum ſit? IX. 1. ſeq. 155. ſeqq.

Germani, communi Gallorum vel Celtarum nomine quoque comprehenſi ſunt. remiſſive VI. 16. 90. An, præteritis Caroli Calvi poſteris, regnum Franciæ Conrado I. deferre jure potuerint? XXIV. 1. 458. ſeqq.

Germania, a quibus populis fuerit inhabitata? XVIII. 9. ſeqq. 271. ſeqq. Quomodo inter tres filios Ludovici I. fuerit diviſa, & quæ partium proportio facta ſit? XXIII. 7. 452. Etiam trans Rhenum quædam fuit Germania, & quomodo hæc diviſa fuerit? XVIII. 15. 276. & XVIII. 17. 279. Unde duæ Germaniæ & duæ Belgicæ ab invicem ſeparatæ? XVIII. 16. 278. Idem Germaniæ ſeu Germanici regni ſtatus fuit ſub Merovingis & Carolingis, & duravit ad id tempus, quo in ea Carolingi defecerunt. XXIII. 10. 455. An & quæ mutatio ſtatus Germaniæ ſeu regni Germanici facta poſt Merovingos & Carolingos. vid. tot. Cap. XXIV. pag. 455. Quis Germaniæ fuerit ſtatus, Conrado I. e Franciæ Principibus, in Regem Germaniæ electo. XXIV. 2. ſeqq. 461. ſeqq.

Gero, Marchio Brandenburgicus, utrum ideo fuerit Dux appellatus, quod Dux belli fuerit, an, quod Ducatum habuerit? A. II. 618.

Grāven, quinam olim fuerint dicti? A. I. 518. ſeq.

H.

Henricus I. primus Dux Saxonum & Thuringorum dictus eſt. XVIII. 14. 276.

Hercules, plurium heroum nomen. VII. 31. 132.

Herodes, ultimus Rex populi Judaici. XI. 3. ſeqq. 179. ſeqq.

Hohe Dienſtmann/ quinam olim fuerint dicti? A. I. 523.

Hohe Freien/ quinam olim fuerint appellati? A. I. 523.

Homo, an & quatenus ex cœno cupiditatum eluctari & emergere poſſit? XX. 26. 349. Cur quoad priſtinam naturam & imaginem plenarie reſtaurari non poſſit? XX. 28. 353. Quibus de cauſis a tramite boni ſui deficiat? XX. 29. 354. Hominibus plura in immenſum videntur bona, quam brutis, & eorum inſatiabilis eſt cupido. V. 12. 61. Quomodo Homines ex feritate fuerint perducti ad humanitatem? VII. 27. ſeqq. 125. ſeqq. Homines, natura liberi, in civitates coiverunt, juris & boni publici ſeu communis curandi cauſa. VIII. 2. 143. Homines, qui in civitates coiverunt, conſtituerunt unum corpus civitatis, conſtans civibus & Magiſtratu. VIII. 3. 144. De ſtatu Hominum, bonum utile & jucundum honeſto bono præferentium, & de ſummo ejus malo, vid. tot. Cap. V. pag. 51. ſeqq. Qua ratione & quatenus Homines in hoc ſtatu corrupto amiſſum ſuum bonum originarium recuperare, & in priſtinum illum ſummæ & omnigenæ beatæque felicitatis, hujus & futuræ vitæ, gradum reſtitui queant? XX. 29. 353.

Honeſtum. Τὸ Honeſtum ſolum bonum eſſe, Stoicorum eſt ſententia, & an hæc ſit admittenda? IV. 16. 50. & V. 4. 54.

I.

Ignorantia, an ſit ſpecies inviti? VII. 11. 110.

Illuſtres. Summa horum ſemper dignitas fuit? A. I. 522.

Immediati Imperii Cives. Quinam ſint? I. 2. ſeq. 10. ſeq. Cur ita dicantur? ibid.

Immedietas Civitatis, an mutetur, ſi duæ civitates ſint, quorum altera in jus alterius bello tranſiit, & cujus proindeMagiſtratus æque ac ſubditi privati ſunt? XX. 34. 360.

Imperii Peruani fata & occupatio. V. 18. ſeqq. 66. ſeqq.

Ingenui, quinam olim fuerint dicti? A. I. 522. ſeq.

Injuſti. Hos certum & perpetuum malum, æternumque exitium ſequitur. XX. 20. 338.

Ira, nec libertati, nec voluntati obſtat. VII. 15. 114. ſeq.

Iudæi, a quibus Regibus poſt captivitatem Babylonicam ipſis jus civitatis & libertas reddita fuerit? XVII. 2. ſeq. 255. De Judæorum autonomia, vid. tot. Cap. XVII. p. 253. ſeqq.

Judicium Rothwilenſe. Ad quas usque terras jurisdictio ejusdem ſeſe extendat? A. II. 587. ſeqq.

Jurisdictio Municipiorum, ad αὐτονομίαν non pertinet. XV. 17. ſeq. 243. ſeq. Qualis ſit? XV. 19. 244.

Jus, quotuplex in civitate ſit? VI. 5. 79.

Jus Civile, quænam contineat? VI. 6. 80.

Jus Civitatis, ſi a duabus civitatibus mutuo invicem tribuetur, quid juris? XX. 52. 372. ſeq.

Jus Comitiorum, certum eſt argumentum ſtatus popularis vel mixti, XXI. 8. 387. ſeqq. In ſtatu populari vel mixto civium cummune eſt. XXI. 10. ſeq. 391. ſeqq. Quibus civibus in quoquo populo competat? XX. 24. 408. Quorum fuerit in Germania? A. II. 599. Ad probandum Jus Comitiorum non ſufficit, allegare exempla, quod quis interfuerit aliquando Comitiis, ſed docendum, ad deliberationes quoque & ſuffragium jure civis ferendum vocatum fuiſſe. XXI. 9. 390. ſeqq. Qua arte & ſolertia a ServioTullio fuerit effectum, ut nemo civium a Jure Comitiorum excluſus eſſet, & tamen vix unquam præter primam aut alteram claſſem, reliquæ ad ſuffragia venirent. XXI. 13. ſeq. 394. ſeqq.

Jus Publicum Imperii Germanici, a quibus initiis ac natalibus regni Francici ſit petendum & incipiendum? XXII. 1. ſeqq. 412. ſeqq.

Jus ſtatuta condendi municipiorum, non eſt ab αὐτονομία. XV. 20. ſeq. 244. ſeq.

Jus Suffragii. Vid. infr. *Suffragii Jus.*

Juſti. Hos ſequitur certa & perpetua utriusque vitæ felicitas. XX. 20. 337.

K.

Knechte, quinam olim fuerint dicti? A. I. 523.

Κύριος, quid proprie ſignificet? XIII. 7. 219.

L.

Landgraviatus, quid denotet? XXI. 21. ſeq. 404. 407.

Land-Städte, unde ita dicti, & quomodo differant von denen Reichs-Städten? XXI. 22. 406.

Lapſus Hominum primævorum, an gentibus quoque compertum agnitumque fuerit? XX. 22. 342.

Lex, libertati frænum injicit, non facultati naturali. III. 7. 34.

Lex Contractus, quæ dicatur? IV. 7. 45.

Liber, quis dicatur? II. 2. 27. & II. 4. 28.

Libertas, quid ſit? II. 1. ſeqq. 26. ſeqq. & IV. 5. ſeq. 44. A quo ſit indulta? II. 3. 27. An ideo minor videatur, quod jure conſtricta ſit? V. 2. 53. Libertatis ſubſtantia duobus abſolvitur. III. 5. 33. Libertatis æſtimatio infinita in Jure perhibetur, & ſummum inter gentes bonum. IV. 9. ſeqq. 46. ſeqq. Quæ fuerit civium libertas in ſtatu populari? X. 5. 168. Sola populi poteſtate in Regem collata, nihil mutatur in ſingulorum libertate. X. 6. ſeqq. 169. ſeqq. Libertas & ſtatus civitatis nihil immutatur, ſi Rex ex ejus gremio non ſit electus, ſed aliunde petitus. XI. 1. ſeq. 177. ſeqq. An pro varietate pactorum gradus quoque libertatis dentur? XV. 16. 242. Summam bonorum & votorum hominibus & populis in Libertate ſitam eſſe, eamque Jure Gentium conti-

contineri formula ſuis legibus vivere, vid. tot. Cap. IV. pag. 39. ſeqq. De pari Libertate civium in ſtatu regio & populari, vid. tot. Cap. X. pag. 164. ſeqq. De libertate regni, cui Rex alienigena præficitur, & de Regno Judææ cum Herode, non ſub eo finito, vid. tot. Cap. XI. pag. 176. ſeqq. An libertas voluntatis naturaliter tollatur vel mutetur, eo, quod homo cupiditatibus ſuis mancipatus iis ſerviat? XX. 25. 348.

Libertas Privata, an deſinat civitate bello devicta? I. 17. 19. De Libertatis Privatæ & publicæ natura, & oppoſito ei ſtatu ſervitutis privatæ & publicæ, vid. tot. Cap. II. pag. 25. ſeqq. De gemino libertatis utriusque obice, vi & lege, vid. tot. Cap. III. pag. 30. ſeqq.

Libertas Publica, quæ dicatur? I. 16. 18. Quando deſinat? I. 17. 19. Civitati vel populo victo plerumque reſtitui ſolet. I. 18. 19. Quousque ſit facultas naturalis ejus, quod lubet? III. 12. ſqq. 37. ſeqq.

Libertas Voluntatis, quomodo differat ab ipſa voluntate? VII. 14. 113. ſeq.

Lotharingia, unde nomen acceperit? A. II. 606.

M.

Magiſtratus. Quotuplicem in civitate cauſam & perſonam ſuſtineat? XIX. 14. 307. Magiſtratus & cives, juris & boni publici ſeu communis curandi & tuendi cauſa in civitatem coëuntes, ſunt immediata ejus membra. VIII. 4. 144. Quinam Magiſtratus ſint civitatis membra mediata, vel immediata? XIX. 15. 307. Officium Magiſtratus in quibus conſiſtat? XX. 36. ſeqq. 361. ſeqq.

Mali, cur plerumque in civitate floreant, reſolvitur. XX. 21. 340.

Malum Perpetuum, Æternumque Exitium, unde oriatur? XX. 19. 336. ſequitur injuſtos. XX. 20. 338.

Mancipatio. Cur in Mancipationibus, ſimilibusque privatorum actibus, qui in Comitiis & corum populo expediendi e-

rant, quinque teſtes fuerint adhibiti? XXI. 15. 396. ſeq.
Mediati Imperii Cives, quinam ſint? I. 2. ſeq. 10. ſeq. Cur ita dicantur? ib.
Membrum Civitatis. An civitas libera ab alia civitate libera bello victa, ſit Membrum ipſius immediatum, an mediatum? I. 19. ſeqq. 19. ſeqq. Quinam Magiſtratus vel ſubditi ſint Membra civitatis mediata vel immediata? XIX. 15. ſeqq. 307. ſeqq.
Miniſteria Regni. Vid. infr. *Officia Regni*.
Moroveus, Rex Francorum, primus firmam ſedem in Gallia fixit. XVIII. 18. ſeq. 280. ſeqq.
Municipia, αὐτονομίας non gaudent, ſed mera ſaltem jurisdictione cum adminiſtratione rerum municipalium. XV. 19. 244.
Mutatio Status, an, & qualis contigerit in regno Francico ſub Carolingis, vid. tot. Cap. XXIII. p. 445. ſeqq. an, & qualis facta ſit in regno Germanico poſt Merovingos & Carolingos, vid. tot. Cap. XXIV. pag. 455. ſqq.

N.

Neceſſitas, an obſtet libertati & voluntati? VII. 14. 114. Hominem a ſuo fine & voti communis filo ſeducit, & in avia abripit. VII. 22. & 24. ſq. 120. ſeqq.
Neuſtria, quale Regnum fuerit, & unde ita dicta? XVIII. 22. ſeqq. 284. ſqq.
Nobiles Weſtphali, cur non ſint comprehenſi ſub Nobilitate immediata Imperii? XXII. 28. 441.

O.

Obligatio, quid ſit? III. 8. 34.
Obſequium Voluntatis Divinæ, ad quot capita optime referatur? XX. 11. 328. Eſt principium & fons omnis boni, omnisque felicitatis hujus & futuræ vitæ. XX. 17. ſeqq. 333. ſeqq.
Officia Regni, olim accurate diſtincta fuere a miniſteriis regni. A. I. 523. Quinam ad hæc fuerint admiſſi? ibid.
Officium Magiſtratus, in quibus conſiſtat? XX. 36. ſeqq. 361. ſeqq.
Opinio Scientiæ, præcipuum plane inſcitiæ argu-

argumentum eſt, Præf. §. 7. pag. 5.
Optimatum Ordo, ab omni memoria conſtitit duplici procerum genere, & quinam illi fuerint? XXII. 12. 422.

P.

Palatini, unde proceres ita dicti? XXII. 11. 422. quinam hoc nomine veniant? A. II. 623.
Palatium Thuringiæ & Saxoniæ, unum idemque intelligitur, nec unquam duplex fuit. XVIII. 13. 275.
Patrimonium. Quid interſit inter Patrimonium privatum Regis, & publicum Regni? XI. 3. ſeqq. 188. ſeqq.
Peccatum, non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum. V. 5. 55.
Peregrini, in quibus a civibus ejusdem civitatis diſtent? XVIII. 5. ſq. 266.
Populus, quotuplex fuerit factus, urbibus extructis? XXI. 19. 402. Quot Populi Germaniæ ab omni memoria fuerint? XVIII. 9. ſeqq. 271. ſeqq. Populi differentia a collegiis miniſteriorum ſeu officiorum in comitiis? XXI. 6. ſeq. 285. ſeqq. Quomodo Populus Francorum ante regni conſtitutionem fuerit diſtinctus? XXII. 10. 421. Qua ratione, Populum Francorum in comitiis regni conveniſſe, dicatur? XXIV. 20. 484. Cum Populus alteri ſubjicitur, duplex oritur ſpecies & relatio civitatis. A. I. 536.
Populus liber, quis dicatur? I. 16. 18. An hic tantum bonum civile quærere, & eo anniti posſint? VI. 8. ſeq. 82. Quod & quinam Populi liberi ſub Francis fuerint? XXII. 3. 413.
Populus Romanus, in 35. tribus fuit diſtinctus, quarum quatuor fuere urbanæ, ſed digniores ruſticæ, & cur? XXI. 20. 402.
Populus Victus, non eſt conſors jurium Imperii & Comitiorum victoris. VIII. 11. 148. Amiſſa libertate publica non habet boni ſui publici facultatem, nec ſuis legibus vivit, ſed ſequitur arbitrium victoris, ejusque legibus utitur ex forma ſervitutis publicæ. XIII. 10. 221. Quibusnam

busnam Populis Victis a Romanis jus autonomiæ conceſſum fuerit? XVI. 6. ſeq. 251. ſeqq.
Privatus, rebus ſuis abuti poteſt? III. 11. 36.
Prodigus, quis ſit? IV. 13. 48.
Proſerpina, quæ fuerit, & quid fabula de illa ſibi velit? VII. 30. 131.
Provinciæ, quomodo liberæ fiebant? XV. 18. 244. In Provinciæ formam redigere quid ſit? XV. 18. 244. Quot fuerint Provinciæ in Germania tum, cum a Francis ſubigi armis cœpit? XVIII. 9. ſeq. 271. ſeqq. Quot ſuperſint Provinciæ nationis Teutonicæ? XVIII. 28. ſeqq. 292. ſqq. A. II. 596. ſeqq.
Publicum, dici non poteſt, niſi quod eſt in patrimonio totius univerſitatis ſeu populi. XII. 15. 201. ſeq.

R.

Regnum Franciæ. Ubi primum conſtitutum fuerit? XXII. 2. 412. ſq.
Regnum Patrimoniale. De Monſtro Regni mere Patrimonialis, & quod tale ne concipi quidem poſſit, nec unquam in rerum natura fuerit, vid. tot. Cap. XII. p. 184. ſqq.
Regnum. An poſſit eſſe, quod non ſit in publico, ſeu civitatis, ſed in unius patrimonio? XII. 1. ſqq. 186. ſeqq.
Reichs = Städte, quænam dicantur, & quomodo differant von den Land-Städten? XXI. 22. 406.
Res. Rebus ſuis privatis quilibet abuti poteſt. III. 11. 36.
Reſpublica, ſua natura una civitas eſt, licet in plures partes, urbes, colonias, regiones & cives ſit diviſa. IX. 5. ſeqq. 158. ſeqq. Reipublicæ forma, utrum ſimplex, an mixta ſit, ex comitiis dignoſcitur. XXI. 8. 387.
Reſtauratio priſtinæ hominum naturæ & imaginis, cur plenarie fieri non poſſit? XX. 28. 353.
Rex, quotuplicia bona habeat? XII. 9. 195. Rege conſtituto, eadem illa poteſtas populi, quam habuit in omnes & ſingulos cives, in Regem tranſit. X. 4. 168. Rege alienigeno electo, is Jure Gentium civis ſit, nec ideo deſinit eadem civi-

tas

tas & libera. XI. 1. ſeq. 177. ſeqq. & XVIII. 6. 266. ſeq. An ullum intelligi vel fingi poſſit regnum, quod ſit res privata Regis, atque in ejus ſolius privato patrimonio? XI. 3. 188. An & quando Rex extraneus electus jus ſuum priſtinum amittat? XVIII. 7. 268. Reges Bohemiæ olim non ambierunt jus Germanicæ civitatis, ſed magis ei repugnarunt, hodie vero utrinque & magno utriusque regni ornamento aliud placuit, & qua ratione? XVIII. 6. 269. ſeqq.

Ripuaria, intra quos fines conſtiterit? A. II. 599.

S.

Saal. Quid hæc vox denotet? XXII. 11. 422.

Sala, quæ dicantur? XVIII. 31. 296. XXII. 11. 422.

Salici, unde proceres ita dicti? XXII. 11. 422.

Saxonia, ſucceſſit in locum regni & populi Thuringici. XVIII. 13. 275. Quoad decimas ſacerdotibus ſubjecta non fuit. A. I. 540.

Schöppenbar = freye, quinam fuerint? A. I. 523.

Semper-freye, oder Sendbar = freye, quinam fuerint dicti? ibid.

Servitus, quid ſit? II. 1. ſeqq. 26. ſeqq. A quibus ſit conſtituta? II. 3. 27. Servitutis eſt, ſi cives devicti alii populo vel regno, & ex illius voto & re parere tenentur, licet utriusque populi cives eidem regno vel populo pareant æque immediate. X. 9. 165.

Servitus Publica, quæ? I. 17. 19.

Servius Tullius, qua arte & ſolertia effecerit, ut nemo civium a jure comitiorum eſſet excluſus, & tamen vix unquam præter primam aut alteram claſſem reliquæ ad ſuffragia venirent. XXI. 13. ſeqq. 394. ſeqq.

Servus, quis dicatur? II. 2. 27.

Slavi, *ſeu Slavicæ nationis populi*, qualem Germaniæ tractum tenuerint? XVIII. 11. 273.

In quot genera ſint diviſi? ibid.

Status Regni Francici, an & qualiter fuerit mutatus ſub Carolingis? vid. tot. Cap. XXIII. p. 445. ſeqq.

Studium ſui conſervandi, votumque ſibi bene eſſe, natura cuivis animanti & maxime homini inſitum eſt. IV. 1. ſeqq. 41. ſeqq.

Subditi, omnes natura & originario Jure ſunt immediati, etſi Princeps eos per alios gubernet. I. 7. 13. & XIX. 3. 301. Quotuplici jure Subditi Romanorum diſtincti fuerint? XVI. 5. 250. De vulgata & in Imperio recepta diſtinctione inter Subditos mediatos & immediatos, plane diverſa ab altera, quæ Juris Gentium eſt, inter terras ſeu civitates mediatas & immediatas, vid. tot. Cap. XIX. pag. 298. ſeqq. Quinam Subditi civitatis inferioris Magiſtratui ſuperioris mediate vel immediate ſubjecti ſint? XIX. 15. ſeqq. 307. ſeqq.

Subjectio Mediata, non eſt a Jure Gentium vel Naturæ. XIX. 3. 301. primis autoribus Francis Germanis una cum uſu feudorum introducta eſt. XIX. 4. 302. a feudis nata videtur. XIX. 5. 303. & §. 7. pag. 304. ſenſim extenſa quoque eſt ad allodia. XIX. 7. 304.

Suevi, quemnam tractum Germaniæ poſſederint? XVIII. 10. 272. an a Clodovæo in genere in ſervitutem fuerint redacti? XXII. 29. ſeq. 441. ſeqq. Cur ſub Carolingis ad comitia regni non fuerint vocati? XXIV. 19. 483.

Suevia. De Sveviæ conditione a prælio Tolpiaco? XXII. 6. ſeq. 415. ſeqq.

Suffragii Jus, in ſtatu populari vel mixto civium commune eſt. XXI. 10. ſeq. 391. ſeqq. Omnibus Reipublicæ grave & oneroſiſſimum eſt, & quæ inde abſurda? XXI. 12. 392. ſeqq. Qua arte & ſolertia a ſenio Tullio fuerit moderatum? XXI. 13. ſeq. 394. ſeqq. Quomodo ab aliis gentibus id factum ſit? XXI. 16. ſeqq. 398. ſeqq.

Terra

T.

Terra Rhenenſis, an eadem fuerit cum Francia? A. II, 566. ſqq. 580. ſeqq. Promiſcue fuit dicta Lotharingia & Belgica. A. II. 596. 600. itemque Auſtraſia. A. II. 601. ſeq. Quænam terra per eam intelligatur? A. II. 604. ſeqq.

Terra Saxonica, regnum olim fuit ſub Thuringis. XVIII. 13. 275.

Territorium. Quatenus Territoria & regna patrimonialia dentur, & unde hoc ſit? XI. 1. ſeq. 186. ſeq.

Teſtamentum. Cur in Teſtamentis, ſimilibusque privatorum actibus, quinque teſtes fuerint adhibiti? XXI. 15. 396. ſeq.

Thuringia, potens olim in Germania regnum fuit. XVIII. 12. 274. ultimus ejus Rex. ibid. Ex quo a Francis debellata & ſubjugata eſt, peculiaris provincia ſeu populus non fuit, ſed pars Saxoniæ, quæ tum acceſſit Franciæ, & deinde iterum Saxoniæ aſſerta eſt. ib. & XVIII. 14, 276.

Truthmannus. Utrum hæc vox nomen certi viri, an officii ſit? A. I. 517. ſqq. Quid alias hæc vox ſignificet? A. I. 520. De vero diplomatis Caroli M. de Truthmanno ſenſu. A. I. 512. ſeqq.

U.

Vaſallus, an qua talis ſit ſubditus? XIX. 5. & 6. pag. 303. An Vaſalli mei Vaſallus ſit meus Vaſallus? ibid.

Victor, ita leges ferre debet, ut principaliter quidem ſuæ civitati liberæ, at deinde etiam victis, atque hoc ordine toti univerſitati conſultum atque proſpectum ſit. VIII. 10. 147. Victor, qui civitati devictæ publicam libertatem ſeu *αὐτονομίαν* reſtituit, impedire non poteſt, ne civitas illa victa ſuis legibus, Magiſtratibus ac Judiciis utatur, & ipſa boni ſui publici peculiaris curam habeat, ac proprio jure comitiorum gaudeat, niſi quid ſtatuatur in illius, vel totius univerſitatis ſeu corporis detrimentum. VIII. 14. 150.

Vier

Vier Lande Teutſcher *Nation*, quæ ſint? A. II. 586. Quando regni eminentiam cum Ducatus dignitate commutarint? A. II. 615.
Vigilia & Cura tam Divinæ rei, & felicitatis hominum ac populorum, cui incumbat? XX. 30. ſeqq. 355. ſeqq.
Vir Bonus, unde ita dicatur? XX. 12. 330.
Virus duplex, animorum & ſcientiarum. Præf. §. 6. pag. 4.
Vis, facultati frenum injicit, non libertati. III. 7. 34. An obſtet voluntati, ejusque libertati? VII. 14. 114.
Vis Major, quæ dicatur? III. 5. 33.
Voluntas, nunquam appetit malum ut malum. IV. 15. 49. Natura ruit in omnia libidinum genera, freno juris & boni honeſti abjecto. V. 8. ſeqq. 57. ſeqq. Quomodo differat a voluntatis libertate? VII. 14. 113. ſq. Si quis errore vel neceſſitate quid agit, duplex diſtingvenda eſt Voluntas, alia in theſi ſeu generalis, alia in hypotheſi, ſeu κατὰ καιρόν. VII. 17. ſeqq. 116. ſqq. Si Voluntas a recta regione, ſcil. a ſummo bono civili deflectit aut divertit, ex quibus cauſis id fiat? VII. 22. ſqq. 120. ſqq. Quotupliciter Voluntas Dei ſpectetur, & quænam ratione hujus diverſitatis inde oriantur? XX. 10. 327. An Voluntas humana per lapſum primævorum parentum defierit eſſe libera? XX. 23. 146. An naturaliter Voluntatis libertas tollatur vel mutetur eo, quod homo cupiditatibus ſuis mancipatus iis ſerviat? XX. 25. 348.

W.

Weſtbalia. De ejus ſtatu antiquo. XXII. 28. ſq. 439. ſqq. A. I. 495. ſqq. Cur immediata habuerit Imperii Judicia? XXII. 28. 441. Cur Weſtphaliæ ſua quoque Curia in Comitiis Imperii ſit? XXII. 28. 440. ſeq.
Weſtraſia, unde ita dicta? XVIII. 22. 284. Differt ab Auſtraſia. ibid. ſeqq.

Z.

Zehen Verein-Städte, oder vereinigte Städte im Elſaß, unde ita dictæ? XXI. 21. ſeq. 405. 407.

PRÆFATIONIS
SUMMARIA.

1. *Tam gratum eſſe Autori examen Juris ſui publici placidum & cordatum, quàm moleſtum reſpondere iis, qui anxiè ſe ipſius ocio ſine cauſa obtrudunt.*
2. *Cur ſibi videatur Viris Doctis, operis exemplo ſalivam moviſſe.*
3. *De iis qui inflatiùs ſe jactant & convitiis pugnant.*
4. *Horum & convitia & elogia promiſcuè ſe habere & utraque eos ſibi ſcribere.*
5. *Quam in hoc mordendi genere ſibi perſonam putet ſuſtinendam.*
6. *Duplex animorum & ſcientiarum virus; 1. alios carpendi pruritus, cujus & ſtupidisſimo cuique facultas, & peſſimo lubido. 2. Scientiæ opinio.*
7. *Hâc nihil vanius & ſcientiis magis noxium, quin inſcitiæ eam argumentum eſſe.*
8. *Rationes, cur Autor nec omnibus reſpondeat, nec nulli.*
9. *Cur maximè gaudeat, examen terræ mediatæ & immediatæ ſuſceptum fuiſſe.*
10. *Vocum novarum excuſatio. It. Opuſculi hujus diviſio.*

§. I.

DUdum eſt, quod Me nomen ſuum fecêre Viri Docti, qui Jus publicum noſtrum luſtrare dignati, Judicio ſuo illud ornârunt, & dubia quædam vel inde elicuerunt, vel ei intulerunt; eâ tamen, quæ Viros ingenuos, & literatos maximè, decet, εὐπρεπείᾳ & humanitate. Alii impotentiùs; quidam etiam, quòd ſine cauſa ocio meo, quo jam antè perparco nimiùm utor, anxiè adeò ſe obtrudere, & cauſam à tramite Juris publici, quòd unicè præ oculis fuit, abducere viſi ſunt, moleſtiùs. Quos omnes tamen pari ſtudio & benevolentiâ complector; illis prioribus vero ſummas quoque & habeo & ago gratias.

2. Equidem neſcio, num illud Ciceronis, qui *lib. 1. de Nat. Deor. in pr.* ait: *Se multorum diſcendi & ſcribendi ſtudia commoviſſe;* meum quoque facere liceat. Ex eo enim ita in hoc genere deſudatum, & tot inde tractatibus elucubrata hujusmodi Juris publici argumenta fuêre, ut & mihi videar ſalivam JCtis & Viris eruditis exemplo moviſſe, Ipſorumque ſtudia accendiſſe, ut ſuis illa vigiliis illuſtraverint. Ut autem me fal-

fallat animus, illa certè cogitatio magna me voluptate permulcet; omnibusque grati animi ſtudiis eruditiſſimorum Virorum præclaros conatus, diligentiam, ſcientiamque exoſculor.

3. Sunt verò & qui inſolentiùs quàm intra modeſtiam ac humanitatem; & proterviùs ferè quàm è dignitate honeſtorum Virorum, ſe jactant & efferunt: quibus tamen nec ſuccenſere, nec, niſi ut Viris dignum eſt, reſpondere decrevi: facileque patior, ſuo quemque tumere ſenſu, ſuoque inſoleſcere judicio. Sed & indecora eorum ſcommata & inſultandi pruriginem ac petulantiam contemtu vindicare ſtatui; vindicâſſem & ſilentio, niſi quædam incidiſſent, quæ de nocte ſua eruere, & ſibi ac luci reddere è re viſum fuiſſet.

4. Cæterùm horum Ego & elogia & convitia perinde habeo, & tum hæc, tum illa, promiſcua duco. Utraque enim illi homines ſibi ſcribunt; neutrum illis, quos ſibi deligunt, & vel ſugillant vel laudant quoque, Adverſariis. Nam & maledicta leges in proprium ſcribentium dedecus vertunt; & præconia Ipſi in ſuum decus majoremque imaginarii quaſi trophei ſui gloriam trahunt,&,quot Adverſariis elogia cantant, tot ſibi palmas ac laureas mente concipiunt, ſuisque adeò laudibus hâc aurâ velificantur.

5. Hæc verò etſi nihil ad Me; tamen ambiguus hæſi, in hoc mordendi magis quàm ſcri-

bendi genere, quæ mihi perſona in reſpondendo conveniret & ſuſcipienda eſſet. Hucusque enim, cum quibus agendum mihi fuit, JCti ſummi ac ſolidâ eruditione Viri, & me liberaliter habuêre, & ego Eos reverenter. Rebus reſpondi ſine cujusquam inſectatione & cauſam egi, autore plerumque nec nominato. Meritò itaque Ovidii ingreſſu *in Ibin*, ut meo utor: *Tempus ad hoc &c. Omne fuit Muſæ carmen inerme meæ.* Nec fuit, ſed & erit. Neq; verò Deus O. M. ſierit, ut ſuis illos veſtigiis ſequar, & maledicentiæ copiis rixari nunc demum in mentem veniat; atque id, quod ſemper abominor, nunc ipſe imiter. Neque hoc eſt, quod cum animo meo diſcepto; ſed illud, reſpondendum ſit an ſilendum?

6. Enimverò geminum maximè eſt ſcientiarum & animorum virus, quod, ut alia pleraque, ita & noſtrum ſeculum, ingeniis fœtum, & Juris præcipuè Sacra ſæpius contagione invaſit: Alterum, reprehendendi aliena & famæ inde venandæ libido; alterum, ſcientiæ opinio. Prius illud animi perverſitas videtur; alterum, imbecillitas: utrumq; judicii vaniſſima arrogantia. Quid enim in illo carpendi & contradicendi æſtu vel laudis vel artis eſt, nedum, quid eximii: cujus & ſtupidiſſimo cuique facultas eſt, & peſſimo lubido? Quid inanius, quàm rodendis rebus, non cognoſcendis, famam quærere, ingeniumque non commendare, ſed prodere. 7. Al

7. Alterum verò, opinio, inquam, ſcientiæ, præcipuum planè eſt inſcitiæ argumentum; maximéque adeò mirum videtur, quî fiat, cum viliſſima opificia nemo ſe ſcire affectet, qui non didicit, ut é contrario nemo, qui ſaltem attigit Jura, aut vix attigit, Juri regendo tractandóque imparem ſe putet. Quod & Veteres Phaëtontis fabulâ adumbrârunt, qui Solis currum & equos, difficillimam ſcil. reip. ritè regendæ prudentiam, ſibi arrogavit, eamque aurigationis hujuſmodi imperitus Juvenis, ſuo malo, tam expeditam credidit, quàm apparuit ſplendida & coruſca. Idem Socrates, *apud Plat. de Sapient.* Ariſtidis exemplo docet, qui maturior factus, ipſe per Deos teſtabatur, quàm olim ridiculus eâ opinionis arrogantiâ fuerit. Cui ſimile eſt, quod Gellius *lib. 9. cap. 15.* refert de deluſa Juvenis vanitate, qui omnes controverſias ſe ſoluturum receperat, &c. Adeò jam olim abuſus iſte invaluit, cruda judicia, & mera apud peritos ignorantiæ argumenta, in publicum propellere, atque ante cognitionem & ſcientiam præcipitare, aucupandæ ſaltem apud Imperitos famæ causâ.

8. Equidem in neminem hæc dicta volo. Multa, quæ mota feruntur, non niſi ex relationibus aliorum accepi; nec ſolùm de iis, qui ſcripſiſſent, ſed & qui ſcribere in anteceſſum jam minati eſſent; quorum omnium nec copia mihi fuit, nec cura. Neque verò tam iniquè de

 cor-

cordatis lectoribus, & Juris præſertim bene peritis, judicióque eorum ſentio, ut, ſi momenta rerum expendere dignentur, verendum mihi exiſtimem, ne ex convitiis ſententiam laturi ſint; aut veritatem ab erroribus aut crudis opinionibus, grana à paleis, non ſatis diſcernere poſſint. Viciſſim occurrebant apud animum meum materiæ, quibus aliquid lucis adhuc affundi; vel, quæ, quippe conciſiùs tractatæ aut parciùs explicatæ, forte nutare adhuc; vel, ſi qui, ut Marius *apud Saluſt.* loquitur, ſilentii modeſtiam in conſcientiam traherent, diffidentiæ ſuſpicione labaſcere videri poſſent. Igitur tam ineptum credidi, omnibus reſpondere, quàm nulli. Sed illud longe ineptisſimum, quin fatuum foret, quemlibet temporis mei occupatisſimi dominum arbitrumve reſpondendo facere vel admittere. Quædam igitur, pro re nata, enucleatiùs; alia levi brachio expediam; reliqua tacitus transmittam.

9. Plurimum verò iis me debere profiteor, qui differentiam terræ mediatæ & immediatæ, (ut vocibus utar jam ſaltem receptis) examinandam ſumsêre. Ea enim cùm nova eſſet doctrina, cujus ne mentio quidem apud alios antè facta, nedum res evoluta fuerat, debuiſſet omnino in ipſo Jure publico explicatiùs tradi; factumque id fuiſſet, niſi brevitatis cura filum rupiſſet. Videntur igitur Viri Doctisſimi, propoſitis argumenti difficultatibus ac dubiis ad-

mo-

monuiſſe me officii: & Ipſe hanc provinciam eo lubentiùs ſuſcipio, quò & major eſt rei dignitas, & incredibilis uſus, atque apud omnes Gentes pervagata ejus obſervatio. Quæ & cauſa eſt, cur jam, ubi temporum & populorum uſus arceſſendus eſt, in hunc campum liberiùs excurrere libuerit.

10. Neque verendum mihi arbitror, ne inſolens Romanis auribus mediatæ & immediatæ terræ mentio peregrinos quoque offendat: Neque dandam mihi operam exiſtimo, ut civitatem priùs his vocibus exorem, quàm terris inferam: cùm & dudum uſu ævi noſtri iſtæ rereceptæ ſint, & necesſitas eis autoritatem conciliet, niſi ſemper ineptiore circumlocutione tædium lectioni, & obſcuritatem rebus affundere ſatius viſum fuerit. Idem & de aliis vocibus, quas uſus & necesſitas probavit, præfari licebit: quod & Cicero *lib. 3. de Fin. in princ.* defendit.

11. Diſſertatiunculâ igitur in duas partes ſectâ, priorem memorato diſcrimini terrarum Imperii explicando impendemus, reliquis capitulis in alteram partem coactis.

CAP. I.

Ubi quæſtionis ſpecies atq; conſpectus, & duplex civitatis mediatæ ſenſus ac ſpecies, & error eam confundentium exhibetur.

SUMMARIA.

1. Duplex ſenſus & ſpecies mediatorum & immediatorum.

2. Vulgò conſtare, Statuum & nobilitatis immediatæ Imperii ſubditos eſſe mediatos.

3. Id verò jus omnium provinciarum commune & uniforme eſſe, nec inde diſcrimen earum peti poſſe.

4. Quàm inde differat quæſtio mediatæ & immediatæ civitatis, unde Provinciæ ſtatùs ſui differentiam capiunt: & in quibus illa conſiſtat.

5. Eam differentiam non attendiſſe, aut non percepiſſe eos, qui nuper diſſenſère, ſed confudiſſe, & vel hoc ſolo collabi dubia ipſorum.

6. Prior ſpecies ſeu ſenſus non ſpectat niſi nudum modum poteſtatis magiſtratùs.

7. Priore hoc ſenſu omnes ſubditos naturâ eſſe immediatos, etſi Princeps eos per alios gubernet.

8. Cives Imperii ſub Merovingis & Carolingis fuiſſe immediatos, poſtea ferè mediatos.

9. Eam mutationem factam Carolingis in Germaniâ deficientibus.

10. Primùm ita publicè conveniſſe inter Saxonem & Bavarum: reliquos deinde Duces in eam formulam acceſſiſſe.

11. Exponitur diſcriminis hoc ſenſu ſumti ratio.

12. Poſtea diviſis Provinciis reliquos Principes ducibus æquatos, pariter jure proprio terras cum regalibus in feudum ab Imperio accepiſſe.

13. Ab hac mediatorum & immediatorum ſignifica-

ficatione non diſtingui provincias, ſed hactenus eandem omnium formam & conditionem eſſe.

14. *Hoc ſenſu diſcrimen illud eſſe meri juris civilis & arbitrarii, & pœne intra fines Regni concluſum.*

15. *Altera verò ſpecies non ſpectat meram poteſtatem magiſtratus, ſed totum civitatis corpus ejusque commune bonum.*

16. *Hujus boni communis causâ populos liberos in civitates coiisſe: ejusq; procurandi facultate contineri libertatem publicã.*

17. *Publicam libertatem tolli civitate bello victâ: privatam civium non item; niſi & bello capti ſint.*

18. *Sed & publicam libertatem plerumque victis reſtitui; idque jure gentium fieri conceſſâ* αὐτονομίᾳ, *ſeu ex formulâ,* ſuis legibus vivere.

19. *Talis civitas bello quæſita & alteri unita, an immediatum fiat membrum civitatis victricis? Et diſtinguitur inter eam, cui permisſum autonomiâ ſeu ſuis legibus uti: & cæteras.*

20. *Civitates bello victas, quibus permiſſum eſt ſuis legibus vivere, eſſe mediatas & liberas.*

21. *Reliquas eſſe immediatas, & non liberas libertate publica; nec ſuis ſed victoris legibus vivere.*

22. *Quàm longè prius illud diſcrimen civile mediatorum & imediatorum, ab hoc ſenſu & diſcrimine Juris Gentium diſtet.*

23. *Prius ut ſit à mero inſtituto civili; alterum ab uſu & jure gentium.*

24. *Applicatio poſterioris diſcriminis ad formam Imperii Germanici ejusque Provinciarum.*

25. Hinc fluere omnia Provinciarum jura, earumq; difformitatem, quæ ſaltem per indicem recenſentur.

26. Tranſitus ad hujus materiæ, cujus primæ ſaltem adhuc lineæ ductæ ſunt, pleniorem illuſtrationem & demonſtrationem. Hoc caput è radice libertatis exurgere, & proinde ab ea inchoandum eſſe.

§. I.

Nihil in univerſo Imperii Romano-Germanici orbe ſeu ambitu, ejusque Jure publico, pervagatius eſt, quàm diſcrimen illud Civium Imperii *mediatorum & immediatorum*. Verùm non idem horum verborum ſenſus eſt, ſed duæ inprimis ſignificationes ſeu ſpecies, inter quas plurimum intereſt; atque hæc differentia parum vulgò perſpecta videtur.

2. Illud omnino notiſſimum eſt, immediatòs dici omnes Imperii Status; eorum verò ſubditos ac Landſaſſios mediatos. Prius ideò, quia Status poteſtatem in cives ſuos & jura regalia immediatè ab Imperio tenent; alterum, quia eam jure proprio habent: unde Subditi Ipſos primùm ut veros ſuos Dominos immedia-

diate, Imperii autem deinde ſuperiorem autoritatem mediatè agnoſcunt. Quemadmodum hoc ſenſu etiam Nobilium iſtorum, qui jura regalia immediatè ab Imperio recognoſcunt, ſubditi dicuntur mediati, ipſi verò immediati.

3. Hoc verò non certæ Provinciæ peculiare, aut alteri præ altera præcipuum, ſed uniforme per univerſum Imperium, atque commune & æquale omnium Provinciarum Imperii jus fuit, atque iſthæc par omnium & promiſcua conditio, ut cives, qui proprios ſuos dominos immediatè habent, imperii poteſtatem mediatè ſuſpiciant: & magiſtratus è contrario, qui poteſtatem propriam ac regalem habent, ipſi eam non niſi immediatè ab Imperio teneant, & in cives ſuos exerceant, atque hi adeò dominis ſuis immediatè, Imperio autem mediatè ſubjecti ſint. Cùm igitur hac re non differant Provinciarum formæ ac ſtatus, non poteſt per hos gradus ad diſcriminis noſtri obliteratam prope vetuſtate originem evadi, nec ab hoc ſenſu Provinciæ diſtinctionem iſtam, cujus nunc cauſam indagamus, accipere: neque adeò ad hanc quæſtionem illud quicquam pertinet, ſed alia origo inveſtiganda eſt.

4. Etenim non hîc quærimus de modo poteſtatis, quo Status & alii præſunt ſubditis ſuis, proprio jure an adminiſtratorio; aut, quo hi parent Imperio, mediatè an immediatè, cujus rei forma eadem eſt in omnibus provinciis, ſed id

id in quæſtione eſt, cur iidem Magiſtratus, qui in aliis Provinciis in Comitiis Imperii ad immediatam ejus gubernationem, (ut in Francia, Suevia, & terra Rhenenſi) concurrunt; in aliis, [ut in Bavaria & Saxonia] inde excluſi ſint? Cur, qui in illis ſunt Imperii Status immediati, in his non ſint? Cur, quæ in illis Judicia ſunt immediata Imperii, in his illa ſint Ducatûs vel territorii? Cur illæ peculiarem Curiam [vulgò *ſcamnum*] à Provincia ſua nominatam in Curia Imperii univerſali habeant; hæ non habeant? Cur in illis Nobiles ſeu Miniſteriales immediatè Imperii milites habeantur, eique ſoli operam & fidelitatem præſtent; in his, Ducatui ſeu territorio? Unde & alia jura, beneficia, & onera fluunt quàm plurima, ratione Auſtregarum, matriculæ Imperii, ſuſtentationis Cameræ, & militiæ &c. Quæ diſcrimina à priore illa ſpecie mediatorum & immediatorum, quippe quâ provinciæ ab invicem non differunt, proficiſci non poſſe, ſed à formula ſeu lege originaria, quà Corpori Regni Francici unitæ & inſitæ fuère, procedere, oſtendimus *in Jur. publ. c. 3.*

5. Hanc igitur differentiam, geminumque mediati & immediati Juris ſenſum, cùm non attenderent vel caperent, ſed priorem illam ſpeciem unicè ob oculos haberent qui nuper de hoc articulo Juris publici ſcripsère, eò delapſi ſunt, ut ad illius rationes & regulas exigerent

no-

noſtram illam terræ vel civitatis mediatæ & immediatæ diſtinctionem, quæ ab altera illa diſtat quam longisſimè. Unde non potuit in ipſorum objectionibus non confundi & tota conturbari ratio; nec Illi operam perdere, & documentum Ipſi de ſe dare, quàm alteram illam ſpeciem, quæ nùnc pertractanda eſt, cognitam perſpectamque planè non habuerint, ut adeò vel hoc ſolo funditus corruant omnia, quæ mota ab ipſis ſunt, dubia. Quæ ut magis conſpicua fiant, utriusque differentiæ conſpectum paucis ante tractationem quæſtionis noſtræ præmittemus.

6. Prior igitur ſpecies mediatorum & immediatorum tantùm, ut diximus, pertinet ad modum poteſtatis, quam Magiſtratus exercent in ſubditos ſuos vel proprio ſuo, vel Superioris vicario jure; indeque hi Imperio vel mediatè vel immediatè ſubjecti ſunt.

7. De quo notandum eſt, naturâ & originario jure omnes cives immediatè ſummo Magiſtratui ſubjectos eſſe. Etſi enim ſummus Princeps non omnia per ſe, ſed per aliorum officia remp. gerat: Illi tamen non ſuo, ſed Principis nomine ac jure, & Princeps per Ipſos, Ipſorumque miniſterio imperium in Cives exercet: & ex adverſo cives nihilominùs omnes ſummo Principi immediatè ſubjecti ſunt. Perinde ſcil. ut filiif. immediatè ſunt in poteſtate Patris; etſi Ille gubernatorem ætati vel moribus

bus præfecerit, cui obedire eos oportet: vel, ut quilibet privatus manet immediatè rerum ſuarum omnium dominus, etſi procuratorem univerſorum bonorum cum pleniſſimo mandato, & cum poteſtate omnia agendi inſtar domini conſtituerit. ut *in l. 60. §. fin. ff. Mandat.* Quin Romani ſervos quoque rebus ſuis omnibus, ruri & in urbe, præponere ſoliti, omnia tamen immediatè in poteſtate habuèrunt. Ita initio Romæ *omnia manu à Regibus gubernata* ait Pomp. *in l. 2. §. 1. ff. de Orig. Jur.* & tamen per officia & miniſteria, quin per curias populi remp. Rex geſſit. *d. l. 2. §. 2.* Non enim jus ac poteſtas, quin nec actio, eſt inſtrumenti, ſed cauſæ efficientis, ſeu agentis per inſtrumentum aut miniſterium alterius. *l. 5. §. 3. ff. de Adm. tut. arg. l. 18. pr. ff. de Adq. poſſ. l. 13. §. fin. l. 14. ff. de Pec. conſt. l. 1. princ. ff. quod Juſſ. &c.*

8. Atq; ita ſub Merovingis & Carolingis obtinuit hæc genuina reip. ratio, omnesq; regni cives regno immediatè, quemadmodum & jure communi, ſubjecti fuêre, niſi quibusdam terræ in feudum datæ eſſent. Quemadmodum igitur hoc jus tum commune omnium provinciarum fuit, nec ex eo proinde earum diſcrimen natum fingi poteſt: ita poſt Carolingos immutata eſt hæc Imperii forma, &, cùm ſinguli Germaniæ populi eorumque Duces propriam poteſtatem ſibi aſſererent, è contrario reliqui cives regulariter mediatè Imperio ſubjecti ſunt; & hæc quoque tum

tum fuit conditio omnium Provinciarum par & æqualis.

9. Ea verò forma jam tum invaleſcere cœpit, cùm flos Carolingicæ familiæ marceſcere, & invictum illud Francici Regni robur fluere, virtusque jacêre & conſeneſcere viſa eſt, nec contineri ampliùs tot potentisſimi populi victricis familiæ reverentiâ poſſent, ac mox ipſa Carolingorum ſtirps in Germania exoleſceret. Tum enim præcipui iſti Germaniæ Principes priſtinæ Majorum potentiæ Majeſtatisque memoriam repetere, & præſentem ejus recuperandæ opportunitatem circumſpectare: Quâ omnes in eandem ſpem arrecti, & tam potentiâ, quàm potentiæ ſtudio & cupiditate pares, facilè, ut votis ita & ſuffragiis, in eam coiêre ſententiam, ut ſalvâ Imperii, ejusq; SSti Capitis Majeſtate & ſupremo Imperio, ipſi quoque in populos ſibi parentes Regiam ſeu proprii Juris poteſtatem vindicarent, atque, ut Auguſtus Imperator in univerſum Imperium, ita Ipſi in ſuam portionem, ſeu in ſuum populum, terrásque ſibi ſubjectas, jura Regalia, non mero officii, ſed proprio nomine, ſub auſpiciis tamen Imperii & Imperatoris exercerent: verùm à Regio nomine abſtinerent, Ducisque, quod Regio proximum fuit, contenti eſſent.

10. Ita primùm convenit inter Henricum Saxonem, tum unà Imperatorem, & inter Bavarum, cùm in acie ſtarent. Et in easdem leges de-

deinde acceſſêre Sueviæ & Franciæ Duces, nec non Palatii Regii ſeu Rhenani Comites, ac pariter terræ Rhenenſis Duces: quæ omnia *in Jure publ. d. c. 3.* latè expoſita ſunt. Ita factum, ut hi populi, qui antè ſub Carolingis immediatè paruerant Imperio, tunc ei mediatè, Duci autem ſuo immediatè ſubeſſe viſi fuerint.

11. Hoc ſenſu igitur mediatorum conditio, ut dictum, in eo vertitur, quòd, licèt Imperii ſummæ poteſtati & illi ſubjecti ſint, primùm tamen proprium & peculiarem Dominum agnoſcant, qui proprio jure & regali poteſtate terris iſtis imperat, & proinde ipſe Imperii Majeſtatem immediatè, ſubditi verò ipſius vel Landſasſii per Ipſum, atq; ita mediatè eandem reverentur. Pari ratione, ut jure Feudorum Subvaſalli immediatè Vaſallis fidelitatem debent; at per hos & mediatè etiam Domino directo. *2. F. 55. §. Inſuper 2. verſ. Illud quoque.*

12. Quemadmodum verò vaſti hi Ducatus ſucceſſu temporis in partes ſcisſi, eóque Ducum poteſtas in plures diviſa ac diſpertita fuerit, latè expoſitum eſt *in Jur. publ. cap. 3. paſſ. & cap. 15. §. 29.* Quo facto proinde ipſius quoque Ducis poteſtas plurimùm attrita & fracta, atque, cæteris inde ſubductis, ſuæ partis finibus, ſatis aliquando anguſtis, concluſa fuit; reliqui verò Principes dignitate ac poteſtate cum ipſo exæquati, pariter terras ſuas cum Regalibus jure pro-

proprio in feudum ab Imperio accepère. Quorum exemplo & cæteri Proceres immediati, Comites, Barones, Civitates, Prælati quoque, quin & Nobiles immediati, ſenſim terras ſuas & Regalia in jus proprium per univerſum regnum, uſu partim, partim Imperatorũ indulgentiâ acquiſiverunt. Quâ mutatione numerus Procerum & Magiſtratuum immediatorum ac jure proprio utentium valde augeſcere cœpit; at civium mediatè ſubjectorum non adeò, quippe qui jam antè quoque Ducibus ſubjecti, mediatè paruêre Imperio.

13. Inde conſtat, ab hâc ſpecie mediatorum & immediatorum, quæ tantùm ſpectat poteſtatem Magiſtratuum, modum ſcil. quo eam in ſubjectos exercent, non diſtingui provincias inter ſe; ſed hactenus eandem omnibus rationem ac formam eſſe, quòd per univerſum Imperium, nullo terrarum diſcrimine, ſi poteſtas jure proprio conceſſa fuit, ſubditi mediati, aliàs immediati dicuntur; idque per omnes provincias idem & par jus fuit.

14. Sed & illud inde patet, hanc ſpeciem mediatorum & immediatorum eſſe juris merè arbitrarii & civilis, ſeu, ut vocant, poſitivi, & quaſi recens natam; ex quo, ut jam diximus, Carolingorum victrice domo deflorefcente, Principes primates Imperii poteſtatem, quam antea nomine Imperatoris vicario adminiſtrabant, arrepta temporum occaſione, jure proprio

Digitized by Google

ſibi vindicârunt; & ex quo proinde Ipſorum ſubditi, qui antè Imperio immediatè ſuberant, tunc mediatè ſubjici cœpêre. Adeò iſta diſtinctio hoc ſenſu liberrimi arbitrii atque ad nutum mutabilis eſt, ut per Imperium cives, qui antea immediati erant, momento quaſi facti fuerint mediati: & adeò anguſtis ſpaciis circumſcripta, ut Imperii pœne terminis contineatur: niſi & alibi Rex ita magiſtratum conſtituat, ut jure proprio præſit territorio, quod in ejus arbitrio, ut diximus, ſitum eſt.

15. Atq; hæc hactenus de primâ ſpecie mediatorū & immediatorum. Sequitur jam altera illa ſpecies, quâ non mera poteſtas Magiſtratus, ſed ipſa civitas vel mediata vel immediata dicitur. Quæ diſtinctio totum civitatis vel reip. corpus ſpectat, quatenus ex capite & membris, ſeu magiſtratu & civibus conſtituitur, atq; ita in unum cœtū collecta eſt ad commune & publicum totius corporis bonum tuendum & procurandum.

16. Cùm enim ideo Gentes in civitates coierint, ut communi ſecuritati ac felicitati ſuæ publicæ communiter conſulere, atque pro ſuo lubitu de hoc bono civitatis ſuæ publico ſtatuere, legesq; prout è republica maximè viſum fuerit, ferre poſſint, ea poteſtas libertas publica, & talis populus liber dicitur, qui ſua lege ita vivere poteſt. Atque in id Moderatores & Magiſtratus civitati conſtituuntur, quibus publici hujus boni tuendi, atque in id leges ferendi cura commiſſa eſt. *de quo c. 5. & 6. inf.* 17.

17. Verùm hæc poteſtas & libertas publica deſinit jure gentium, cùm populus ille armis ab alio vincitur, eoque, ut in victoris poteſtatem, ita & in illius leges redigitur. Talis ergo publicæ hujus libertatis ſuo jure vivendi privatio quædam ſervitus publica eſt, quæ in eo ſolo conſiſtit, quod populus bello victus, non ſuis jam, ſed Victoris legibus vivat. At ſingulis civibus libertas privata, perinde ut antè, pleniſſimè ſalva, & quoad illam veriſſimè illi liberi manent, & neutiquam ſervi fiunt, nec ſtatus eorum privatus ullâ re mutatus intelligitur; exceptis iis, qui ex civibus bello capti ſunt, & inde priſtino jure Gentium ſervi fiebant.

18. Non tantùm autem ſua ſingulis libertas privata, victâ licèt civitate, integra omnino fuit, uti in proceſſu demonſtrabitur, ſed & ipſi civitati ſeu populo victo plerumque, clementiâ Victoris, reſtituta eſt poteſtas ſuo jure vivendi, ſeu αὐτονομία, uti inter gentes vocata fuit; quô ipſo proinde libertas quoq; publica ipſis reddita, tantiq; hoc beneficium ſemper & ubiq; gentibus viſum fuit, ut pro eô ad internecionem depugnaverint; & meritò, ut mox pleniùs apparebit.

19. In hac ergo ſpecie quæritur, An civitas libera ab alia civitate libera bello victa, ſit membrum ipſius immediatum an mediatum? Et diſtinguendum eſt inter civitatem bello victam, cui reſtituta eſt autonomia ſua, datumque le-

gibus ſuis vivere; & inter eam, cui id datum non eſt, ſed quæ in præſenti ſtatu ſuo poſt victoriam relicta eſt.

20. Prior, αὐτόνομος facta, non eſt civitatis ſuperioris ſeu victricis membrum immediatum ſed mediatum. Etſi enim jure belli & victoriæ populo victori quæſita in unam cum eo populo civitatem coaluit; tamen, cùm per autonomiam redditum ipſi eſt jus propriæ civitatis cum proprio jure, peculiaris quædam & à ſuperiore quodammodo diverſa civitas eſt, quæ ſeparatas ab altera rationes habet. Ut adeo duæ quodammodo ſint civitates; quarum quælibet proprios ſuos cives indigenas, vel in ſuæ civitatis jus receptos habet: Altera ſuperior, cujus cives & civitates membra ipſius ſunt immediata; altera ei cohærens & ſubjecta, cujꝰ cives ſuæ quidẽ civitatis pariter membra ſunt immediata, ſed ſuperioris mediata, cui altera ſubjicitur ſalvâ ſuâ autonomia ſeu libertate publica, adeoq; ſalvo ſuæ civitatis jure. Unde & illa ſuo modo libera & populus liber dicitur: quia idem re ipſa inter Gentes eſt libertas, autonomia, ſeu ſuis legibus vivendi licentia, & jus propriæ civitatis.

21. Altera igitur civitas bello victa, nec, ita ut prior, reſtituta, eſt è contrario membrum ſuperioris immediatum: quia jure victoriæ ipſi propriũ imperiũ, autonomia, ac ſuo jure utendi facultas ablata, ipſaq; adeò forma propriæ civitatis extincta eſt. Nullum igitur imperium ejus pro-

proprium intermedium eſt, cujus contemplatione membrum ſuperioris civitatis mediatum intelligi posſit; nec civitas à ſuperiore diverſa aut mediata videri, quæ ex lege victoriæ deſiit eſſe per ſe civitas, & deleta bello propriæ civitatis imagine, tota in jus, poteſtatem, ac leges alterius civitatis ſuperioris abiit. Ex quo ſequitur, talem civitatem armis ab alio populo ſubactam, non eſſe publica libertate liberam, id eſt, ſuo proprio jure, ſuisque legibus uti non poſſe; ſed hactenùs in publica ſervitute eſſe, id eſt, victoris jure ac legibus vivere, ejusq; adeò partem eſſe immediatam.

22. Deinde hinc notandum, quàm latè disſideat prius illud diſcrimen mediatorum & immediatorum ab hoc noſtro, & quid interſit, inter ſubditos primo illo ſenſu mediatos, & inter formam mediatæ civitatis per autonomiam conſtitutæ. Priore enim ſenſu ideò tantùm cives mediati dicuntur, quia illi, qui ſecundùm Regem ipſis præeſt, poteſtas non mero jure adminiſtratorio & Regis vicario, ſed proprio conceſſa eſt, adeoque illi primùm immediate, Regi verò mediatè ſubjecti intelliguntur; quod unicè jus & perſonam ejus qui præeſt, & ſolum modum ac qualitatem poteſtatis ipſius reſpicit; corporis verò ſeu populi libertatem & autonomiam non alterat, ſive Magiſtratus eam exerceat jure proprio ſive ſuperioris; nec unitatem civitatis rumpit. At mediatæ civitatis, de qua hic agimus,

mus, appellatio ſtatum totius corporis, & jus aë bonum commune totius populi & civitatis, atq; univerſam ejus, id eſt, cùm Capitis tum membrorum felicitatem, cujus procurandæ & tuendæ causâ gentes in civitates convenêre, complectitur, cujus adeo normam ſequitur Magiſtratus; Nec refert, ſuo an ſuperioris nomine poteſtatem exerceat; ſeu, utrùm Superior (quod in ipſius arbitrio eſt) ipſemet per ſe poteſtate ſuâ utatur; an per alios: Et, ſi per alios, utrùm his merum tantùm adminiſtrandi officium, an propriam aliquam poteſtatem commiſerit. Quâcunque enim ratione illam temperaverit, eadem civitatis eſt libertas, & civium parendi neceſſitas; atque ita utroque modo civitas illa mediata ac libera eſt, ſuisque legibus ita utitur, ut Superior hanc ejus libertatem & autonomiam imminuere vel tollere non poſſit.

23. Prius diſcrimen ab inſtituto & meri juris civilis, ac recens inventum, nec inde provinciarum Imperii differentia eſt, ut ſup. §. 14. jam dictum fuit. At alterum jus commune gentium eſt, & latisſimè patet, nec vel locorum vel temporum finibus circumſcriptum, ſed apud omnes Gentes & ab omni memoria inter Gentes memoratum uſurpatumque fuit. *de quo c. 11. & ſq.*

24. Hinc in promtu jam eſt applicatio ejus ad Statum & formam Imperii Romano-Germanici, ejusque provinciarum: Ex quo enim populus Francorum, regno ex duabus provinciis, Fran-

ciâ

ciâ orientali & terra Rhenenſi, conſtituto, (vid. *Jur. publ. cap. 3. ſect. 6. §. 83. & ſeqq.*) reliquos Germaniæ populos liberos, ſcil. Suevos, Bavaros, & Saxones, bello victos regno Francorum adjunxiſſet, conſtat Bavaris & Saxonibus *αὐτονομίαν* ſeu libertatem, & propriam adeò poteſtatem in terras ſuas reſtituiſſe; *d. cap.* 3. *ſect. 1. §. 6. & ſect. 3. §. 37.* Suevis devictis non item. *d. cap. 3. ſect. 2. §. 21. & ſeqq.* Sequitur ergo, Bavaros & Saxones, ex reſtituta autonomia, mediata Regni Francici membra fuiſſe; Suevos, ex negatâ, immediata.

25. Ex hoc igitur capite & ſcatebra non tam ducitur quàm ultrò manat illa Provinciarum difformitas, quæ notata eſt *ſup. §. 4.* Inde enim in Francia, terra Rhenenſi, & Suevia, ut provinciis Regni immediatis, Judicia, Magiſtratus, Præfecti terrarum, civitates, Miniſterialium ſeu Nobilium ordo, &c. Regis ac Regni fuêre; in reliquis, tanquàm mediatis, Ducū ſeu Ducatûs. Illæ ad fiſcum Regni pertinuêre; hæ ſui juris fiſcum, & rationes quaſi ſeparatas à rationibus regni habuerunt. Hinc & illæ leges à Rege ac Regno accepêre, hæ proprio jure uſæ ſunt. Reges enim Francorum non modò Franciæ & terræ Rhenenſi, quibus regnum Franciæ conſtitit, ſed & ſuas Suevis ſeu Alemannis leges in conventu Procerum Regni dedère, ut patet ex initio legum Alemann. *apud Lindebr. de Legib. Germ.* cùm é contrario Bavaris, etiam autori-

toritate quidem Regis, ſed per Agilolphum, (ex cujus familia ipſi ſibi Duces elegèrunt) aliosque Principes Bavaros leges latæ ac renovatæ fuerint: ut pariter videre eſt *ap. Lindebr. d. tract. in exordio legum Bajuv.* Ita & publica onera illis a Rege immediato impoſita fuére; his à Duce, &c. Ab hac denique differentia & illud, quod palmarium eſt, pendet, quòd quædam Provinciæ concurrant cum Ducibus in gubernatione Comitiali Regni, atque adeò in ipſo exercitio ſummi Imperii, tanquàm Status Imperii; aliæ non item: qualiter & quousque, ex tractatu ipſo planum fiet.

26. Atque hæc hactenus rudi ſaltem adhuc penicillo delineavimus, quæ omnia pleniùs jam evolvenda & demonſtranda ſunt. Etenim hujus jam Juris Gentium fontes penitiùs recludere, & intimiores ſinus atque receſſus excutere, operæ precium viſum fuit; non quod ad dubia, quæ mota ſunt, ſolvenda eo opus ſit; cùm tanti illa non ſint, & vel ex hactenùs dictis ultrò corruant; ſed quia hæc materia, cujus tam illuſtres effectus in jure publico hodieque ſpirant ac vigent, in primis digna videtur, quæ (quod hactenùs factum non apparet) luculenter & δι' ἀκριβείας atque eò diligentiùs examini ſubjiciatur, quòd eâ expoſitâ cùm geminæ libertatis, publicæ & privatæ, & decantatisſimæ inter Gentes Autonomiæ, ſeu formulæ, *ſuis legibus vivere*: (cujus inæſtimabile adeò precium, & infinita inter Gen-

Gentes cupiditas fuit) quæque inde pendent civitatis mediatæ rationes; tum porro ipſum totius ſinceræ Prudentiæ legislatoriæ ac civilis caput appariturum exiſtimem. Inprimis ergo libertatis notio diligenter evolvenda, ejusque generalis natura & forma ab ovo repetenda eſt.

Cap. II.

De libertatis privatæ & publicæ natura: & oppoſito ei Statu ſervitutis privatæ & publicæ.

SUMMARIA.

1. Libertas eſt facultas agendi quod ſibi lubet; ſervitus neceſſitas, quod aliis.

2. Utriusque definitio jure tradita quàm ſit ex omni parte accuratiſſima.

3. Libertas eſt conſtitutio Naturæ; ſervitus conſtitutio Gentium.

4. Libertas eſt vel privata, vel publica: illa, facultas ejus quod ſingulis de re ſua lubet; hæc, ejus quod civitati de re publica.

5. Ita & ſervitus: privata ſcil. eſt neceſſitas ejus, quod alii, privato ſc. domino lubet; publica, ejus quod alteri reip.

6. Utramque libertatem & ſervitutem, publicam &

& privatam, prædictis deſinitionibus, ut ſpecies ſub genere, pariter comprehendi.

7. Populus bello victus deſinit eſſe liber; ſinguli non deſinunt, niſi bello capti. remiſſ.

§. *I.*

UT igitur ordine inde ordiamur, libertas Zenoni & Stoicis dicta fuit *ἐξουσία αὐτοπραγίας*, ſuo nutu agendi licentia, ut docet *Diog. lib. 7. in Zen. Citt.* ſeu poteſtas vivendi ut velis; prout loquitur *Cic. Paradox. V.* Hujus itaq; libertatis privatio, quæ *ſervitus* dicitur, eſt, cùm non tuo, ſed tantùm alterius lubitu tibi agere licet. Omnis igitur libertatis vis & ratio eo abſolvitur, ut quis poſſit agere, quod ſibi libet, & ſuo arbitrio vivere, atque adeò ſibi ipſe legem dicere, qua agere velit; & hic proinde ipſe eſt actionum ſuarum Dominus & arbiter. E contrario, ſervitutis forma & conditio tota in eo eſt, ut quis teneatur agere, quod alteri, ut domino, libet, & alterius ideò nutu vivere, legemque agendi ab alio domino accipere: qui proinde alterius dominio ac poteſtati ſubjectus dicitur.

2. Hinc liquet, quàm accuratè utriusque definitio in Jure tradita, & in ea privativa illa oppoſitio dextrè obſervata ſit, cùm *libertas* dicitur eſſe *naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, niſi*

niſi ſiquid vi aut jure prohibetur. §. *1. Inſt. de Jur. perſ. l. 4. pr. ff. de Stat. hom.* Et *ſervitus* contrà, *eſt conſtitutio juris gentium, quâ quis alieno dominio contra naturam ſubjicitur.* §. *2. Inſt. de Jur. perſ. d. l. 4.* §. *1.* quod nihil aliud eſt, quam privatio libertatis. Liber enim, qui ſua voluntate & lege agere poteſt, hoc ipſo eſt ſui ſuarumque actionum dominus. Servus verò, non ſuâ ſed alterius voluntate ac lege regitur; eóque alius eſt ipſius actionumque ejus dominus, & alterius adeò ille dominio ſubjicitur. Liberi hominis ſuum in ſe dominium ac poteſtas eſt; Servus, cùm eó privatus ſit, in alterius dominio ac poteſtate erit. Ille ergo ſuus, hic alterius eſt. Utràque ergo hac definitione nihil exactius eſt, adeò ut appareat, ab iis, qui quid mutatum voluêre, eam non emendatam fuiſſe, ſed non intellectam.

3. Libertas porrò à natura indulta eſt, Servitus à Gentibus conſtituta. Et hæc oppoſitio quoque in utriusque definitione bellè notata eſt. Ideo enim libertas dicitur *facultas naturalis,* §. *1. J. de Jur. perſ. l. 4. ff. de Juſt. & jur. d. l. 4. princ.* & §. *1.* ibi: *contra Naturam. ff. de Stat. hom.* eſtque adeò *conſtitutio Naturæ.* At Servitus à Gentibus conſtituta eſt, idque contra Naturam, ſcil. contra jus Naturæ, quod *permisſivum* dicitur, & legibus ex cauſa mutari poteſt: unde ſervitus conſtitutio juris Gentium dicitur: §. *2. J. de Jur. perſ. d. l. 4. ff. de J.* & *J. d. l.* 4. §. *1. ff. de* Stat. *hom.* id eſt, jus à Gentibus, veluti prius illud, jus à Na-

Natura, conſtitutum; quo ſenſu conſtitutio Principis dicitur jus à Principe conſtitutum. *tot. tit. ff. de Conſtit. Princ.* Unde & hactenus rectisſimè invicem oppoſitæ ſunt.

4. Hæc verò omnia, quæ de libertatis & ſervitutis diſtinctione ac natura diſputavimus, tum ad privatos pertinent, tum non minùs ad populos & civitates. In utrisque libertas eſt *naturalis facultas agendi quod ſibi;* & ſervitus *neceſſitas agendi quod aliis lubet. ſup. §. 1. & 2.* In privatis igitur, quod ipſis de privatis ſuis rebus & actionibus lubet; in civitatibus, quod ipſiſmet de publicis: utrobique intra limites juris. Uti ergo privatus liber dicitur, cujus eſt facultas agendi quod ſibi facere libet & de ſua re; adeóque qui rei ſuæ legem dicere, quam vult, poteſt; *l. 20. §. 1. ff. de Pact. dot. l. 10. C. de Pact. l. ult. in fin. & paſſ. C. de Pact. int. emt. l. 13. princ. ff. Comm. præd.* ita civitas libera, cujus eſt facultas agendi quod é re civitatis videtur, atque adeò quæ de publicis leges, quas ipſa vult, dicere, propriisq; legibus vivere poteſt, quod Græcis *Autonomia* dicitur, *de qua inf. cap. 10. & ſeqq.*

5. Atque ita ex adverſo, quemadmodum homo privatus ſervire dicitur, qui non ſuo ſed alterius arbitrio agit, adeoque legem agendi ipſe ſibi non dicit, ſed ab alio accipit; ita & civitas, quæ in publicis non ſuo arbitrio, ſuisque adeò legibus, ſed ab alio ſuperiore acceptis vivit & regitur. Idem ſcil. eſt, ſtatuere de ſuo quod lubet,

lubet, aut ſuæ rei legem dicere. *Nov. 22. c. 2.* ibi: καὶ ἔϛω νόμος ἡ ἰδίου βουλή: *& lex eſto ejus voluntas.* Utrumque libertatis eſt, ſive de privato quæratur, ſive de populo: & ſimiliter utrique communis ratio ſervitutis; alterius arbitrio vel alterius legibus vivere. Et qui agit, quod ſibi libet, de re ſua, is ipſe ſibi leges dicit, ut vult, ſive privatus ſit, ſive civitas: & ex adverſo, qui ſub alterius arbitrio eſt, ex ipſius placito agere, & ab ipſo leges agendi accipere tenetur, tum privatus tum populus.

6. Reſpondet itaque & libertatis & ſervitutis ratio ac definitio pleno ſenſu & ex omni parte cùm publicæ tum privatæ: quippe quæ tota poſita eſt vel in facultate ejus, quod ſibi; vel in neceſſitate ejus, quod alteri facere libet; ſed ſuo cuique modo, ſingulis in re privatâ, civitati in publica. Unde, etſi civitas libertate αὐτονομίας careat, eoque ſervire dicatur, quia alterius ſuperioris, non ſuis legibus remp. gerere tenetur, ſinguli tamen cives æquè liberrimi ſunt ac ſub autonomia, & utriſque pariter pleniſſima competit poteſtas de rebus ſuis diſponendi; utrique æquè νομοθετοῦσι, ſeu legem rei ſuæ dicunt, & uti dicunt, ita jus eſt. *d. Nov. 22. c. 2.* ſed intra cancellos legum publicarum, ſive ſuis civitas legibus utatur, ſive alterius ſuperioris. *L. 120. ff. de Verb. ſign. l. 13. C. de Teſtam. l. 23. §. 1. in fin. C. de legat. Nov. 1. c. 1. princ. arg. l. 55. ff. de legat. 1.*

7. Enimvero cives devictarum gentium manere libe-

liberos homines, niſi & ſinguli bello aut prælio capti, aut alio ex caſu ſervi facti fuerint, jam dictũ eſt, & de eo *infr.* agendi fortè adhuc locus erit.

CAP. III.

De gemino libertatis utriusque obice, Vi & lege.

SUMMARIA.

1. Facultati naturali agendi quod lubet, duo obices naturâ fixi ſunt: VIS & LEX.

2. Primum eſt, Vis major: & quid illa obſtet.

3. Alterum lex: & quid illa.

4. Facultatem agendi tolli vel naturâ vel lege: & quàm divina Juris Romani regulæ inde natæ.

5. Duo conſtituunt ſubſtantiam libertatis: facultas naturalis agendi quod lubet: & legis permiſſio. Facultate ſublatâ, ceſſat omnis juris effectus & obligatio.

6. Lege prohibente quod fit, non eſt actus libertatis ſed exceſſus.

7. Lex libertati repagulum objicit, non facultati: Vis facultati, non libertati. Illud vinculum juris eſt: hoc corporis.

8. Vinculum illud juris eſſe ipſammet obligationem: & hanc adeò exactiſſimè definitam fuiſſe jure Romano.

9. Hoc vinculum omni libertati & poteſtati, etiam publicæ & ſummæ injectum eſſe.

10. Idque eò magis, quò illa eſt auguſtior & ſanctior: eoque cum omni exceſſu & abuſu pugnat.

11. Cur homo rebus ſuis privatis abuti poſſit?

12. Hinc vinculum juris non

non obſtare abuſui in rebus privatis; obſtare in rebus publicis tanquam re ſacroſancta.

13. *Demonſtratur, illo vinculo nec Magiſtratus poteſtatem nec autoritatem minui, ſed augeri, quin re conſtitui; & Jure demum fieri, ut ſummi Magiſtratus poteſtate nihil majus & ſanctius; promiſcuâ verò ſeu ſolutâ licentiâ nihil vilius, profanius & deteſtabilius ſit: comparatione prædonum.*

14. *Brevis ἀνακεφαλαίωσις, cum concluſione.*

§. I.

Videndum nunc, quousque hæc facultas naturalis ejus quod libet, quæ libertatem conſtituit, pateat, cùm in infinitum extenſa non ſit. Neque enim hoc beneficium agendi quod libet, à Natura humano generi conceſſum, quo nihil in humanis divinius, confundendum eſt cum effreni & indomita licentiâ, quâ nihil profanius; ſed duo obices perpetui ei obducti ſunt, *Vis* & *Lex*.

2. Primum ergo VIS eſt, quæ facultatem naturalem noſtram impedit vel tollit: quia fieri poteſt, ut facultas illa naturalis agendi quod libet, impediatur per aliam vim majorem, puta per morbum, vincula, prædones, hoſtes; &c. ſive vis illa juſta ſit, ſive injuſta. Atque iſte unus quaſi peſſulus eſt, qui facultati illi naturali ejus

ejus quod libet, in definitione quoque obditur his verbis; *niſi vi prohibeatur.*

3. Alter verò LEX eſt: Nam nec ipſa Natura illimitatam & infinitam facultatem ejus quod libet, indulſit, ſed certis illam carceribus coërcuit, & ſuis concellis circumſepſit, intra quos demum facultas illa dicitur libertas. Quod ſi ergo homo eos perrumpat aut exiliat, non jam ex libertate agit, ſed libertatem excedit & violat; neque tum jus exercet, ſed injuriam: quod proinde alterum libertatis frenum in ejus definitione ſubjungitur, verbis: *niſi ſi quid lege prohibeatur.* Quæ paulò fuſiùs enucleari non abs re videtur.

4. Enimverò conſtat, quædam eſſe, quæ homines naturâ facere non poſſunt; quædam, quæ naturâ poſſunt, ſed jure prohibentur. Nam quædã ſunt, quorum facultatem Natura nobis non dedit: quædam, quorũ dedit, ſed quæ agi prohibuit. Neutra itaque facere poſſumus: Non illa, quia Natura negavit; non hæc, quia prohibuit. Unde fluxit divina illa Juris Romani doctrina; *Quæ contra leges & bonis mores &c. ſunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt. l. 15. ff. de Cond. inſt.* Quid enim intereſt, facultatem agendi Natura non dederit, an datam exerceri prohibuerit; cùm nulla ſit homini (nec ulli creaturæ) facultas, niſi ab Autore Naturæ. Item illa Juris Romani ſanctiſſima diſtinctio, inter impoſſibilia naturâ & jure, quæ

quæ æquè nulla ſunt. *l. 137. §. 6. l. 35. princ. & §. 1. ff. de Verb. obl. &c.*

5. Duo igitur ſunt, quæ ſubſtantiam libertatis abſolvunt: 1. Facultas naturalis agendi quod libet; Et 2. ejus permisſio ſeu non prohibitio. Si Natura prius, ſcil. facultatem, negavit, adeoque nulla eſt naturalis facultas, ſed naturâ imposſibile, res in quæſtionem juris non venit; quia fruſtra quæritur, An quis jure agere posſit, quod agere naturà non poteſt? Et, An quis teneatur agere, quod per naturam non poteſt: Unde iterum natæ illæ Juris Romani regulæ: *Quæ rerum naturâ prohibentur, nullâ lege confirmata ſunt. l. 188. §. 1. ff. de Reg. Jur.* Et alia: *Imposſibilium nulla obligatio eſt. l. 185. ff. eod.* Qualia non tantùm ſunt, quæ Natura homini prorſus negavit; ut in exemplo illo Juris vulgato: *Cœlum digito tangere;* ſed & quæ à caſu fiunt imposſibilia. Hæc dici ſolent *Vis major;* cui vel nulla potentia humana reſiſtere poteſt, uti tempeſtates, inundationes, terræ motus &c. vel eam alia potentia major vincit, ut vis hoſtium, prædonum &c.

6. Primùm ergo hoc in libertate ſupponitur, ut ſit poteſtas naturalis, ſeu naturâ data, adeoque reò posſibilis. Quo poſito ſequitur demum alterum libertatis membrum ſubſtantiale, ne lege id prohibitum ſit. Et ſi igitur hominis ſit illa facultas naturalis agendi, nec vis major ei obſtet, tamen libertas non eſt, ſi lege quid

 pro-

prohibitum eſt, *ſup.* §. 5. ſed, ſi non obſtante legis prohibitione agis, non eſt actus libertatis, ſed exceſſus; nec juris, ſed facti illiciti.

7. Legis igitur prohibitio frenum injicit libertati, non facultati naturali: Vis facultati, non libertati. Vis enim facultatem impedit, ne quis poſſit agere, etſi liceat; lex libertatem, ne agere liceat, etſi poſſit. Quà lex prohibet, ceſſat libertas; quà Vis, deſinit naturalis facultas agendi. Quemadmodum igitur Vis eſt vinculum corporis, ſeu facti, quo corpus vincitur ac ligatur, ne limites loci; ita lex, ejusve prohibitio, eſt vinculum Juris, quo voluntas conſtringitur, ne limites juris egredi poſſit.

8. Utrumque ergo vinculum parit neceſſitatem agendi aliquid vel omittendi: Vinculum corporis, neceſſitatem ne è loco; vinculum juris, ne à lege vinctus excedat. Hoc ergo vinculum juris, quod totum adeo in neceſſitate aliquid agendi vel non agendi conſiſtit, quid aliud eſt, re & voce, quàm ipſamet obligatio? cùm vinciendi, & ligandi ſignificatio prorſus ſit eadem; & utrique æquè oppoſitum ſolvendi verbum, quo liberatio indicatur. *rubr. ff. de Solut. & liber.* Ut fatendum ſit, nihil elegantius vel ſignificantius eſſe poſſe illa definitione juris Romani: *Obligatio eſt VINCULUM JURIS, quo NECESSITATE adſtringimur alicujus rei ſolvendæ, ſecundùm civitatis jura princ. Inſt. de Oblig.* quæ vim ejus omnem ad naturæ abruſſam penitisſimé exprimit.

mit. Atque hinc, uti libertas fons eſt omnis Juris permisſivi, quod in facultate agendi legitima conſiſtit, ita legis prohibitio fons omnis juris præceptivi, ſeu obligationum.

9. Cæterùm ut ad utrumque libertatis vinculum, *vim ac legem*, revertamur, commune id eſt omni libertati, privatæ & publicæ; & his limitibus omnis humana poteſtas, etiam ſumma, circumſcribitur: ut optimè Senec. *in Thyeſt. verſ. 610.*

Omne ſub regno graviore regnum eſt.

Nec publica igitur libertas, aut ſumma poteſtas, eſt facultas ejus quod lubet, ſi *vis major*, vel *Lex* prohibeat. Vis major ſcil. tum quæ à caſu & natura eſt, tum quæ à potentia majore, ut hoſtium, cujusmodi vis major ingentes terrarum tractus & validisſima regna ſubvertit. *Vid. ſup. §. 4.* Lex verò humanâ potentiâ major ac ſuperior, eſt lex Naturæ ſeu ſummi Creatoris, cui, & cujus reſpectu, omnes homines ſubditi ſunt; nec adverſus illam agere poſſunt quod ſibi lubet; ſed tenentur, quod alteri, ſupremo videl. rerum Arbitro: &, quod Illi quoque, quorum ſumma & liberrima poteſtas eſt, ultra hos fines agunt, non ex libertate agunt, ſed ex ejus exceſſu & abuſu. Unde vulgatum illud: *Quòd ſumma poteſtas neminem ſuperiorem agnoſcat quàm Deum & arma;* id eſt, *Legem* & *vim majorem.*

10. Atque iſte quidem legis obex hoc magis

 ob-

obſtat publicæ libertati ſeu poteſtati, quò illa auguſtior & venerabilior eſt, adeoque cum ea implacabiliùs pugnat omnis exceſſus & abuſus, quàm cum privata. Publica enim libertas & poteſtas civitate ac rep. tuendâ, conſervandâ, & augendâ continetur, non perdendâ, & abutendâ; & ob id ſolum inviolabilis & ſancta eſt. Hi enim ſunt cœtus illi publici, in quos genus humanum à naturâ conſociatum, non aliam ob cauſam diſpeſcitur, quàm ut eò expeditiùs legibus ac imperiis regi ac defendi queat. Atque in id ipſum; adeò conſtituta eſt ſumma cujusque civitatis poteſtas, ut ex communi Imperantium & parentium voto ad comunis felicitatis metam certiùs perveniri poſſit: Unde hoc bonum conſervare, θειότερον *divinis* quid eſſe, ait *Ariſtot. L. 1. Ethic. 11.* De quo pleniùs *inf. cap. 5. & ſeqq.*

11. At privatæ libertatis, quæ in rebus privatis & profanis conſiſtit, hactenus & laxiores naturaliter ſunt fines, & ſolutior facultas agendi quod lubet; quòd ſinguli rebus ſuis privatis abuti quoq; poſſint. *l. 21. C. Mandat.* tum quia pleniſſimo jure & ſolus earum dominus eſt; et, cùm alteri nihil in eas juris ſit, nemini alteri injuria fieri poſſit: tum, quia res privatæ usùs promiſcui ſunt, & ad conſumendum, ſeu in quoslibet uſus, ut domino lubet, vertendum natæ, atque à natura conditæ ſunt; adeóque in materia Juris nihil refert, qualiter conſuman-

ur;

tur; etſi, cùm quæritur, quid bonum & virtutis ſit, in vitium prodigalitatis incidat.

12. Unde conſtat, quouſque publica libertas ſit facultas naturalis ejus quod lubet: ſcil. non quod ſingulis aut quibuſdam privatim lubet, ſed quod civitati; cujus publicum ac commune votum, ex parte cùm Magiſtratus tum civium, eſt publica ſalus & felicitas. Uti ergo ſinguli naturâ feruntur in id, quod privatim ipſis bonum eſt vel apparet; ita civitatum collegia in id quod é re publica videtur. Et, licét privatis, qui, ut domini, rebus ſuis abuti poſſunt, ſi id ipſis bonum videtur, lex quidem non obſtat; uti nec Magiſtratui & publicæ poteſtati in rebus privatis; at in re publica omnino obſtat: cui tuendæ & ornandæ, non conſumendæ & perdendæ, ſumma poteſtas à Natura in hoc culmen elata, & unicè ob ipſam hanc cauſam, ſacroſancta eſt, ut jam dictum.

13. Quo porrò patet, quàm & abſurda & peſtifera ſit vel ſuggeſtio vel adſentatio eorum, qui hoc legis vinculo imminutionem poteſtatis fieri clamant, idque indignè invidioſeque ferunt. Verùm & de ipſo DEO verè dicitur, quòd non poſſit peragère injuſta, propter ſummam ſuam perfectionem & ſanctitatem, quâ nec ferre poteſt injuſtitiam, nedum ipſe agere. *Job. 34. verſ. 10. Pſalm. 5. verſ. 5. & 7. Proverb. 15. verſ. 8. 9. Rom. 9. verſ. 14. &c.* Neque tamen id imminuit ejus ſummam poteſtatem, vel ipſam

ejus omnipotentiam; neque defectum potentiæ arguit, ſed virtutem & eminentiam. Hujus autem divinæ potentiæ, quæ non niſi intra fines Juris agere poteſt, vicaria eſt magiſtratuum ſumma poteſtas, Deoque in terris proxima, & ideò poſt Deum ſanctiſſima. Effrenis verò illa licentia agendi quicquid lubet, excuſsâ Juris reverentiâ, quæ alia eſt quàm Prædonum ac Latronum? Hi verò non viliſſimi hominum, ſed infra homines, & humani generis non pars ſunt, ſed buſta & peſtes. Unde qui hoc fuco Magiſtratuum aures obſident, magiſtratum extingvunt; omnemq; ipſi Majeſtati Majeſtatem, & id, quo ſolo illa Sacroſancta eſt, eripiunt. Quî verò ferri poſſet, ſacratiſſimam ſummi Magiſtratûs poteſtatem, quâ proximè ad Deum Ille accedit, in deſpectiſſimum Prædonum ac latronum ordinem projici, quin cum ſordibus volutari; atque ita poteſtatem, quâ nihil in terris ſanctius & divinius eſt, commutari cum eâ, quâ nihil fœdius, & deteſtabilius. Quantò generoſius eſt, quod duo Imperatores Auguſti, Magnus ille Theodoſius I. cum Valentiano, reſcripsère Præfecto Prætorio in *l. 4. C. de Legibus.* En reſcripti verba, notiſſima quidem, ſed ubique memoratu digniſſima! *Digna vox eſt Majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri. Adeò de autoritate Juris noſtra pendet autoritas: & revera majus Imperio eſt, ſubmittere legibus Principatum. Et oraculo præſentis Edicti, quod Nobis licere non*

pati-

petimur, aliis indicamus. Quæ ideò ſcripſi, ut teſtatum darem, hoc Juris vinculo nihil ſummo Magiſtratui detrahi, ſed è contrario ejus autoritatem, venerationem, dignitatem & ſanctitudinem à ſpuria & fucata illa magnitudinis ſpecie, quin à ſordibus aſſeri, & quaſi Majeſtati Majeſtatem ſuam vindicari.

14. Ex his traditis verò conſtat, libertatis privatæ facultatem eſſe ejus quod ſingulis in re privata; publicæ, quod civitati in re publica libet; ſed utriſque intra legem, quæ ſingulis quidem non obſtat, etſi re ſuâ abutantur; at obſtat rebus publicis, quæ tuendæ ſunt, non perdendæ; *ſup. §. 9. 10. 11.* In utriſque & illud verum eſt, libitum cuiq; eſſe, quod cuique bonum videtur, &, licèt illud non ſit verè bonum, ſed malum & noxium, tamen illud voluntas non appetit, niſi ſub ſpecie & forma boni; quod triplex ſtatuitur, honeſtum, utile, jucundum, de quo *cap. ſeq.*

CAP. IV.

Summam bonorum & votorum hominibus & populis in

libertate ſitam eſſe, eamq; jure gentium contineri formula, ſuis legibus vivere. De ejus precio infinito, & triplici bono, honeſto, utili, jucundo, quod naturâ appetunt hominus.

SUMMARIA.

1. *Naturâ cuivis animanti, & maximè homini inſitum eſſe ſtudium ſui conſervandi, votumque ſibi bene eſſe.*

2. *Hoc eſſe ab ipſâ Natura ſubſtantiâ, ejusque principium, nec aliunde magis ejus cauſam quærendam, quàm J͞ū eſſe.*

3. *Naturam non minùs averſari malum quàm non eſſe, probatur ab ipſa ratione primi Entis.*

4. *Inde id transfuſum eſſe in Entia creata, quorum ſenſus aliquis eſt.*

5. *Velle hominem quod ſibi bonum videtur, adeoq; & ejus conſequendi facultatem, quæ eſt ipſa libertas.*

6. *Hanc igitur eſſe omnium bonorum & votorum ſummam.*

7. *Et uſu gentium comprehendi formulâ, ſuis legibus vivere.*

8. *Quantum pro ea fuerit inter Gentes certamen.*

9. *Libertatis æſtimationem infinitam jure cenſeri.*

10. *Et ſummum inter gentes bonum.*

11. *Exemplo & prudenti conſilio J. Cæſaris.*

12. *Populo Romano eam vitâ potiorem fuiſſe.*

13. *Triplex bonum eſſe, honeſtum, utile & jucundum; eaque vera bona eſſe, & homines in id ferri, quod ſibi magis bonum videtur.*

14. *Si cum bono honeſto reliqua pugnent, hæc eſſe bona ſaltem apparentia, quæ ut vera appetuntur.*

15. *Voluntatem non poſſe appetere malum ut malum.*

16. *De Stoicorum paradoxo, ſolum bonum eſſe quod honeſtum.*

§. I.

§. I.

Libertatem continere ſummam eorum quæ homines in votis habent, vel ipſa definitio ipſius docet, nec, indole ejus ritè expenſâ & evolutâ, ambigi poteſt: quod ab inſtituto haut alienum eſt, in apricum deducere. Enimverò nihil toti naturæ animantium,& omnium,quorum aliquis ſenſus eſt, nedum homini, magis ac penitiùs inſitum ingenitumque eſt, quàm ſui conſervandi ſtudium: quo id maximè agit, ſitit, cupit, ardet, optat, ut ſibi bene, ut ipſe felix, ut beatus vivat. Unde quod bonum ſibi ſentit, vel exiſtimat, id amat, fovet, appetit; quod malum & noxium, id contrà averſatur, & ſævit; furit, ut propulſet. Illud ſpirat, anhelat; hoc horret & abominatur.

2. Neque ejus rei alia cauſa indaganda eſt; cùm illud ipſum ſit primum Naturæ principium, æquè ipſi proprium ac ipſum ESSE. Etenim, uti ſummum & univerſale bonum eſt ESSE; ita ſummum malum,NON ESSE. Unde quò magis quid accedit ad ESSE, eò perfectius eſt & melius; quò magis ad NON ESSE,eò pejus & imperfectius. Id ſentiunt & ſtatuunt cum Philoſophi tum Theologi, dum hanc regulam inde extrunnt; *Eſſe & bonum converti.* *Thom. Summ. 1.2. quæſt. 17. art. 1. Gabr. Vas quetz part. 1. Diſp. 23. c. 1. apud Dan. Stabl. Inſtit. Metaph. c. 38. p. 400. Conr. Hornej. Philoſ.*

moral. lib. 2. cap. 7. § 4. Scalig. de Subtil. Exerc. 207. cap. 27. Et è contrario: *Malum formaliter non eſſe niſi privationem: & hinc converti cum non eſſe. Thom. d. loc. quaſt. 21. art. 1. Euſtach. Quadrip. Phil. de Metaph. part. 3. diſp. 2. quaſt. 13. Hornej. d. c. 7. §. 12. Stahl. d. c. 31. pag. 400. & ſeq.*

3. Non minùs igitur Natura averſatur quod ſibi malum videtur, quàm non eſſe: nec minus appetit quod ſibi bonum putat, quam eſſe. Neque iſte ſenſus ab ulla, & ne quidem ab ea Natura, quæ omnium cauſa eſt, abeſſe poteſt. Hæc enim cùm neceſſariò ſit, non poteſt cum ea ſtare, non eſſe, aut velle non eſſe; adeoque velle quod (uti ſtatus non-entis) nec concipi poteſt: quippe qui directò pugnat cum neceſſitate Entis univerſalis, quod omnia Entia complectitur; adeò ut nec idea non-entis formari, nec conceptus fingi, nec magis intelligi poſſit, quàm contradictoria ſimul eſſe vera; ſeu, idem unâ eſſe & non eſſe poſſe. Unde nec magis hæc prima & omnium effectrix Natura, hoc Ens neceſſarium, averſari poteſt eſſe imperfectum, malum, miſerum, quàm non eſſe: nec minus velle eſſe ſummè perfectum, ſummè bonum, & ſummè beatum, quàm velle eſſe: quia, ut ſummè bonum beatumque eſt, cui nihil boni ſeu τῶ eſſe deeſt; ita ſummè malum & miſerum, cui omnia deſunt: atq; ita ἐν τῷ μεταξὺ, ſeu in gradibus intermediis, quatenus quis vult malum, quod eſt privatio boni ſeu τῶ eſſe, hactenus vult non eſſe, quod

quod pugnat cum totâ ratione Entis, præſertim neceſſarii.

4. Hanc igitur primi Entis naturam participant res ab eo conditæ; & pariter pugnat cum natura cujusque Entis, cui ſenſus ineſt, velle non eſſe, ſeu velle quod ſibi malum, & nolle quod ſibi bonum eſſe ſentit. Fruſtra ergo hujus rei cauſa prior vel anterior quæritur, aut aliunde arceſſitur, quàm ab ipſius Entis & Naturæ Univerſalis quaſi natura & ſubſtantia, cui congenita eſt, ut eſſendi, (cujusmodi vocibus veniam poſcimus, ut in præf.) ita & ſui quàm optimè conſervandi cupido. Quod proinde inter prima Naturæ principia eſt; idque ſenſerunt Veteres Gentium Philoſophi, præſertim Stoici, qui ideò hanc Naturæ animalis *ὁρμὴν* & ſtudium ſui, dixerunt *τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, prima Naturæ;* uti eſt apud *Gell. N. A. lib. 12. c. 5. L.* Vid. *Diog. Laërt. lib. 7. in vit. Zenon. ferè in med. Thom. Stanlej. Hiſt. Philoſ. tom. 7. part. 2. cap. 3. Grot. de J. B. & P. lib. 1. cap. 2. §. 1.* Et hinc Cato, cùm, Cicerone petente, diſſerere de virtute ſeu moribus ex mente Stoicorum pararet, ab hoc principio orationem cœpit; idq; ipſe teſtatur his verbis: *Hinc enim eſt ordiendum.* vid. *Cic. lib. 3. de Finib. c. 5. & ſeqq.* Et ipſe Cicero *lib. 2. de Finib. c. 11.* jam dixerat. *A primo, ut opinor, animantium ortu petitur origo ſummi boni.* Atq; de eo agere pergit *lib. 4. cap. 5. & lib. 5. cap. 9. & primum hunc ex natura appetitum* vocat, de quo & *Senec. Epiſt. 122.* pluribus agit.

5. E-

5. Equidem hoc & per ſe notum, & in comperto atque extra controverſiam poſitum eſt, quòd, ut omne animans, ita & homo in id naturà feratur, quod ſibi bonum eſſe ſentit, eóque cupiat ſe quàm maximè felicem, beatum, florentem eſſe, quisque privatim, populus publicè; tamen, cùm id caput rei ſit de quâ agimus, hactenus enucleatiùs id demonſtrare viſum fuit. Ex quo jam porro ſequitur, quòd unusquisque, qui quod ſibi bonum videtur, ardet, etiam ejus conſequendi facultatem ſitiat: quia quæ conſequi poſſe non vult, ea non vult. Atqui talis facultas eſt id ipſum, quod dicitur libertas, prout jure definita, & *cap. 2. ſup.* expoſita eſt; ſcil. facultas agendi quod ſibi libet, adeóque quod ſibi bonum videtur, ſeu, ut bene feliciterque vivere queat: id enim eſt quod naturâ libet, & in quod omnibus votis ſtudiisque agimur.

6. Unde verum eſſe liquet, omnium bonorum votorumque ſummam uno *libertatis* vocabulo comprehendi, quippe quæ dicitur *facultas naturalis agendi quod cuique libet:* Hoc verò quod cuique libet, & quod naturâ expetit, eſt, ut ſibi bene ſit, adeóque id omnium maximè, ut quàm optimè & quàm felicisſimè ex voto ſuo vivere posſit. Ea ergo facultas naturalis id agendi & in id contendendi, quo ad boni hujus ſibi exoptati fruitionem quisque pervenire, atque in felicitatis deſideratæ arcem evadere queat, ni-

nihil aliud eſt, quàm ipſiſſima libertas, quâ quisque ex ſuo voto, non alieno arbitrio, agit, & è re ſua ſibi ipſi legem dicere poteſt, non verò ab alio & in rem alterius accipere tenetur.

7. Ex quo porrò manifeſtum eſt, formulam autonomiæ inter Gentes uſitatæ, *ſuâ lege vivere poſſe*, ſimiliter nihil aliud eſſe, quàm ipſam formulam libertatis, quâ quisque quod ſibi, non alii, libet, id eſt, ex lege, quam ipſe ſibi, non quam alius ipſi dicit, facere poteſt. Nam hæc unum idemque ſunt; & privati quoque, qui de re ſua, prout libet, diſponunt, dicuntur ſibi de re ſua legem dicere. *l. 20. §. 1. ff. de Pact. dot.* ibi: *legem ſuæ rei dicit. l. 7. §. 5. ff. de Pact. ibi: pacta legem contractui dant.* Hinc quicquid partes in contractu vel negotio de re ſua ſtatuunt, lex contractûs appellatur, *l. 13. princ. ff. Commun. præd.* verb. *Venditor legem dederat, ut &c.* Et verb. *ſervitus imponi privata lege.* Et mox: *contractûs legem ſervari.* Et iterum: *per ſtipulationis vel venditionis legem obligantur.* Item in *l. 2. ff. eod. tit.* ibi: *hac lege comparavit.* Unde pactum Commiſſorium lex Commiſſoria vocatur. *rubr. & tot. tit. ff. de leg. commiſſ.* & ſic in aliis.

8. Non mirum igitur videri debet, adeò pro hac formula decertâſſe gentes, & tanti viſum fuiſſe, ſuâ, non alienâ, lege vivere, ut potiùs quàm eâ cederent populi, omnia perpeti, omnes bellorum atrocitates experiri; Se, conjuges, libe-

liberos, omniumque fortunas, honorem & vitam, quin, quod majus eſt, patriam in diſcrimen mittere ac præcipitare maluerint Nihil enim aliud jure victoriæ in eventum victis graviùs accidit, quàm ut in leges Victoris adigantur: cùm in victos & ſubactos in momento quaſi victoriæ ceſſent jura belli & hoſtium; ut dudum oſtendimus brevisſimè *in Diſp. de Jur. Vict.* Hoc ergo ſaltem ut evitent, bellum præferunt, quo quicquid miſeriarum, ſuppliciorum, vaſtitatum & calamitatum excogitari poteſt, totalisque excidii & exitii alea continetur. Hujus ergo omnium malorum Lernæ, & miſeriarum cumuli precium eſt, ſuâ, non alienâ, lege vivere; id enim quid aliud eſt quàm ex ſuo voto, non aliena libidine, agere? Id autem, homines omnibus rebus anteponere quî magis ambigi poteſt, quàm quæri, an velint quod omnibus votis volunt: vel, an cupiant, quod omni contentione omnique ſtudio & quàm maximè cupiunt.

9. Atque hæc cauſa eſt, cur libertatis æſtimatio infinita in jure perhibetur: *l. 176. §. 1. ff. de Reg. Jur. l. 8. §. fin. ff. Rem. rat. hab.* Nam & ipſa res inæſtimabilis dicitur: *l. 106. ff. de Reg. Jur. §. fin. Quib. ex cauſ. manum l. 3. ff. Si quadr. paup. l. 2. §. 2. de Tempor. appell.* quin non res privata ſed publica habetur. *l. 53. princ. ff. de Fideic. lib. &c.* Adeò hominibus nihil eſt ante libertatem!

10. Unde JCtus in *l. 39. §. fin. ff. eod. tit.* inquit;

quit: *Nibil æquè gratum hominibus præſtari poſſe, quàm libertatem.* Et Ageſilaus, cùm Pharnabacem Perſam in partes ſuas trahere ſpecie libertatis vellet, hoc utitur inprimis argumento: Ἐλεύθερον εἶναι ἐγὼ μὲν οἶμαι ἀντάξιον εἶναι πάντων χρημάτων. *Liberum eſſe ego arbitror. omnibus opibus anteferendum eſſe. Xenoph. Rer. Græc. lib. 4. fol. 349.* Uti ex adverſo quàm incredibilis amiſſæ libertatis dolor ac luctus apud Ætolos fuerit, deſcribit *Juſtin. lib. 32. cap. 1.*

11. Atque hunc humanæ naturæ ſenſum penitisſimè ei inſitum eſſe, optimè exploratum habuit Vir ſummus Julius Cæſar; qui ex eo præſagium futuri incommodi fecit, & unâ ejus amoliendi & præveniendi facultatem maturè nactus eſt. Accepto enim indicio, quasdam Galliæ civitates Romanis ſubjectas novis rebus ſtudere, auguratus eſt, plures civitates conſpiraturas, quòd, ut ipſemet addit, *intelligeret, omnes homines naturâ libertati ſtudere, & conditionem ſervitutis odiſſe.* Atque ab hoc argumento conſilium præveniendi cepit, &, diſtributo immiſſoque in terras earum exercitu, Gallias in officio continuit, & quieti publicæ tempeſtivè conſuluit. *Cæſ. de Bell. Gall. lib. 3. cap. 2. in fin.*

12. Populo autem Romano libertatem vitâ potiorem fuiſſe, præclarè deſcribit Cicero *Orat. 37. in Piſon.* ubi comparatione Catilinæ & Piſonis, hunc deteriorem ipſo Catilinâ fuiſſe, ex

eo

eo contendit; quòd Ille cum aſſeclis ſuis Senatum interficere, hic ejus autoritatem Clodio vendere præmio provinciæ voluerit. *Cædem,* inquit, *Illi civium, Vos ſervitutem expetiſtis. Hîc vos etiam crudeliores: Huic enim populo ita fuerat ante Vos Conſules libertas inſita, ut emori potiùs, quàm ſervire præſtaret.*

13. Cæterum, apprimè notandum eſt, non dici, homines naturâ ferri in bonum, ſed in id, quod cuique bonum videtur. Etenim triplex homini bonum eſt; honeſtum, utile, & jucundum; eaque omnia voluntas ut bona appetit: nam & ſunt vera in ſuo genere bona, ſed ſæpe invicem directô contraria: Ut bonum utile jucundo, cum membrum

Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Et contrà, jucundum utili, ut luxuria prodigo, *qui neque tempus neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundit;* ut loquitur *l. 1. princ. ff. de Curat. fur.* et utrumque bono honeſto, idque quàm ſæpiſſimè.

14. Nec dubium, ſi omnia hæc bona in eâdem re conveniant, quin acerrimo ſtudio omnique contentione in ejus amplexum quaſi ruitura ſit voluntas. Sed quid ſi pugnent? Nemo equidem poteſt ſimul contraria & pugnantia velle, & appetere; ſed unum eligendum eſt. *arg. l. 3. C. de Codicill. l. 1. C. de Furt. l. 14. C. de Fid. inſt. l. 188. ff. de Reg. Jur. &c.* Conſequens igitur eſt, voluntatem electuram illud, quod magis ſibi bonum

num videtur; quia minus bonum reſpectu majoris induit rationem mali, & ut malum apparet; quod proinde voluntas naturâ reſpuit §. 3. 5.

15. Etſi autem honeſtum verè majus & ſummum bonum ſit, adeóque eligendum hoc caſu videatur, cur tamen plerumque contrâ fiat, cauſa eſt Naturæ humanæ corruptio, quâ & primævum illud lumen rationis ita obnubilatum, & vis mentis debilitata eſt, ut & illa in juſta æſtimatione boni ac felicitatis cæcutiat; voluntas verò, cujus antea imperium in affectus fuit, nunc ita perverſa fuerit, ut hi illi imperent ac dominentur: prout hanc luctam & affectuum prævalens imperium mirificè depingit Apoſtolus *ad Rom. 7. verſ. 14. & ſeqq.* Igitur avarus, quem utilis; & luxurioſus, quem jucundi boni ſenſus ac titillatio abripit; Prædo, quem rapinæ delectant; Iracundus ab alio læſus,

Cui vindicta bonum vitâ jucundius ipſâ.

hæc ut ſibi bona eligent. Qui verò honeſti momenta ac precium, & inde ſolida veræ felicitatis præmia ritè penſabit, id in fortè movebitur. Quod iterum divinus ille *Apoſt. d. loc. cap. 8. v. 5.* ita exprimit. *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui ſecundùm Spiritum, quæ ſpiritûs ſunt, ſentiunt.*

15. Unde liquet, quàm verisſimum eſſe quod vulgò ſtatuitur; Voluntatem nunquam appetere malum ut malum, ſed ſemper ſub ſpecie & forma boni apparentis. Nec eam excitari ad

D ali-

aliquid expetendum & eligendum, niſi mota ſit ab intellectu, aliquid ut bonum ipſi præſentante. Quod & communi calculo comprobârunt Veteres, præſertim *Plat. de Virtut. verſus med. Ariſtot. 1. Ethic. 1. in princ. & c. 2. c. 5. & paſſ. tab. 2. Eudem. cap. 10.* aliisque locis pluribus: adeò ut ipſum bonum ita definiat. *d. c. 1.* quod omnes expetunt. In quam ſententiam magno conſenſu nunc ferè tranſeunt quoque & conſpirant recentiores. *Thom. prim. ſec. quæſt. 8. art. 1. & quæſt. 10. art. 1. Scalig. d. Exerc. 307. cap. 27. in med. Euſtach. Ethic. part. 1. tract. 1. quæſt. 3. & quæſt. 4. Stahl. d. tract. cap. 22. Hornej. d. tract. lib. 2. cap. 4. §. 8. & alii.* Quomodo & vulgò dicitur. *Ignoti nulla cupido.* Et in ſcholis tritum eſt: *Nihil eſſe in voluntate quod non fuerit in intellectu.* Item illud: *Tantum eſſe volitum quantum eſt cognitum.* Scil. homo non cupit, niſi quod apud intellectum ſub figurâ boni monſtratur.

16. Etſi autem præclara ſit illa Stoicorum diſciplina, ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλόν. *Solum bonum eſſe quod honeſtum eſt. Cic. Parad. Stoic. 1.* ea tamen ad moralem ſaltem boni æſtimationem ſpectat: præter quam verò ſtatuenda ſunt alia quoque bona naturalia. Unde recepta jam meritò eſt inter omnes diſtinctio boni, quòd ſit honeſtum, utile, vel jucundum. *ſup. cap. 3. in fin.* Atque ſub hac notione generali bonum hîc accipitur, quod voluntatem ac ſtudia hominum movere dicitur; &, licèt re malum ac noxium ſit

ſit, tamen ſub aliqua horum bonorum figura appetitur, *ſup.* §. *12.*

Cap. V.

De Statu hominum bonum utile & jucundum honeſto bono præferentium, & de ſummo ejus malo.

SUMMARIA.

1. Recapitulatio. Verbis, ſua lege vivere, exprimi libertatem ſeu quicquid in votis eſt & in bonis habetur.

2. An libertas vel felicitas civilis ideò minor videatur, quòd jure conſtricta ſit?

3. Eo bonum civile non minui ſed augeri, quin conſtitui.

4. Stoicum paradoxon, ſolum honeſtum eſſe bonum, non improbari in totum.

5. Bonum utile, quod ab honeſto recedit, non tantùm deſinere eſſe bonum honeſtum, ſed & bonum utile, & fieri noxium.

6. Id explicatur.

7. Et demonſtratur.

8. Quàm abjecto juris & boni honeſti freno, voluntas hominum naturâ ruat in omnia libidinum genera: quod illuſtratur exemplis.

9. Qui ſtatus hominum porrò præſentatur.

10. Exponitur cumulus miſeriarum hujus ſtatûs.

11. Oſtenditur, eum longè fore miſeriorem & immaniorem ſtatu belluarum: Et, longè pauciora eſſe quæ belluæ ſibi ſentiunt bona, adeoque appetunt, & pro iis depugnant, quàm quæ homines.

12. Hominibus plura in immenſum videri bona, quàm brutis & eorum inſatiabilem eſſe cupidinem.

13. Bruta ſuos inſtinctus tantùm ſentire in præſens bonum, nec aliud percipere.

14. At homines etiam in futurum: & ſpes quoque ſuas complecti & fovere: & poſteris ſuis in infinitum cupere.

15. Ex ſenſu boni ejus ſtudium, ex ſtudiis certamina generari: & hæc inter homines pro bono ſuo ſeu libertate eſſe acerrima, oſtenditur.

16. Hinc concluditur talem hominum ſtatum, quo ipſi præferunt bonum, quod utile ſibi & jucundum videtur, honeſto, omnibus belluarum gregibus eſſe im̃aniorem.

17. Occurritur dubio, homines ſanæ mentis in hujusmodi furores exarſaros non eſſe: & reſpondetur.

18. Exhibetur idéa & exemplum talis ſtatus in hiſtoria & occupatione maximi & ditisſimi Imperii Peruani.

19. Paucorum ſocietas privata & ingens cupido invadendi regnum Peru, cognitis ejus divitiis, ſpretâ ac ſuperatâ incredibili rei difficultate:

20. Solâ boni hujus utilis & jucundi habitâ ratione, nullâ honeſti.

21. Tandem conſecutis ceſſiſſe in exitium, ſummumque malum.

22.

22. Hac ſcenâ exhiberi ſtatum boni utilis & jucundi poſtpoſito honeſto. | *23. Illum non ceſſaſſe niſi reducto Jure & bono civili.*

§. I.

HOc ergo primùm jam demonſtravimus, homines id velle quod ſibi bonum videtur, §. *1.& ſeqq.* adéoque ejus, quod ſibi libet, faciendi facultatem: §. *5.* quæ libertas dicitur, §. *6.* atque exprimitur formulâ, *ſua lege*, i. ſuo arbitrio, *vivere poſſe.* §. *7.* Et proinde his verbis: *poſſe vivere, uti, ſeu quâ lege, libet:* contineri & ſummam eorum quæ in votis habent, ut omnia quæ volunt agere poſſint; & ſummam eorum quæ in bonis: quia nonniſi id quod ſibi bonum, & ſic omnium maximè id, quod ſummum & univerſale ipſis bonum ſummáque felicitas videtur, diſcupiunt. §. *6.*

2. Cùm verò præterea duo jam demonſtrata quoque ſint: primùm, hanc agendi quod cuiq; libet, facultatem, intra limites juris cohibitam eſſe; *cap. 3.* deinde, homines vel judicii lapſu aberrare ab hoc filo; vel animi affectuumque pravitate id ſequi nolle: §. *10.* & *ſeqq.* oſtendemus nunc porrò, per id nec infringi hominum libertatem; nec obliterari vel imminui bonum felicitatemque eorum; adeóque ne eo quidem ſimpliciter tolli quod ipſis libitum ac in votis eſt.

3. Et quidem libertatem gemino illo, quod ipſi injectum eſt, vinculo nequaquam impediri, ſed conſtitui & abſolvi, ſatis jam demonſtratum *c. 3. §. 13.* Boni verò & felicitatis rationibus nihil detrahitur quàm opinio & umbra felicitatis, ut eà diſcuſsâ corpus appareat: quo equidem non eviledcit boni precium; ſed in immenſum augetur, & tantò magis intenditur, quantò pluris eſt bonum verum umbratili; ſolidum imaginario & ſimulato; ſincerum incruſtato vel adulterino. Qvam in rem pauca adhuc notanda

4. Diximus §. 10. tria illa genera bonorum eſſe vera in ſuo genere bona; neque hactenus acceſſimus §. *14.* ad Stoicæ Scholæ paradoxon, *Μόνον ἀγαθὸν τὸ καλόν Solum bonum eſſe τὸ honeſtum.* de quo *Cic. Parad. 1.* Verumtamen non in totum improbanda eſt illa ſententia: etſi enim bonum utile & jucundum eo ſenſu bona ſint, quo omnia entia verè bona ſtatuuntur, ut oſtenſum §. *2.* tamen, ſi bono honeſto adverſentur, degenerant in malum morale, adeoque hactenus meræ privationes ſunt, non bona: &, licèt homini ſub forma boni appareant, & ideo ille ea quat. ſibi bona videntur, expetat; §. *11. & ſeqq.* tamen petenti apparent tantùm bona, non ſunt.

5. Neque id ita tantùm intelligendum eſt, quaſi non ſint verum bonum morale, ſint tamen verum bonum utile. Nam, ſi utile illud bono honeſto

neſto & juri repugnat, fatendum eſt, re nec utile eſſe, ſed expetenti tantùm videri tale: nec eſſe niſi apparens bonum utile, quin imò noxium. Etenim, ſi quis v. g. ex re aliena utilitatem ſibi quærat, ut in ſpecie *l. 6. §. 3. ff. de Neg. geſt.* vel ſi fur lucrandi cauſâ rem alteri aufferat, reverâ id ipſi utile non eſt, ſed damnoſum: quia quicquid inde utilitatis ad eum pervenit, alteri reſtituere compellitur; & hinc evaneſcit omnis primùm utilitas. Deinde, & damno id ipſi eſt, tum quia, etſi utilitas ad eum non pervenerit, uti ſi res perdita, vel minimi, ut ſolet, à fure alteri vèndita, atque ita vel tota utilitas vel pars ejus interverſa fuerit, ipſe tamen cogitur de ſuo reddere; tum, quia præterea tenetur ad pœnam. Quin, etiamſi vel fugâ vel celatione malum hoc evaderet, & impune omnem utilitatem lucrifaceret; tamen, ſi utilitatem veritate & ex ſummi ſaltem Judicis juſtitia metimur, (qualiter hic omnino metienda, & talis nunc in quæſtione eſt) certum planè eſt, nunquam id ipſi impune, atque adeò nunquam non damnoſum fore; nec, licèt hominum animadverſionem fortè eluſerit, juſtam tamen & debitam illam immutabili lege pœnam evitaturum eſſe. Nam & veriſſimum eſt illud Auguſtini effatum: *Non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum;* quæ regula refertur *in c. 4. de Reg. Jur. in 6.* eamque aureis literis ſcribendam ait *B. Dn. Brunn. de Jur. eccleſ. lib. 1. cap. 6.*

 memb.

memb. 1. n. 16. ubi eam ex ſacris literis & conſenſu totius antiquitatis latiùs probat.

6. Manifeſtum igitur hinc eſt, bonum utile, quat. à jure & bono honeſto recedit, verè ne utile quidem eſſe, ſed damnoſum: nam nec eſt, nec computari poteſt ulla utilitas lucrumve ullum, niſi deducto omni damno omniq; incommodo. *l. 83. ff. de Verb. ſign. l. 30. ff. Pro ſoc. l. 11. ff. de Neg. geſt. l. 36. §. fin. ff. de Hered. pet. & ſim.* Unde certum eſt, nihil utilitatis hîc relinqui, quippe quam damnum penitus abſorbet, quin modum ejus longiſſimè exuperat. Idemq; eſt in bono jucundo, quod adverſus leges & bonum honeſtum percipitur, & deinde tot malorum pœnarumque cumulo penſatur; cui rei vel adulterium Davidis documento eſſe poſſet.

7. Ut planè conſtet, bonum utile & jucundum, etſi in ſe ſint vera bona, tamen, ſi deſciverint à jure, ab honeſto, non eſſe, ſed apparere ſaltem bona; quin verti in omnium malorum & ſcelerum monſtra. Etenim hæc ipſa voluntas, quæ naturâ fertur in id quod bonum ſibi videtur, ubi diſceſſerit à bono honeſto & jure, nihil ſupereſt, quàm ut impellatur in reliqua, quæ videntur, bona, ſeu, in quicquid ſibi utile aut jucundum ſentit. Sic igitur, excuſſo voluntati juris vinculo ſeu freno, nihil in ea manet quàm effrenis libido, quæ homines agitat & rapit in id quod ipſis libet, id eſt, quicquid vel prodeſt vel delectat; hæc enim, remoto

juris

juris obice, ſola duo bona reliqua ſunt, in quæ voluntas, affectus, vel libido feruntur, & quibus in luxum, avaritiam, vindictam, rapinas, cædes, quin omnia atrocitatum, flagitiorum, & cupiditatum portenta, plusquàm ulli feriſſimarum belluarum greges, animantur. Etenim, cùm non tantùm infinitè plura ſint quæ homines ſibi utilia & jucunda ducunt, adeoque ut bona appetunt, quàm quæ bruta; & quibus illi, quàm quibus bruta indigent; ſed & hominū multò tenacius ea quæ volunt perſequendi ſtudium ſit; planum eſt, infinitè quoq; plura eſſe quæ homines ut bona concupiſcunt, quàm quæ bruta; & multò acriùs ac perſeverantiùs illos quàm hæc cupidines ſuas tueri & exequi.

8. Quibus ritè perpenſis in proclivi judicium erit, qualis futurus ſit hominum ſtatus, ſi exutâ boni honeſti curâ ac religione, affectus indomiti, jam nec freno ſuo ampliùs cohibiti unicè in id quod ipſis ſapit vel expedit, concitantur, & ruptis æqui & boni veri carceribus, quaſi recluſo Æoli antro,

Quâ data porta ruunt, terramque furoribus implent.

Nec aliter ſentiet qui tempora illa Gigantéa memoriâ revolverit; vel in ætatem illam reſpexerit, quâ homines ab ipſa humanitate deſciſcentes, in ferarum mores & conſuetudinem obbrutuiſſe feruntur, quod & Ovidius deſcripſit *lib.* 1. *Metam. verſ.* 128. *usque ad* 131. *& verſ.* 144. *& ſeqq.* adeò ut Heroica quorundam virtute,

partim vi, partim diſciplinâ, partim legislatione vix ad manſuetudinem reduci & humanitati reſtitui potuerint. Quid enim ſunt illa Veterum literis decantata adeò ferarum ſeu hominum monſtra, quibus obſeſſus tum fuit terrarum orbis, & illi monſtrorum domitores, quàm ipſi homines ad omne ſcelus omnemque immanitatem efferati, & divina Heroum virtute domiti, aut Sapientiſſimorum hominum conſiliis, prudentiâ & culturâ ad civilem vitam & humanitatem ſubacti? Sed & abundant exemplis, & effreni omnium libidinum, ſcelerum & atrocitatum licentiâ Tyrannorum hiſtoriæ. Nec deſunt ea inter ipſos Cæſares. Fidem faciunt, quæ de Caligula latè recenſet *Sueton. in ejus vit. cap. 22. & ſeqq. usque ad fin.* & inprimis *cap. 30. & ſeqq.* ubi inter alia dira, quæ belluarum quoque modum excedunt, refert votum ipſius, ut *Populus Romanus unam cervicem haberet:* ſcil. ut uno ictu demeti poſſet; ideò ſaltem, quòd, cùm inter aurigas Circenſes factiones eſſent, turba popularis alteri, ac ipſe, parti faveret. Nec abſimilia ſunt, quæ de Nerone & Domitiano, in ipſorum vitis idem Autor ediſſerit. Sed omnium inſtar eſſe poteſt, teterrimus ille & horrendus potentiſſimorum Prædonum apud Sinenſes dominatus, quem ex recenti ſuperioris ſeculi memoria deſcribit Mart. Martinius *in Hiſt. de bello Tart.* & præſertim illius Prædonis, quem *Changhienchungum* appellat, immanem domina-

tio-

tionem,quam in compendium refert *in fin. d. tract. pag. m. 109.*

9. His argumentis & exemplis demonſtratur; quæ ſit hominum, ſeu humanæ voluntatis conditio & propenſio naturalis in ſtatu, quo rejiciunt jus ſeu bonum honeſtum. Scil. cùm Naturâ ferantur in id, quod cuique bonum, &, cùm triplex illud ſit, in id quod ex tribus magis bonum videtur, *ſup. cap. 4.* neceſſe eſt, ſpretà unius ex tribus, juris videl. & honeſti reverentiâ, rapi eos in id quod usùs vel voluptatis ſpecie ipſos ineſcat; id eſt, in omnia illecebrarum ac effrenium libidinum irritamenta; ſive illa ab ira, odio, invidia, damni metu, vel vindicta; ſive contrà à cupiditate, amore, ambitione, avaritia, luxu, (in quas duas claſſes, *ἐπιθυμίαν καὶ θυμὸν concupiscentiam & iram;* ſeu *ὄρεξιν καὶ ἔκκλισιν*, cupiditatem & averſionem, Plato quoque *de Rep. dial. 4. poſt med. & dial. 9. poſt princ.* & Ariſt. *de Anim. lib. 3. cap. 9. & lib. de Anim. mot. c. 6.* appetitum animantium diſtinxêre) facem aut fomitem conceperint.

10. In hoc jam ſtatu naturali humanæ voluntatis & propenſionis, nullis Juris repagulis circumſeptæ, nemini hominum unquam vel ad momentum temporis boni ſui erit ſecuritas; nemini judicii ſui uſura tuta; nemini ulla fruendi quod ſuum eſt perſeverantia. Unusquisque foret ſui adverſus ſe exempli omnibus aliis autor. Unusquisque ſuo facto ſuâque optione omni-

omnibus aliis idem in ſe ſtatuendi, audendi, moliendi Princeps. Unusquisque quolibet actu ſuo locum laudatisſimo illi edicto, *Quod quisque Jur. in al.* ejusque omnibus aliis copiam & poteſtatem faceret. Atque ita primùm fieret, ut, ſi quis inſito ſibi inſtinctu in boni quid, utilis vel jucundi, poſthabito jure ſeu bono honeſto, impulſus ſtimulatusque fuerit, ille ſolus eligendo injuriâ; omnes alii, quaſi retaliando, adverſus ipſum jure agerent. Sed & ita fieret, ut remoto Juris obice nihil ampliùs cujusque libidini ac agendi quod libet facultati obſtaret quàm vis major, ſeu prævalens alterius potentia, & pari jure agentis, & prætereâ jucundisſimo illo vindictæ bono ac ſtimulis concitati.

11. Inde verò quid niſi perpetua & inexhauſta diſcordiarum, contentionum, æmulationum, certaminum, cædium, irarum, furorumq; ſeges & materia infinita exurgeret? Adeò ut comparari cum ea non posſit ferocisſimarum belluarum impetus, earumque, quantacunque intelligi posſit, immanitas. Brutorum enim ſenſus, ac naturâ inſitum ipſis quoque ſui conſervandi ſtudium, intra curam paſtùs, & noxii, ſi quod apparet, abigendi vel effugiendi induſtriam concluditur: quia his finibus quoq; continetur boni, quod ipſi ſentire, & in quod adeò moveri poſſunt, apprehenſio.

12. Aſt

12. Aſt verò, Deum immortalem! quantò plura, & quàm innumerabilia ſunt, quæ homini videntur bona & appetibilia eſſe? Quantò ſcil. in immenſum plura ſunt, quorum vim, utilitatem, & illecebras bruta neſciunt, homines callent. Opum, pecuniæ, honorum, & ſimilium, brutis nec uſus nec ſenſus eſt: At homines ea maximè omnium ambiunt ac ſitiunt. Hæc ipſa illa bona ſunt, quæ ſecum à Patribus participari plebem Romanam magna contentione publicè flagitâſſe, & Patres, particulæ eorum amittendæ metu ac periculo propoſito territos, trepidâſſe refert *Liv. lib. 6. c. 35.* additâ cauſâ, quòd *omnium rerum, quarum immodica cupido inter mortales eſt, diſcrimen propoſitum eſſet.* Dederat verò huic certamini cauſam duarum Sororum Fabiarum æmulatio: quam idem recenſet *cap. 34.* Unde, cùm innumera adeò bona ſint, quorum uti inſatiabilis inter homines eſt aviditas, ita, niſi æqui boniq; autoritas, juſtis viribus armata, eam frenet, perpetuum & acerrimum de iis inter eosdem certamen, ac funeſtiſſima ſemper dimicatio, naturæ in id quod bonum cuique videtur impulſu, futura eſſet; cùm contrà, brutis ea ne cognita quidem ſint; facilè intelligitur, quanto immanior, atrocior, quantoque adeò infelicior & miſerior foret in tali ſtatu hominum quàm belluarum vivendi ratio.

13. Sed nec ſuos bruta motus in id quod congruum ſibi videtur, niſi in præſens ſenti-

ſentiunt: ubi é paſtu ſaturati ſunt, nihilque adverſi ſibi advertunt, quieſcunt, neque eſt in ipſis longè in futurum proſpiciendi ſollicitudo: niſi quòd in animalculis quibusdam, quorum ſpecies aliàs conſervari non poſſet, benignior Naturæ providentia aliqualem quoque in futurum quodammodo, & quat. neceſſe eſt, ſibi proſpiciendi motum atq; induſtriam inſevit: quod inprimis in formicis, quaſi communem cum homine meſſem facientibus, tanquam ſingulare atque eximium quid miramur, & ipſe Regum olim Sapientiſſimus commendat. *Proverb. c. 6. verſ. 6. 7. 8. & cap. 30. v. 25.* Nam quòd aliæ quoque feræ quædam, & maximè volucres, imminentem hiemis & aëris aſperitatem atque inclementiam mitiore, & alibi tum tepeſcente, jam cœlo mutare, & inde maturè, ac ſæpe diu antè migrare loco dicuntur, atque in ciconiis apparet, id à præſenti magis boni ſui ſenſu eſſe videtur; dum certus aëris modus & gradus quaſi eſt, quem ſibi congruum percipiunt, atq; intra eum donec aër ſubſiſtit, in eodem morantur. At cùm ab una plaga ingraveſcere cœlum ſeu aërem, modumque illum excedere, atq; ab eo latere infeſtari ſe ſentiunt, in plagam alteram & adverſam tendere, & quaſi cum ſuo cœlo migrare & avolare pruriunt. Quæ tamen & ipſa eſt admiranda Creatoris providentia, & Naturæ, non animantium, ſtupenda ſolertia. Licèt verò hoc quoque ad aliquam præſenſionem

nem futuri referre malimus; non tamen illa longiùs in futurum producitur, & ſui conſervandi neceſſitate circumſcripta videtur.

14. Homines autem é contrario non ſe ſolùm in præſens, ſed cum ſpe vitæ longævæ; quin & Poſteros, tanquam ſui partem, totumque genus ſuum cogitant, nec adeò ſe tantùm, ſed & ſpes ſuas amant ac fovent; & poſteris quoq; quaſi viſceribus ſuis, ut ſibi, cupiunt, eosque (qui ſenſus brutis ignotisſimus eſt) poſt mortem quoque ſuam felices, beatosque eſſe, & opibus, potentiâ, honoribus florere, omniumque rerum ubertate affluere volunt: quippe Generis quoque ſui fortunam ad ſuum decus referunt; tantumque adeò abeſt, ut præſentibus bonis, quemadmodum bruta, acquieſcant, ut nec vitæ regionibus cupiditates terminent, ſed vota ſua cum omni, non poſteritate, ſed ſpe poſteritatis; & curas cum omni ævo adæquent.

15. Cùm enim ex ſenſu boni, ejus ſtudia; ex ſtudiis certamina generentur; non poteſt, quorum infinitæ ſpes ſunt, eorum non eſſe infinita cupido, atque adeò infinita ac quotidiana de eo decertatio: quæ ex inſtinctibus naturæ jam demonſtrata ſunt. Illi enim cùm in omne quod libet, eoque bonum ſibi viſum eſt, ferantur, ſi huic libidini nihil obſtet, et impetum eorum reprimat, (uti jure & bono honeſto inſuper habito, nihil amplius iis obſtat & reſiſtit, quàm vis, & par aut major ex adverſo impetu)

tus) erumpere eos in ſtudia contraria, indeque in perpetuas dimicationes, & mutuas rapinas ac lanienas neceſſe eſt: cùm enim juri locus non relinquitur, virium periculum fieri neceſſe eſt. Nam & *Cic. 1. de Offic. c. 11.* inquit: *Cùm ſint duo genera decertandi: unum per diſceptationem*, (juris) *alterum per vim: cúmque illud proprium ſit hominis, hoc beluarum: confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore.* Neque frigida ſunt illa hominum ſtudia, quibus bonum illud, *facere quod libet*, quod ſummum ipſis videtur, ſeu libertatem ſuam, perſequuntur, ut jam oſtenſum eſt *cap. 4. ſup.* Nullum enim, ſi vires votis reſpondeant, à curis otium; nulla à conatibus fatigatio; à copia ſatias, à periculis & ſummis difficultatibus, omnique malorum genere formido. Quod oſtendunt non tantùm omnium ætatum, etiam in ſtatu Juris, cruentiſſima inter gentes bella; & exempla jam *ſup.* §. *1. & ſeqq.* memorata; ſed & hodieque navigationes iſtæ, quæ lucri cauſâ per vaſtiſſima maria ſuſcipiuntur periculoſiſſimæ, triſtiſſimique eventùs; adeò ut nullum aleæ, mortis, calamitatis, nullumque mali genus ibi non appareat; neque tamen inexplebilem illam opum ſitim reſtinguunt.

16. Quibus omnibus expenſis, non poterit deterior ac dirior ſtatus eſſe, & vel imaginatione fingi aut concipi, quàm iſte hominum, longe ultra belluarum immanitates, foret; ubi omnes omnia

omnia quæ libita ſunt, vellent: atque adeò ferociores mutuis viribus invicem attererent, vel opprimerent: infirmiores verò utrisque prædæ forent: quivis in quemvis libidini ſuæ reſiſtentem ſæviendi animum haberet; fortior in imbecilliores quoque facultatem. Et, ſicuti plura in infinitum ſunt, quæ bona apparent hominibus quàm brutis; *ſup.* §. *12.* ita & ex oppoſito plura in infinitum mala, ſeu bonorum privationes: neque tamen vel ullum malum eſt, quo talis ſtatus careat: nec ullum bonum quo gaudeat; cùm quæ ſola propoſita ſunt bona, utile & jucundum, in infeſtisſima & atrocisſima mala, & in privatam publicamque perniciem vertantur, adeoque bona quoque utilia & jucunda eſſe deſinant. *ſup.* §. *5.* Atque hanc ſtirpem malorum, quæ in civitate ex luxu (qui nihil aliud eſt quàm boni utilis & jucundi aucupium) propagantur hac ſerie recenſet *Cic. pro S. Roſc. cap. 28. In urbe luxuries creatur. Ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt; ex avaritia erumpat audacia; inde omnia ſcelera ac maleficia gignantur.* Et in eundem ſenſum Saluſt. *de Bell. Cat. cap. 10.* ait: *Primò pecuniæ, dein imperii cupido crevit: ea quaſi materies omnium malorum fuère.* Et *cap. 33.* Legati Catilinarii inquiunt: *Non imperium neque divitias petimus, quarum rerum cauſâ bella atque certamina omnia inter mortales ſunt.*

17. Fallitur verò, ſi quis putet, hæc mala verbis in vanum coacervari, nec homines ſanæ

mentis in tantos furores erupturos eſſe. Demonſtratum etenim jam eſt, homines in id quod ipſis bonum, & quidem, cùm triplex illud ſit, in id quod magis bonum videtur, naturali inſtinctu ferri, eodemque adeò inſtinctu corrupto, præferre quod utile & jucundum ſentiunt, honeſto: vel quòd judicii pravitate non agnoſcunt aliud bonum honeſtum quàm utile & jucundum; vel quòd ſaltem, cùm de eo hæſitent, præſentia certa anteponunt futuris illis pœnis ac præmiis, de quibus adhuc diſputatur inter mortales, num ſint futura; ſeu futuri eventùs incerti formidini, quam ſpes obtinendi vincit; vel denique, quòd præſentis utilitatis ſeu voluptatis ſenſu ſubacti, cœco impetu in ea ita rapiuntur, ut nec ſpacium cogitandi de futuro eventu, nedum ejus ſollicitudo relinquatur. *Conf. Cap. 7. §. 11. & ſqq.*

18. Quin & ne exiſtimes, hæc in idea ſaltem ita videri, & talem ſtatum gratis fingi, en tibi, præter exempla, *ſup. §. 8. & ſeqq.* propoſita, rem actu ita geſtam & certa fide relatam, in invaſione maximi & ditisſimi regni Peruani; cujus hiſtoriam accuratè deſcripſit Garcilaſſo de la Vegua, Patre, Nobili Hiſpano, matre Peruanâ, ex regia Jngarum familia natus, *tract. de Bell. civil. Hiſpan. in Americ. inde à lib. 1. cap. 7. per tot. tract.* qui & arguit Autores Hiſpanos, minùs integra fide, & aliter ac geſta eſt rem referentes: docetque eos plurima diſſimulâſſe,

lâſſe & addidiſſe, & rei geſtæ adeò veritatem plurimum mutilâſſe & corrupiſſe. *d. l. 1. cap. 26. & cap. 39.* Fateberis, his perlectis, nihil eorum, quæ hactenus de ſtatu tali retulimus, tum fefelliſſe, nec ullū vel furorum iſtorū prætermiſſum, vel malorum non ſubſecutum fuiſſe; longèque exactiùs & pleniùs homines iſtos hujus ſtatùs ſcenam, rem gerendo quàm nos memorando, expresſiſſe & delineâſſe.

19. Videbis Pizarros & Almagros, (pariter ut in ſubjugando Imperio Mexicano Corteſios) aſſumto quodam Hernando de Luguo, cùm immenſas Peruani regni divitias famâ accepiſſent, ſocietatem privatim, & collata quoque ſorte, de invadendo regno iniiſſe. Inde mari primùm profecti, diu in impetuoſisſimo & ignoto Oceano, inter fluctuum & ſcopulorum incredibiles terrores & diſcrimina jactati, ubi terram appellere anhelabant, ab incolis vi repulſi, à ſuis deſerti, ingentibus colubris & ſerpentibus paſti, redire Panamam, unde anno 1525. egresſi erant, re infectâ compulſi ſunt. *d. lib. 1. cap. 7. 8. 9. 10. 11. & 14.* Ita tum quidem ab immanibus auſis, non tamen ab immenſa ſpe ſua dejecti, novis conſiliis & viribus ſe inſtruunt & muniunt: & Pizarrus ab Hiſpania, in quam navigaverat, redux, cum 4. ſuis fratribus Pizarris, & aliis ſociis, denuò iter mari molitur, ſed, cùm nimiùm obſæviret Oceanus, pedibus iter ingresſi, per invia & longè aſperrima lateque deſerta loco-

rum ſpacia, perque immenſa & inſuperabilia editisſimorum montium juga, prorepentes, cùm per vaſtas illas ſolitudines, & inculta belluarum horrorumque quaſi domicilia, famem, ſitim, frigora, æſtus, nova quoque novo cœlo, & inaudita antè peſtium &contagionum genera, *d.l. 1.c.15.* atq; alia infinita incredibilium malorum monſtra toleráſſent, (quæ prælaudatus Autor ideo atteſtatur particulariter à ſe non deſcribi, quòd non posſint, *d. l. 1. cap. 11.*) per maximorum & rapidisſimorum non tantùm, ſed planè ſingulari & terrifico fluctuum impetu & fragore furentium amnium; (*vid. d.l. 1. cap. 10.*) & per ipſius quaſi deſperationis obſtacula perruperunt, ut aurum alienum quærerent & raperent. Cujus compendium præfatio *d. tractat.* ita exprimit: *Comme ils eurent donc, avec une peine qui n'eſt pas imaginable, fait paſſer la mer à l'avarice, & à la convoitiſe d'avoir de l'or, ils en trouverent en fin la ſource dans le Peru, ſa terre natale. Ils l'arracherent alors du profond de ſes entrailles, & quelque grande qu'en fut l'abondance, ils ne pûrent ſe laſſer de l'envahir, ni s'en aſſouvir encore moins.*) Et his applicat vulgatum illud quaſi præſagium Senecæ, in *Medéâ. verſ. 376.*

Venient annis
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphysque novos
Detegat orbes, nec ſit terris
Ultima Thule.

20.

20. Sic itaq; triennium, & amplius, cum itineris & nagivationis difficultatibus colluctati, *d. lib. 1. cap. 13.* ſtupendas terræ divitias, & incredibilem auri copiam detegunt, & ſuis domum nunciant; omnia ut ſuum, & quaſi nullius, capiunt, incolas ſpoliant, inſulas & urbes, unde auri odor, vi captas diripiunt: *d. lib. 1. cap. 14. 15. 16.* tum Regem quoque Peruviæ, Atahualpam, adeunt, commercia ſimulant, obvium cum ſuis, & ſumma comitate ac regia munerum magnificentiâ Hiſpanos, quos inſitâ Genti ſuperſtitione cœlo vel à Sole miſſos perſuaſus erat, excipientem, *d. l. 1. cap. 17. & mult. ſeqq.* ejusq; comitatum, quem maximum, auroque & gemmarum ornamentis nitentem, adduxerat, invadunt, ornatum eripiunt, Regem vi captum in vincula conjiciunt: *d. lib. 1. cap. 25. 26. 27.* inde de precio liberationis, quantum ſcil. auri locus iſte ſpacioſisſimus ubi tum Rex morabatur, capere poſſet, conveniunt, fide inde datâ, hinc acceptâ, ex parte Regis quoque liberatâ. (*Vid. d. l. 1. cap. 28. 29. 32. 38. 39.*) Auro accepto, Regem tamen in cuſtodia obtruncant, parricidam eum quidem fratris ſui, cum quo lis ipſi de regno erat; ſed cujus rei nec illi Judices, nec ſententiæ ea cauſa fuit; ipſismet aliam, (ſcil. quia aliàs regni tuta poſſeſſio ipſis non foret) profeſsis. *d. lib. 1. cap. 37. in fin.* Rege ita rebus humanis erepto, regnum maximum ejus & beatisſimum ſubjugant, hujusq; non aureum vellus,

 ſed

ſed aureos montes novi hi Argonautæ occupant; incolas in duriſſimam ſervitutem redactos, exquiſitisſimis cruciatibus, ut aurum indicent & conferant, adigunt; atque operas, maximè in metalli fodinis, ſumma acerbitate exigunt; rapinis, cædibus, ſtupris, novum orbem implent. & contrà incolis ſuis indigenis & originariis propè exhauriunt, adeò, ut nunc pauci eorum reliqui, & ferè Europæi aut Europæis parentibus, vel matre ſaltem Americanâ, nati, quorum illos *Criolios*, hos *Meſteges* dicunt, incolant. *Horn. Orb. Polit. cap. 2. de Regn. Hiſp. §. 14.* Quod iterum dicta Præfatio ita in ſummam contrahit: *C' eſt d' ou les Indiens, devenus Esclaves de leurs nouveaux Tyrans, ſont par eux contraints à force de fer & de feu de tirer ce puiſſant Roy des Metaux, pour l' expoſer au ſoleil, qui luy à donné l' étre.*

21. Nec minùs in ſe & viſcera ſua verſi, inexplebili æmulatione, mutuis cædibus crudeliſſimè invicem ſæviunt. Ipſi primi ſocii anno 1538. ad Salinas atroci prælio conflixêre; Pizarrus Victor ſocium Almagrum capit; in carcere ſtrangulat, & caput amputatum in loco publico exponit. *Garcil. d. tract. lib. 2. cap. 35. 36. 37. 38. & 39.* Victor viciſſim ab amicis Almagri in ſuis ædibus trucidatus, nequicquàm clamavit, in terram proſtratus, Confeſſorem, obiitque Autor & Dux tantorum operum, tantusq; Vir opibus & potentiâ, in tantâ paupertate, ut deficerent ſumtus ſepulturæ, quam incola quidam,

dam, qui in ipſius famulitio olim fuerat, tenui impensâ feſtinavit, ut præveniret conſilium patibulo defunctum ſuffigendi. *Garcil. d. tract. lib. 3. cap. 7.* ubi inter alia ita exclamat. *O revolution étrange! parmy les grandeurs & les richesſes un ſi puiſſant homme mourut ſi depourvu de biens, qu' on ne luy troura pas de quoy l' enterrer.* Hanc necem deinde ulti ſunt Pizarrorum Amici, commiſſo auſpiciis Præfecti Cæſarei cruento prælio cum Almagri filio, qui victus, captus, & eodem loco ubi Pater capite truncatus, atq; in eandem foſſam conjectus eſt, in tanta uterque, pater & filius, egeſtate, ut emendicatis elemoſynis, Miſſæ & vilis ſepulturæ impendia colligenda fuerint. *d. lib. 3. cap. 16. 17. 18.* Mox occiſi Pizarri frater, Gonzalo Pizarrus, fratris & cupidinem & fortunam ſecutus, cùm ad novas expeditiones & invaſiones profectus, ex infinitis malis, difficultatibus & ærumnis vix enatâſſet, plerisque ſuorum amiſsis, rediit tandem cum paucis, ſeminudus, & malè tectus, omniumque egenus, ac intolerabili fame exhauſtus, ita ut omnem fidem ſuperet. (*Vid. d. l. 3. c. 3. & c. 14.*) Ille tamen, ubi rem iterum ad ſummum fortunæ faſtigiū evexit, omnibus præliis victor, Regni Gubernator, omnisq; auri divitiarumq; regni arbiter, cùm jam ſollicitaretur regium nomen asſumere, *Garcil. d. tract. lib. 5. cap. 30.* ſubitò à ſuis deſertus, cum ſuo belli Duce, Franciſco Carvajalio, vi captus, & Majeſtatis damnatus, *d. lib. 5.*

 cap.

cap. 30. occiſique caput in cavea ferrea publicè é furca ſuſpenſum, poſt 16. annos, quibus ibi fixum hæſerat, furto ablatum eſt: *Garcil d. tract. lib. 7. cap. 30.* obiitque & ipſe tam omnium inops, ut ante mortem eleemoſynas peteret, nec haberet vel linteolum quo ſepeliretur. *d. tract. lib. 5. cap. 43.* ubi ait: *l' on l' enſevelit avec ſon habillement, aucun ne s' étant offert à luy donner un pauvre drap.* Et iterum memorata præfatio de duobus Pizarris, invaſionis Ducibus: *Il faut, que j' advoüe que l' éclat de leur fortune m' éblouit, quand, parmy les conquêtes & les triomphes, je me les repreſente dans cette hiſtoire, couvers de Lauriers, chargés de Threſors, & adorés à l' envie des Gens de guerre. Mais, ô revolution étrange! Que leur arrive t'il enſuite de ces proſperitez ſi hautes? Un coup formidable de Nemeſis irritée, qui les reduit à porter leur tête ſur un Eſchauffaut, ou il meurent ſi pauvres, apres avoir été ſi riches, que l' un eſt enſeveli dans ſes habits, à faute de quelque méchant drap; & l' autre, pour en avoir un ou charitablement on l' enſeveliſſe, demande publiquement l' aumône.* Longum nimis foret cæteros expeditionis in Peruviam ſocios, vel propriis auſpiciis eam auſos, & pares eorum caſus referre; qui ſuo exemplo, exemplique triſtisſimis eventibus, quorum ingentem numerum, omniumque fata gemina, ſummâ fide ac diligentiâ laudatus Autor IIX. libris perſequitur, rem probavere Omnes n. innumeris malis & periculis jactati, exantlatis incredibilibus laboribus ærum-

ærumnis,& difficultatibus, ut opes conquirerent, immenſis nequicquam cumulatis, in ſummâ inopiâ, violentâ morte, & Principales infami ſupplicio, perierunt: unus quoque Pizarrorum fratrum, ut eadem in Peruvia effugeret, in Hiſpaniam reverſus, 23. annorum carcere detentus fuit. *Garcil. d. tract. lib. 2. cap. 31. & c. 40.* Unde & dicta Præfatio de auro erepto inquit: *Mais, pour ſe vanger de l' outrage, qu' il croit luy etre fait par l' avarice de ceux qui l' enlevent injuſtement d' un lieu, qui, tout obſcur qu' il eſt, ne laiſſe pas de luy étre naturel, quelles malheurs étranges, & quelles Tragiques Aventures ne cauſe t' il point parmy eux par le cruel & funeſte embrazement de Guerres civiles?* In quam rem deinde adducitur quoque locus Baconis Verulamii, ubi de iis ait: *Auſſi en furent-ils recompenſés à la fin: car il n'y eût pas un des Principaux, & des premiers Conquerans, qui ne mourut de mort violente.*

22. En! rem hactenus hîc deſcriptam, in Peruvia ita geſtam: ſtatum, inquam, naturalem hominum, bonum utile & jucundum, inſuper habitâ æqui bonique honeſti ratione, libidinis ſuæ inſtinctu, anteferentium, cum ſuis malis ſuoq; exitu, non vivis coloribus & imaginibus, ſed rebus, in terrarum orbis theatro geſtis, expreſſum. Etenim, inde pateſcit, quæ de bono, in quod homines, quos boni honeſti ratio à gradu non revocat, naturâ feruntur, in malum exeunte, ejusque ſtatu, verbis depinximus, eorum fabulam, quaſi in ſcena novi orbis, non

perſonis actam, ſed ipſis rerum monumentis ab hominibus peractâ fuiſſe. Spectamus primùm in ea homines, inexplebili opum (boni ſui) fame, in ipſo auri ſinu ac gremio fœcundisſimo, qvin, quaſi Tantalos, in mediis auri undis, & inexhauſto venarum ejus flumine, nec ſitim ejus reſtinxiſſe, nec egeſtatem explêſſe; atque hactenus adeo bonum ipſis apparuiſſe, non fuiſſe. Si porrò comparentur tum hoc, quod ipſis viſum & tantopere cupitum fuit, bonum, tum infinita illa, quæ ejus conſequendi cauſâ perpesſi ſunt, mala, fatendum eſt, boni umbram fuiſſe, quam captârunt; at ipſum corpus malorum, quod perſenſerunt & re experti ſunt. Quod ſi deniq; ratio quoque ineatur funeſtisſimi exitûs, & horrendæ illius cataſtrophæ, in quam ſpes omnis eorum votumque tandem deſiit atque evanuit, conſtabit, vicem hanc non tantum omnem boni, omnemque utilis & jucundi ſpeciem, ſenſum, ac ſaporem quoque excusſiſſe; ſed & in extremum malorum, & acerbisſimos dirisſimæ fortunæ amarores pervertiſſe. Quod penitùs quoque agnovit expeditionis hujus Princeps Franciſcus Pizarrus, quem ſæpe dicere ſolitum ait *Garcil. d. tract. lib. 1. cap. 13. in fin. Malheureux que nous ſommes, de nous tuer, comme nous faiſons, pour conquerir des Roiaumes étrangers, ſans conſiderer, qu' apres les avoir conquis, ils ne ſeront ny pour nous, ny pour nos Enfans; mais pour ceux des autres!* Quod ſi tum in medio adhuc felici-

tatis

tatis curſu conſtitutus, & in tantis fortunæ blanditiis adeó ſe infelicem credidit, cùm nihil minùs ille ſuſpicaretur vel ominaretur quàm tam fœdum, triſtem, & infamem rerum ſuarum exitum, facilis conjectura eſt, quid eo tandem ſubſecuto ſenſerit.

23. Fuit igitur hoc antè tam potens beatumque regnum, tum nihil quàm malè cohærens factionum & prædonum ad prædam confluentium, & tum de præda inter ſe certantium corpus, & cædium, rapinarum, ac libidinum domicilium. Nec antè deſiit, quàm miſſis à Cæſare Viris, æqui boniq; Prudentibus, domitâ rebellione, & extinctis perduellibus, Carolus V. regnum legibus denuò quaſi condidit, atq; ita, ſtabilitis Boni publici ſeu civilis rationibus, civitatis formam regno reſtituit. Quod porrò perſequitur *Garcil. d. tract. lib. 6. c. 1. & ſeqq.* De quo bono civili, quod ſummum civitatis, ejusque finis eſt, jam porrò agendum.

CAP. VI.

De Bono civitatis publico, ſeu civili ac ſummo.

SUMMARIA.

1. *SUmmum civitatis bonum contineri verbis,* niſi quid jure prohibetur.
2. *Hoc juris vinculum facere ſubſtantiam & libertatis & civitatis.*

3. Ejus

3. Ejus duæ cauſæ ſunt: juſſus ſummi Numinis, & ipſa hominum felicitas.

4. Fulcrum omnis imperii & poteſtatis eſſe Juris cuſtodiam.

5. Duplex in civitate jus; Naturæ, ex neceſſitate; & civile, ex utilitate civitatis, ſeu bono publico.

6. Hoc bono contineri culmen omnis felicitatis civilis.

7. Ejus parandi facultatem eſſe ipſammet libertatem.

8 Illud omnes optare, non omnes quærere poſſe, ſed tantùm populos liberos: cùm reliqui aliorum arbitrio & legibus vivant, non ſuis.

9. Nec populos liberos ejus ſemper compotes fieri, cùm judicii errore, tum difficultate rei.

10. Bonum honeſtum videri primâ fronte tetricum & auſterum, & ideo voto hominum, eique quod libet, contrarium.

11. Id verò ſecus eſſe, rationibus ejus ritè diſcuſſis. De bono honeſto judicium rationis eſſe: de reliquis, ſenſuum.

12. Oſtenditur primùm, ratione & meditatione cognoſci ineffabilem boni honeſti pulcritudinem, eamque propriam & nativam.

13. Et illuſtratur exemplis.

14. Oſtenditur deinde, cum bono honeſto conjunctam quoque eſſe bonum utile & jucundum.

16. Nec hujus duplicis boni vitium in eo eſſe, quòd verè bona non ſint, ſed quòd abuſu ſuo bonum honeſtum, veramque adeò felicitatem, corrumpunt & ſubvertunt. Quod probatur I. Ratione.

16. II. Experientiâ & exemplis populorum.

17.

17. III. Confeſſione & conſenſu Gentium:
18. IV. Fabularum involucris, tabularum picturis, effato Servatoris, &c.
19. Hinc infertur, ſummum bonum civitatis conflatum eſſe ex bono honeſto, & bonis fortunæ ad illius ſuſtentationem ritè ordinatis.
20. Bonum honeſtum eſſe fontem felicitatis civilis: bona fortunæ, ejus partem & inſtrumenta, ſi in id ritè diſpenſentur.
21. Concluſio: ubi conſpectus exhibetur cùm eorum, quæ hact. ad præſtruendam cauſam tractata ſunt: tum quæ tractanda ſuperſunt.

§. I.

EX iis quæ hactenus diſcuſſa ſunt, patet, quantum momenti ſit in verbis illis definitioni libertatis, ſeu facultati faciendi quod cuique libet, additis: *Niſi quid jure prohibetur.* Quemadmodum enim ſummum in civitate malum eſt facultas faciendi quod cuique libet, ut jam vidimus; ita ſummum ejus bonum, vinculum illud juris, quo libidines illæ frenantur, & intra limites legum coërcentur, quippe quæ ita ferendæ ſunt, ut pax, & publica ſecuritas, & quod iſti civitati maximè expedit, maximèque bonum eſt, comprehendant. *de quo cap. 7.*

2. Hoc æqui bonique vinculum eſt de ſubſtantia cùm libertatis, tum civitatis. Utraque rupto ſolutove hoc vinculo totaliter interit, & libertas deſinit in effrenatam omnium libidinum, atque

atque, in quæ prona eſt corrupta hominum natura, malorum licentiam; civitas verò in fœdisſima latronum prædonumque conſortia: quippe quæ nullâ aliâ re diſtinguuntur, quàm quòd illæ juris colendi, hæc turbandi; illæ ad juſtitiam, pacem, & publicam civilis ſocietatis hominū ſecuritatem tuendam; hæc ad deſtruendam & violandam congregantur. Unde libertas ex re inæſtimabili vileſcit in turpisſimas ſordes & ſpurcitias; & civitas ex re ſacroſanctâ diffluit in omnium ſcelerum libidinumq; ſentinam quaſi & cloacam. Utrique enim omne precium eſt à cultu juſtitiæ, re non inter mortales tantùm, ſed & inter Superos & immortales, ipſumque adeò Deum, omnium ſanctisſima.

3. Ejus rei duæ cauſæ ſunt: Prima, quòd rerum Creator, uti ipſe eſt juſtisſimus & ſanctisſimus, ita hominem cum rationis facultate ideò condidit, ut ſe, ſuæque adeò voluntatis decreta, ſanctê colat & cuſtodiat; atque inde eorum tranſgresſionibus adeò exacerbatur, ut eas non in ipſos tranſgreſſores tantùm, ſed & in eorum progeniem ſeu poſteritatem vindicaturus ſit, &, quâ eſt ſanctitate, inultas dimittere, iisque non iraſci non posſit. Altera eſt ipſa hominum felicitas, quæ unicè inde pendet: tum quia aliàs ille omnium malorum ſtatus, ipſis belluis deterior, ſuccederet, quem jam delineavimus *cap. 5.* tum, ob tremendam illam & feram divini

Numi-

Numinis in poſteros quoque, vindictam, quod nullum ſcelus inultum patitur.

4. Unde & leges Imperii publicæ certam juris cuſtodiam pro ſummo Imperii bono & omnium regnorum ac Poteſtatū fulcro agnoſcunt: ut in *R. J. 1567. §. 60. in fin.* Die *Juſtitz* das einige höchſte Kleinod im Reich dicitur. Item *in Ordin. Regim. 1500. princ. & Rec. Imp. 1571. princ.* aſſeritur, daß auff Fried und Recht / als Grund Veſten / alle Reiche und Gewalt ruhen. Quod & Glorioſiſſimi Auguſti in *l. 4. C. de Legib.* profitentur his verbis: *Adeò ab autoritate juris noſtra pendet autoritas.* Pariter in *R. J. 1566. §. 72.* traditur: Daß der gemeine Frieden im Reich ohne beſtändigs gleichmäſſiges Recht nicht zuerhalten / Et pleniùs in *R. J. 1570. §. 42.* Daß bey allen Regimenten die tägliche *experientz* beweiſe / wie beſchwerlich / oder vielmehr unmöglich es ſey / beſtändig friedlich Weſen zu erhalten / da kein förderlich Gleichmeßig Recht einem jeden adminiſtriret wurde. Nec non *Pac. Prag. 1635. §. 76.* Daß doch in Gleich und Recht jedes Reichs Grund-Veſte und Glückſeligkeit beſtehe.

5. Conſtat verò, jus in omni civitate duplex eſſe; alterum, commune omnium hominum, ſeu Naturæ, ab ipſo ſummo Numine præſcriptum: Alterum civile, quod populus ſibi conſtituit. *l. 9. l. 6. pr. ff. de Juſt. & Jur.* Prius neceſſitatis eſt, non arbitrii humani, ſed æternum & immutabile: ejusque adeò contemtus

&

& violatio, cùm directò in ipſius Divini Legislatoris injuriam & contumeliam tendat, Ipſum quoque peculiariter ſpreti læſique Numinis ſui ultorem habet: *l. 2. C. de Reb. cred. Nov. 12. c. 11. in fin. Tac. 1. Ann. 73. in fin. Liv. lib. 5. cap. 51. & 52.* Ut planè conſtet, hujus juris neglectum cum publicæ rei diſcrimine & perniciè conjunctum eſſe: eamque ſemper everſorum Regnorum ac civitatum cauſam fuiſſe, cùm rerum ab omni memoria geſtarum fides & experientia teſtantur; tùm, ſi nihil aliud, ſacra vatum, maximè Jeremiæ, oracula canunt, eorumque eventus plena fide docent. Poſterius verò jus unicè utilitate publicà æſtimatur; idque populus ita ſibi conſtituit ut eo bonum ſuæ civitatis procuret & defendat.

6. Hoc jure continetur, quicquid populo vel Principi placet, modò animo juris ſtatuendi: *§. 6. princ. & verſ. quoniam. de Jur. nat. l. 32. §. 1. ff. de legib.* & quicquid adeò de re publica, vel civium privata, ei libet. Hoc autem eſſe, ut civitas ſua quàm feliciſſima ſit, & magiſtratus cum civibus, quorum fortunæ inſeparabiliter cohærent, bene beateque, quàm optimè fieri poſſit, vivant & floreant, demonſtratum jam eſt. *cap. 4.* Quod & optimè exponit *Ariſtot. lib. 1. Nicomach. cap. 2.* ubi inveſtigat ſummum bonum civile, quod omnes appetunt, & quærit, **τί τὸ πάντων ἀκρότατον τῶν πρακτῶν ἀγαθόν.** *Quod omnium agendorum ſit ſummum bonum?* ſeu, ut *cap. 1.* dixerat: **τί τέλος**

τέλος τῶν πρακτῶν, ὃ δι᾽ αὑτὸ βουλόμεθα, τὰ ἄλλα δὲ διὰ τοῦτο. *Quis finis agendorum, quem propter ſe, & propter quem alia volumus?* Et reſpondet. Eſſe εὐδαιμονίαν, *felicitatem*; ſcil. τὸ δὲ εὖ ζῆν, καὶ τὸ εὖ πράττειν, *bene vivere, beneq; agere*: & hoc idem eſſe, quod εὐδαιμονεῖν; *feliciter vivere d. c. 2.* Ita & *c. 8. d. l. 1.* ait: τὸ εὖ ζῆν, καὶ τὸ εὖ πράττειν τὸν εὐδαίμονα: & *bene vivere & bene agere dici felicem eſſe*, & felicitatem εὐζωίαν τινα καὶ εὐπραξίαν: *bene vivendi & bene agendi ſtatum quendam.* Quin id ubiq; gentium adeò ſemper omniũ votum viſum fuit, ut in cōmunem formulam abierit, quâ invicem in ſalutationibus, literis, occurſibus &c. precari ſolebant χαίρειν, εὐτυχεῖν, εὖ διάγειν, εὖ πράττειν: *Diog. Laërt. lib. 3. in vit. Plat. & lib. 16. in Epicur.* ut & Romani vocibus *valere, ſalvere. &c.* Quem morem & Indiæ Reges tenuiſſe patet ex *Philoſtr. in Apoll. lib. 2. in fin.* Unde ſolennis illa publicè privatimque frequentata acclamatio, Feliciter!

7. Oſtendimus autem *cap. 4. ſup.* optati cuique boni ſeu felicitatis acquirendæ facultatem eſſe ipſam libertatem, quâ continetur libera faciendi, quod cuique (privatis in re ſua; populo in publica,) libet, poteſtas. Libet autem qvàm maximè eſſe felicem, eſſe beatum. Hujus ergo boni comparandi facultas eſt libertas, ſive privata, boni privati ſingulorum; ſive publica, boni publici civitatis: de quo bono publico quod in rebus humanis ſummum, & civilis felicitatis culmen eſt, nunc agimus.

8. Etſi verò τἀγαθὸν ἀκρότατον πολιτικόν, ſummum bonum civile, omnes optent & cupiant, non tamen id quærere, aut eò anniti posſunt, niſi populi liberi, qui in publica libertate ſunt, & ideo quod ſibi bonum, felix ac fauſtum videtur, & ſibi proinde libet, facere & diſponere poſſunt. Reliqui enim, qui armis victi libertate illà publicâ carent, non ſuo arbitrio & libitu legem civitati, & ex ejus re dicere poſſunt, ſed ab alio Superiore accipiunt, qui ex ſuæ civitatis victricis utilitate,& ſuo libitu omnibus ſubjectis ſibi populis leges dat. Omnium igitur boni hujus conſequendi votum eſt, non omnium facultas: quæ non eſt, niſi liberarum civitatum.

9. Sed & liberi populi, etſi bono ſuo publico procurando incumbere, & beneficio libertatis publicæ, prout ſuæ peculiariter civitati ejusq; rationibus maximè expedit, ſtatuere ſuo arbitrio posſint, non tamen ejus ſemper compotes fiunt. Enimverò res maximè ardua & omnium difficillima eſt, civitatem temperare legibus ad modum veræ & perennaturæ felicitatis: & propè difficilius adhuc illas exequi & tueri. Nam & populi ut plurimùm à vero fine deficiunt vel judicii errore, & artis æqui bonique imperitiâ; vel affectuum impotentiâ, factionum ſtudiis, aut animi & ingenii pravitate: maximè reliquorum bonorum, utilis vel jucundi, ſpecie victi, quam boni honeſti rationibus

bus, etſi adverſantibus, facilè miſcent. *Vid. cap. ſeq.*

10.Scilicet bonum honeſtum primâ fronte videtur tam tetricum, triſte, & auſterum, quàm reliqua bona amœna, læta, & ſerena. Prius enim id ipſum eſt, quod libertati noſtræ frenum injicit, & quo illa quaſi compedibus coërcetur, ne homines libidini ſuæ, quâ in reliqua bona, ſcil. in utilitates & voluptates ſuas, laxatis haberis ruunt, obtemperare poſſint. *I*nprimis ſcil. adſtringuntur illi indiſtinctè ſanctiſſimo illo juris Naturæ vinculo, cujus cuſtodia in civitate prorſus neceſſaria, & præcipuum adeò ipſum bonum ideo eſt, quia ejus rejectio ruinam reip. & terrificam illam læſi divini Numinis vindictam ſecum trahit, ut dictum eſt, §. 5. *ſup.* Deinde, & leges in civitate feruntur, prout maximè è re, cùm ſingulorum tum univerſitatis, eſſe videtur, ad tuendam pacem & ſecuritatem publicam; tùm inter cives ipſos, tum contra extraneos, quibus pariter ſinguli vinciuntur, ne in libidines ſuas effundi poſſint, atque ita utriusque hujus juris vinculo facultas illa faciendi, quod cuique libet, conſtringitur intra cancellos legum, quos iá, quod ipſis libet, excedere non poteſt: quod proinde, etſi verum bonum iis, qui in cupidines ſuas & luxurias profuſi ſunt, malum videbitur, quod nolunt; non bonum, quod ipſis libet,

11. Verùm eo non obſtante dicendum, illud ſummum civitatis bonum, ſummamque felicitatem civilem, quam omnes in civitate volunt & expetunt, adeoque nihilominùs commune civitatis votum eſſe. Etenim memoriâ repetendum, quod demonſtravimus *cap. 4.* omnia animantia naturæ ſuæ motu ferri in id, quod bonum ſibi videtur, & averſari, quod malum: nec naturâ poſſe petere malum, quà malum, ſeu quod malũ ſibi apparet. *βούλεται οὐδεὶς ὃ οἴεται εἶναι κακόν. Nemo vult, quod arbitratur malum* biſait *Ariſt. lib. 2. Eudem 7. & ſæpius alibi.* At verò apparet illud bonum & malum vel ſenſui, vel intellectui. De bono utili & jucundo arbitratur ſenſus, qui & brutis & hominibus communis eſt; de bono honeſto ſolus intellectus, qui hominibus proprius. Quod ergo ſenſuum arbitrio offertur bonum, in id homines naturà feruntur, ſi ſenſus id ſibi bonum eſſe percipiunt; quod autem rationi & intellectui exhibetur, illud eâdem naturâ duce amplectuntur, ſi ratio id bonum vel majus bonum judicat, & judicium adeò ſenſuum corrigit, idq; vel malum vel minus ſaltem bonum eſſe convincitur; tum enim vel illud ſenſuum bonum averſabitur, vel bonum honeſtum tanquam majus bonum præferet.

12. Nec mirum, ſi rationi monſtretur incomparabilis illa boni honeſti, ſeu virtutis, pulchritudo, ille ſplendor, illud precium infinitum: ſi ejus præmia certa, ſumma, perpetua ac æterna: ſi præ.

ſi præclara, quæ illam comitatur, gloria, & alia eximia, quorum homines non minùs cupidiſſimi ſunt, quàm quæ ſenſus afficiunt: Et, ſi è contrariò comparetur cum eo bonorum, quæ ſenſibus apparent, vilitas: quàm eorum ſenſus in præſens tantùm & momentarius ſit; quàm illa ſint fluxa, caduca, incerta; quàm brevi in fumum abitura; quàm plerumque mox in immenſam malorum ſegetem deſitura: ſi porrò & inprimis ſpectetur, quòd horum bonorum ſenſus & uſus nobis communis cum belluis; honeſti autem proprius, & id ſit, quo homo à brutis diſtinguitur, illisque infinitis modis præſtat, atque ad Deum proximè accedit; & innumera alia, quibus conſtat, cæteris ſenſuum bonis nihil fugacius & vanius, &, ſi à bono honeſto diverterint, nihil infamius eſſe, omnemque eorum uſuram luctuoſiſſimorum eventuum & ſuppliciorum quoque amarore penſari & conſumi: at unius honeſti boni precium eſſe veram, ſolidam, ac æternam felicitatem; dubitandum non eſt, quin horum ſeria & frequens meditatio voluntatem in tanti boni admirationem, ejusdemque adeò ſtudium raptura, ſenſuumque delinimenta, fuco iis deterſo, ſubactura ſit.

13. Apparuit hoc exemplo Crotonienſium populi, quos, cùm opibus & potentiâ maximè eminerent; *Cic. lib. 2. de Invent. in princ. Strab. lib. 6. Geogr. cap. 1 1.* bello autem cum Locrenſibus geſto, & numeroſiſſimo Ipſorum exercitu à parva ho-

ſtium, deſperatione actorum, manu victo, tædium quoddam virtutis & armorum cepiſſet, & quaſi infenſi eorum infelici ſibi exercitio, in luxum & inertiam verſi & prolapſi eſſent, opportunè Pythagoras, vir Sapientum gentilium merito ſuo princeps ac Philoſophiæ Parens habitus, qui tum Crotonæ degebat, ad virtutis & frugalitatis culturam ipſos revocavit; & quotidie virtutem laudando, & vitia luxuriæ, id eſt, cupiditatum, quibus ad id, quod utile & jucundum videtur, ferimur, caſusque civitatum ea peſte perditarum enumerando, id effecit, ut & cives, & fœminæ, & pueri, his rebus accenſi, ad frugem bonamque mentem reverſi, virtutis ſtudiis certatim incubuerint, & remp. fortiter geſſerint, ac Dionyſium Tyrannum magna laude vicerint. ut pluribus refert *Juſtin. l. 20. Hiſt. c. 3. 4. & 5.* Ita de Spartanis tradit Plut. in Lycurg. *cap. 39. & ſeqq.* quod prælium inituri, cantu & carminibus, de virtutis laudibus & pulchritudine ac felicitate compoſitis, concitati in hoſtem fuerint. *Inerat*, ait, *modis ſtimulus, qui animum excitaret, impetumque in eo & quaſi furorem aliquem ad virtutem accenderet:* Et mox. *Erat ferè laudatio felicitatis eorum &c.* Quod idem ferè de priſcis quoque Germanis noſtris commemorat *Tac. Germ. cap. 2. in fin. & cap. 3.* Inprimis verò id laudatur in Tyrtæo Poëta, Duce Spartanorum, de quo *apud Platon. de legib. dial. 1.* diximus in *Orat. ſeculari, anno 1706. habita.* Quin eò pervenêre hac diſciplinâ & medita-

ditatione Veteres, ut non agnoſcerent alia bona quàm animi, ſeu honeſta; reliqua verò bona ſua, ſeu fortunæ, non tantùm bona, ſed & ſua eſſe negarent, ut de Stoicis jam diximus. Hinc illud Biantis, unius è ſeptem Sapientibus Græciæ, qui Priene patriâ ſuâ captâ, cùm cives bona ſua aſportarent, ille, etſi monitus, noluit, ſed omnia reliquit, & *omnia ſua ſecum portare*, dixit. *Cic. Paradox. 1. Val. Max. lib. 7. cap. 2. n. 3.* Cui geminum eſt factum illud Stilponis, cùm occupatâ à Demetrio Poliorcete patriâ ſuâ Megaris hoſtis ipſi omnia erepta bona ſua reſtitui juſſiſſet, *nihil ſuum ſe amiſiſſe* dixit. *Diog. Laërt. lib. 2. in vita Stilp. Meg. Senec. de Conſtant. Sap. cap. 5. & 6. & epiſt. 9.* Etſi igitur in oculos & ſenſus non incurrat ineffabilis ille boni honeſti, ſeu virtutis nitor & ſplendor, tamen ratione cognoſcitur, eique micant divini illius radii, & tum fulgore ſuo nativo, quo, etſi non oculos, at mentem percellunt atque illuſtrant, tum tantorum præmiorum fiduciâ, & æternarum felicitatum pignore alliciunt.

14. Sed nec bonum utile & jucundum excluſa ſunt à boni honeſti rationibus. Quod, rejectâ communiter Stoicâ illâ ſeveritate, cujus modò exempla dedimus, (etſi fatendum, iſtam doctrinam, licèt erroneam, magnos autoribus ſuis ad virtutem profectus & incrementa attuliſſe, quòd cætera bona nec ſua, nec bona eſſe ſtatuerint:) poſt Pythagoram & Platonem pro-

pugnat ubiq; Ariſtoteles *Nicom. lib. 1. cap. 9. in fin. & alibi paſſ.* & communis Veterum quoq; Schola. Ut adeò nec ſenſibus tam auſterus videri poſſit boni honeſti vultus, quaſi ab omni bono utili & jucundo alienus: Nam & hæc vera bona ſunt, ut jam oſtendimus *c.4.§.13.*& *paſſ.*quin inſtrumenta virtutis, & ad eam exercendam vel neceſſaria vel valdè proficua, adeò ut ſine iis vel non exerceri virtus, vel non tam præclarè geri res poſſit: uti ſine ſanitate vix quicquam eximii effici, nec ſine opibus liberalitatis & beneficentiæ uſus vel effectus eſſe poteſt: quo nomine & in ſacro Codice àcquirendi ſtudium injungitur homini, ut aliis poſſit inde benefacere. *Epheſ. 4. v. 28.* Et ipſa bòna jucunda ſunt, quæ ad ſalubrem animi relaxationem, ad corporis ſanitatem, ad utriusque à rebus feſſi vires reficiendas, & alacritatem rebus agendis reſtituendam, & ad alia quàm plurima bona conferunt.

15. Non igitur in eo vitium eſt bonorum fortunæ, quòd non ſint vera bona, quin quòd non in cenſum boni honeſti quoque ſint referenda, ſi ritè expendantur in ejus boni uſum, ſeu in uſum virtutis; ſed in eo, quòd copiâ & affluentiâ ſuâ corrumpunt hominum animos ac mores, atque abducunt à veri boni ſeu virtutis cultu ac ſtudio, atque adeò à veræ & ſolidæ felicitatis metâ. Cujus primùm cauſa ex jam dictis apparet, quia hominibus boni utilis & jucundi ſenſu imbutis id libet in infinitum, nec pati-

patiuntur frenum illud æqui bonique, quo, quod ipſis libet, ſeu ipſorum cupiditates & libidines cohibentur & impediuntur: atq; ita dum unicè, quod utile jucundumque ipſis videtur, in votis habent, excidunt & ſuo & communi hominum voto; &, dum bono honeſto illud præferunt, omni bono, omnique felicitate; ut vidimus *cap. 5. §. 5. & ſeqq.*

16. Idem probat omnium temporum & gentium experientia, quâ conſtat, fortisſimos ſemper populos, ubi per veſtigia virtutis, quàm vitæ aſperitas acuerat, foverat, & duraverat, ad culmen felicitatis pervenêre, & omnibus fortunæ bonis & copiis circumfluere cœperunt, in luxum effuſi, eoque in mollitiem ſoluti, & virtutem & felicitatem ſuam deſtruxère, aliisq; in prædam ceſſerunt. Longum eſt omnium exempla referre; ſuggerent ea hiſtoriæ de Gentium migrationibus; unde apparebit, ex Septentrionis oris, cultu aſperrimis, prorupiſſe victoriarum impetum, & penetrâſſe in terras illas beatas, rerum ubertate & abundantia diffluentes, ibique hæſiſſe & periiſſe. Docebit id ipſa Germania noſtra, & priſci ejus populi, qui terrarum orbem propè victoriis peragrârunt; ſed in fortunatas illas terras delati, mox devictorum à ſe populorum moribus victi & fracti ſunt, & cum Germania ſua virtutem quoque & indolem dereliquerunt. Ita é Germaniæ populis Gallo Græcos fuîſſe, oſtendimus in *præfat. Jur.*

 publ.

publ. §. *17.* & docet *Diod. Sic. lib. 5. cap. 33.* atq; de ipſis refert, quòd *ſubjecta Aſia parte* (Bithynia) *ibi cum Græcis permixti, virtutem perdiderint mollitie cœli.* Idemque de eodem populo Claudian. *lib. 2. ad Eutrop. in med.* ita cecinit:

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens,
Illis, antè vagus, tandem regionibus (Bithyniæ) *hæſit,*
Geſaque depoſuit, jam Grajo mitis amictu
Pro Rheno poturus Halym

Etenim communi Gallorum vel Celtarum nomine Germanos quoque comprehenſos fuiſſe, oſtendimus *in d. præf.* §. *9. & ſeqq.* Sed & de iisdem Gallo-Græcis id ipſum *Liv. lib. 37.* §. *8.* his verbis teſtatur: *Bellicoſiores ea tempeſtate erant, Gallicos adhuc, nondum exoletâ ſtirpe gentis, ſervantes animos.* Et Flor. *lib. 2. cap. 11.* inquit: *Genuinam eorum feritatem Aſiatica amœnitate mollitam fuiſſe.* Ita Alexander M. victor Perſici Imperii, ipſe devictorum moribus & luxu Perſico victus fuit. *Curt. lib. 6. cap. 2. & cap. 6. lib. 5. cap. 7. & paſſ.* Annibalem (at quantum belli Ducem!) ejusque invictum exercitum fregère Campaniæ ſoles & deliciæ. *Flor. d. lib. 2. cap. 6. Cic. Orat. 16. contra Rull. circa fin.* & inprimis, quantopere eum illa loci tam beati commoratio enervaverit, pleniùs deſcribit *Liv. lib. 23. cap. 18.* Ipſam Spartam, domum quondam virtutis & frugalitatis, opum incrementis & admiratione in luxum corruptam, pariter à priſtino felicitatis gradu ac à priſtina virtu-

virtutis gloria dejectam fuiſſe, teſtantur *Plut. in Agid. cap. 7. & ſeqq.* & *Val. Max. lib. 2. cap. 6. n. 1.* Quin Cicero *lib. 2. de Offic. ad fin.* refert, oraculo Delphico prædictum fuiſſe: *Spartam nullâ re aliâ niſi avaritiâ* (quæ eſt aviditas boni utilis) *perituram:* additq́;, *Id non ſolùm videri Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe.* Quid de orbis victore Populo Romano? Conſtat in magna paupertate imperium orbis terrarum acquiſiviſſe; in magna opum copiâ & ubertate amiſiſſe. Id omnes, ipſique Romani fatentur: Florus *lib. 3. cap. 12.* ait: *Syria prima nos victa corrupit:* Et Juſtinus *lib. 36. in fin. Aſia Romanorum facta cum opibus ſuis vitia quoque Romam transmiſit.* Quod & fuſiùs refert *Liv. l. 39 c. 6.* Præclarum quoque eſt illud Juvenalis *Sat. 6. in med.* ubi laudatâ priſcâ virtute Romanâ, maximè in bellis Punicis, deinde, excisâ Carthagine, ita queritur;

Nunc patimur longæ pacis mala: ſævior armis
Luxuria incubuit, victumq́; ulciſcitur orbem.
Nullum crimen abeſt, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. &c.

Maximè verò memorabile eſt votum illud Pontii, Samnitium Ducis, acerrimi Romanorum hoſtis, (cujus exercitum ad Furcas Caudinas ſub jugum miſit) quod refert *Cic. 2. Off. in fin. Utinam ad illa tempora me fortuna ſervâſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent; non eſſem paſſus diutiùs eos imperare.* Sed & Saluſtius

ſtius in eo ferè totus eſt, ut ipſis rebus geſtis demonſtret, populum Romanum duabus artibus imperium quæſiviſſe, & partum ſtabiliviſſe; armorum foris, & domi æqui bonique ſtudiis. Alia exempla recenſet Manlius, in Oratione ad milites, ut ipſos excitaret ad bellum in Gallo-Græcos, apud *Liv. lib. 38. cap. 17.* Et Cicero, contra Rullum, tribunum plebis, leges Agrarias urgentis. *d. Orat. 16. circ. fin.* Quin Saluſtius *Orat. 1. ad Caeſ. de Rep. ord.* ait: *Se, ex quo ſæpe cùm animo ſuo id reputàſſet, ſemper reperiſſe, omnes Victores divitias contemſiſſe: & victos cupiviſſe.*

17. Quod hact. exemplis & experientiâ, ipſisque rerum monumentis firmavimus, id quoq; inter omnes in confeſſo eſt: bona nempe utile & jucundum, quæ vera in ſe bona eſſe adſeruimus, corrumpere tamen hominum unà animos & felicitatem; equidem non ſuo, ſed hominum vitio; non ſui uſu, ſed abuſu: quia ea bono honeſto præferunt, & ſuâ naturâ, qualis nunc eſt, ita in ea feruntur, ut iſta ante omnia ducant, & nihil ardentiùs concupiſcant. Omnium inſtar eſſe poteſt, quòd cùm in ſacris tum in profanis hoc quaſi principium morale & regula ſtatuitur: CUPIDITATEM ESSE RADICEM OMNIUM MALORUM. Ita enim D. Apoſtolus *1. Tim. 6. v. 10. Radix omnium malorum eſt cupiditas*: per quàm intelligitur ipſa illa aviditas boni utilis & jucundi, ſeu opum & voluptatum, in quas hominum libido eos naturæ ſuæ impetu

tu impellit, indeque in luxum præcipitat. Unde promiſcuè Autores verbis *cupiditatis, avaritiæ, libidinis, luxùs, & ſim.* utuntur, iisque intelligunt hoc malum de quo agimus, ſcil. cupidinem opum in abuſum luxùs: ſeu, quod idem, deſiderium boni utilis & jucundi. Igitur & verba & ſenſum Apoſtoli exprimit Cicero. *lib. 2. Offic. ad fin.* ubi, *Nullum igitur*, inquit, *vitium tetrius quàm avaritia.* Ut facilè appareat, non intelligi illud ſaltem vitium, quo avarus dicitur, qui nihil expendit; ſed accipi pro eo, qui avidus eſt opum, ut profundere in lubidines ſuas, ut genio ſuo indulgere, ut ambitioni, vindictæ, aliisque cupiditatibus vela pandere, & quicquid libitum eſt, inde parare queat. Atque ita accepiſſe Ciceronem *d. loc.* ex eo conſtat, quod mox addit; *Spartam nullâ aliâ re quàm avaritiâ*, id eſt luxu, *eâdemque omnes opulentos populos perituros.* Ita & Saluſtius *de Bell. Catil d. cap. 10. eam quaſi materiem omnium malorum fuiſſe docet.* Agit autem de luxuria P. R. ſeu de cupidine opum ad luxum & potentiam &c. eamque in ſequentibus perpetuò *avaritiam* vocat: cùm ita pergit: *Namque avaritia artes bonas ſubvertit: pro his omnia venalia habere edocuit. &c.* Paria ferè ſunt, quæ ipſe Cæſar Tiberius ad Senatum perſcripſit, apud *Tacit. 3. Ann. 53. & ſeqq.* Sed & Florus *lib. 4. cap. 2.* disertè ait: *Cauſa calamitatum omnium, nimia felicitas.* Et quid magis in ore omnium eſt, quàm rebus adverſis ali virtutem, ſecun-

cundis emarceſcere. Id ipſe Alexander M. gemina oratione,alterâ ad ſuos milites; alterâ ad Perſas, monuit. *Curt. lib. 10. cap. 2. & cap. 3.* Id Galba Imperator Piſoni: *Fortunam,* inquit, *adhuc tantùm adverſam tuliſti; ſecundæ res acrioribus ſtimulis animos explorant; quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Tac. Hiſt. 1. cap. 15.* quaſi metueret ei à proſpera fortuna, qui fortiter tuliſſet adverſam. Et alius vir Regii ſanguinis, ſed pauperrimus, in regem electus, & ab Alexandro M. rogatus, ut paupertatem tuliſſet? ipſe ſibi diffidit, eodemne animo fortunam Regiam laturus eſſet: &, *Utinam,* ait, *eodem animo regnum pati poſſim. Curt. lib. 4. cap. 1.*

18. Sed fruſtra erit plura in eam rem cumulare teſtimonia, quæ & infinita ſunt, & res ipſa integris veterum quoque libris præclarè tractata, quin ipſum totius moralis diſciplinæ caput viſum. Nec ſcriptis tantùm hanc bonorum, quæ homines appetunt, conditionem illuſtrârunt: uti inprimis *Boëth. de Conſolat. &c.* ſed & fabularum condimentis & involucris adumbrârunt, & animis hominum inſinuàrunt, uti Poëtæ Gentilium veteres; vel quaſi in tabula vivis eam coloribus delineatam depinxerunt, uti Cebes Thebanus, cujus tabula eam rem ita expreſſit, ut non tam mente percipi, quàm oculis hauriri videatur. Quem verò non moveret tremenda illa vox ſanctiſſimi Servatoris: *Facilius eſſe, rudentem tranſmitti per foramen acûs, quàm*

opu-

opulentum ingredi regnum cœlorum. Matth. 19. v. 24. ubi, cùm qværeret cœlum juvenis ille locuples, cœlo tamen prætulit opes; uti Venus Adonim; apud *Ovid. 10. Metam. fab. 10.*

Abſtinet & cœlo, cœlo præfertur Adonis.

19. His ritè penſitatis, ſequitur jam ultro id quod inprimis demonſtrandum fuit: Quodnam ſit ſummum illud bonum civile, in quo conſiſtit certa & ſolida felicitas civitatum, & ideo ab omnibus communi voto expetitur, & propter illam libertas, quippe quæ nihil aliud eſt, quàm facultas hujus boni in civitate, ſuo arbitratu, & prout é re ſua viſum eſt, ſtabiliendi & tuendi: ſcilicet, qvod conflatum eſt ex utraqve claſſe bonorum; bono primùm honeſto; deinde bonis quoque fortunæ, ſed legibus boni honeſti cohibitis, atqve in ejus uſum ita contemperatis, ut ſint inſtrumenta & nervi virtutis, juſtitiæ, & pacis ſecuritatisqve publicæ; non organa luxùs, ſcelerumqve licentiæ. Prius illud, ſeu Bonum honeſtum, caput eſſe & firmamentum felicitatis civilis, ejusque neglectum conglutinatum quaſi cum exitio reip. demonſtravimus *ſup. §. 3. ſeqq.* Nec fallit illud: *Propter injuſtitiam regnum à gente in gentem transfertur. Eccleſ. 10. v. 8.* Alterum verò, ſeu bona fortunæ, ſecluſa ab æquo & bono honeſto, degenerare & fœdari in ſummum malum, latè oſtenſum eſt *tot. cap. 5.* Verum tamen, in ſe vera bona eſſe, &, ſi in eos uſus, quos modo dixi, ſcil. boni honeſti,

neſti, in quos Natura ea creavit, & humano generi conceſſit, impendantur, etiam boni honeſti complexu & appellatione venire, expoſitum eſt *ſup.* § *14.* & *ſeqq.*

20. Eſt igitur omnino pars felicitatis civilis, ut civitas bonis fortunæ & rerum, inprimis neceſſariarum, ubertate ac copiâ floreat & affluat. Et optimè Cicero *lib. 2. de Offic. in fin. Omnes,* inquit, *qui rem publ. gubernabunt, conſulere debebunt, ut earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ.* At caput rei eſt, & in quo omnis ſummi boni & felicitatis cardo vertitur, ut iſta bonorum fortunæ affluentia defixa ſit in ſtudio tuendi, ornandi, & promovendi boni honeſti, ſeu æqui & boni. Quò magis igitur ita attemperata ſunt hæc bona fortunæ bono honeſto, ne in luxum exorbitent, ſed æqui & boni, totiusqve civitatis & omnis vitæ præſidia ſint, non arietes; quibus obvalletur civitas, non quibus oppugnetur: ejus munimenta, quibus ſervetur; non ulcera & peſtes, quibus extinguatur; eò firmior & perfectior erit illius ſtatus & planè ad perennem felicitatem durabilis. Etenim ex invariata primùm Juris cuſtodia ſequitur pax & ſecuritas publica; quippe qvæ non turbantur aut rumpuntur, niſi violato jure. Ex ſufficienti opum copiâ, ſi ritè in id ordinatæ, & ita ut dictum diſpenſatæ fuerint, juris primùm exequendi, tum pacis adverſus hoſtes & extraneos, & ſecuritatis publicæ inter cives tuendæ facultas oritur: ſin contrà; civitatis exitium & pernicies. 21.

21. Atque hæc haſtenus, ad cauſam hanc præmuniendam, de finibus libertatis, ſeu, quod idem, de ſummo bono & felicitate civitatis diſputata ſunt: quæ, ut in ſummam contraham, eò pertinent, ut indubitatò primùm conſtet, libertatis appellatione ac definitione, de qua *cap. 2. §. 3.* comprehendi ſummum bonum civile, cùm privatum ſingulorum, tum publicum civitatum; omniumq; adeò veram ac perennem felicitatem, quam quisq; in eo collocat, quod ſibi bonū paret, proindeque & gratum ſeu libitum eſt. *ſup. cap. 4.* Deinde, quà ratione homines cupiditatum ſuarum vitio aberrent à vero bono ſuo, & proinde neceſſum ſit legibus eas frenari: tùm ne tranſiliant ſacros illos terminos, illam lineam inviolabilem Juris naturalis, quod bonum honeſtum, & ſacroſanctum eſt; tum ne & ſibi & reipubl. & utriusq; felicitati libidine ſuâ officiant. Ex quo conſtat, libertate contineri fontem & ſummam veræ felicitatis publicæ & privatæ. Sequitur jam, ut porrò videamus, quibus modis & veſtigiis, & qvænam civitates ad illud faſtigii evadere atque eniti poſſint? Unde apparebit, tum quid interſit inter civitates liberas & non liberas; tum quæ civitates hoc bono fruantur mediatè, adeoque, quænam jure & uſu gentium ſint mediatæ vel immediatæ? quod nunc diſquirimus.

CAP. VII.

De modo & facultate Summi boni civilis procurandi, reſtitutis civitatibus.

SUMMARIA.

1. Summi boni civilis partem primariam eſſe cuſtodiam inviolatam Juris Naturæ.

2. Alteram, rerum ubertatem legibus ita coërcitam, ne in luxum vel perniciem vertatur.

3. Id quàm difficile ſit legumlatione conſequi, oſtenditur ratione & autoritatibus.

4. Eam difficultatem ſuperandam eſſe legislatoris prudentiâ.

5. Id effici primùm inſtitutione & diſciplinâ.

6. Qualem illã eſſe oporteat.

7. Deinde optimarum legum ſeverâ executione.

8. Hac ſeveritate nihil detrahi libertati ſingulorum, ſed ejus menſuram impleri.

9. Nec ideò minùs id eſſe votum commune civitatis.

10. Quin & ſingulorum, etiam malorum, qui cupiditatibus ſuis dediti ſunt. Et quo ſenſu idem ſummum hominis bonum, quin & votum dici poſſit, etſi ille id rejiciat.

11. 12. Digreſſio in locum de ſpontaneo, invito, & voluntario mixto. Quantopere eam rem turbaverit diſputatio Ariſtotelis & ſequacium: cujus IIX. hypotheſes referuntur & refutantur.

13

13. Exponitur vera ſententia, quam probârunt poſt Platonem, Stoicos, &c. JCti Romani.

14. Aliud eſſe voluntatem, aliud voluntatis libertatem.

15. Cupiditates nec libertati obſtare, nec voluntati.

16. Eas tamen poſſe eſſe tam validas, & adeò in habitum adoleſcere, ut vincant libertatem aliter agendi: Unde moralis neceſſitas & impotentia.

17. In duabus his cauſis: cùm quid errore, vel neceſſitate homines agunt: duplicem diſtingui voluntatem: alteram in theſi ſeu generalem; aliam in hypotheſi & κα]ὰ καιρόν.

18. Quod illuſtratur exemplis è Jure.

19. Et ex Cicerone &c.

20. Concluditur, non dari actus voluntarios mixtos, & libertatem abeſſe poſſe à voluntate.

21. Applicatur id, & oſtenditur, velle homines bene beateque vivere, voluntate & liberâ & non erroneâ.

22. Hinc duas cauſas eſſe, quibus homines bonum, quod aliàs & in genere vellent, nolunt: errorem, & neceſſitatem.

23. Oſtenditur hoc de errore.

24. Et de neceſſitate, maximè morali, pleniùs ex ſacris & profanis.

25. Exemplis Cæſaris & Catilinæ, aliisque.

26. Probatur inde, hoc malum corrigi & coërceri non poſſe, nec ſummum bonum civile obtineri, niſi hominibus in civitatem coactis: Ubi refertur decantata illa olim hominum feritas.

27. Quomodo inde Dei beneficio, & Heroum maximè virtute & prudentiâ, convaluerint ad humanitatem.

28. Non aliter id effectum, quam

quàm iis coactis aut coëuntibus in civitates.

29. Probatur id unanimi conſenſu Gentium.

30. Et illuſtratur fabulâ ac figurâ Cereris Legiferæ.

31. Unamquamque Gentem ferè ſuum Herculem coluiſſe: unde id plurium Heroum nomen.

32. Non poſſe ſummum bonum felicitatis civilis aliter inter homines cuſtodiri quàm inſtitutâ civitate.

33. Nec in ea id non eſſe votum commune.

34. Gentium conſenſus, civitates legum cauſâ conſtitutas fuiſſe.

35. Nec bonum hoc civile curari poſſe niſi Magiſtratibus conſtitutis.

36. Boni hujus ſubjectum eſſe totum corpus civitatis liberæ, conſtans magiſtratu & civibus: & contrâ, bonum illud liberæ civitatis objectū & finem; ejus autem curam & tutelam, Magiſtratùs.

37. Horum rationes quam ſint inſeparabiles, etiam ex forma libertatis.

38. Hinc probatur, hoc bonū publicum unicè propoſitum eſſe Moderatori Reip.

39. Et fontem omnis prudentiæ legislatoriæ & autonomicæ.

§. *I.*

HIs ergo ita præſtructis, ſpectandum jam, in quo omne momentum hujus cauſæ ſitum eſt, Quibus modis ſummum hoc bonum civile, ejusque facultas vel libertas comparetur ac conſervetur? Cùm itaque oſtenſum ſit *cap. 6. §. 19. & ſeqq.* illud duabus

abus partibus perfici, & ex utroque bonorum generere collectum eſſe: bono ſcil. honeſto, & bonis fortunæ: prius quidem illud palmarium eſt, & civitatum omnium finis ac fundamentum, quæ nec aliâ cauſâ, quàm juris tuendi gratiâ, conſtitutæ, nec alià re à latronum Collegiis diſtinctæ ſunt. *inf.* §. *36.* & *ſeqq.* Sed de eo hîc agere ſuper vacuum eſt, cùm Civitas hoc bonum & jus non conſtituat, ſed id civitati conſtitutum, humanoqve generi à ſummo Rerum Moderatore præſcriptum, perpetuumqve ſit: qui proinde ejus quoque contemti vindicem Se acerrimum & infeſtisſimum profitetur; *Exod. 20. v. 5.* idq; & ipſe omnium propè Gentium exemplis docuit, & ſacra Vatum oracula horrifico carmine ubiq; ingeminant, quod compendio exhibuit *Eccleſiaſtic. cap. 10. v. 8. Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitiam.* Illud igitur eſt Palladium civitatis, & fundus pacis ſecuritatisque publicæ, ac norma omnium quæ in civitate fiunt.

2. Alterum eſt rerum ubertas, & bonorum fortunæ copia. At verò hæc ea bona ſunt, quibus corrumpi quàm maximè mores & felicitatem hominum ac civitatum, oſtendimus *cap. 6. §. 15. & ſeqq.* niſi ita eorum uſus legibus cohibeatur, ne in luxum effuſa inundent rempublicam; ſed ut ſint præſidia boni; honeſti, inſtrumenta virtutis, & vitæ piè, tranquillè, feliciterque tranſigendæ pignora. *Conf. Cic. Acad. quæſt. 1. in pr.*

 3. Id

3. Id verò, præſertim in magna rerum ubertate & bonorum fortunæ abundantiâ, longè difficillimum eſt; quia bona illa ſui cupiditate adeò trahunt & corripiunt mortalium animos, ut quodam quaſi furore & faſcino in eorum amplexum abripi, nec frenum pati videantur, prout jam demonſtratum dedimus. Unde arduum quàm maximè eſt, duas res, propè inſociabiles, ſcil. abundantiam bonorum fortunæ, & abſtinentiam à luxu & vitiis, ita conciliare ac unire, ut conſpirent in boni honeſti ſtudium, atq; civitas & omnium rerum ubertate & copiis floreat, & tamen indomitæ naturâ mortalium cupiditates & libidines opum potentiâ fretæ & ſuffultæ, non erumpant in luxuriæ vitiorumq; licentiam, aut in ambitionis injuriarumque audaciam. Hanc cauſam reddit Plato, cur, cùm Cyrenæorum populus inclutus, & opibus ac potentiâ florentiſſimus, legibus civitatem ſuam optimis formare cuperet, & ideò eas ſibi præſcribi à Platone peteret, ille abnuerit: reſpondit enim: χαλεπὸν εἶναι Κυρηναίοις οὕτως εὐτυχοῦσιν νομοθετεῖν. *Difficile eſſe Cyrenæis fortunâ tam ſecundâ utentibus leges ſtatuere* &c. apud *Plutarch. in Lucull. cap. 3.* ubi & addit: Eundem hunc populum, deinde ipſis his rebus ſecundis fractum, & Tyrannorum avaritiâ preſſum, meminiſſe oraculi hujus Platonici, & ideò lubenter à Lucullo leges accepiſſe. Quæ & cauſa eſt, cur ſemper difficilius viſum fuerit, bonis Pacis artibus rempubl. mu-

munire, quàm bello hoſtem vincere: prout illud Saluſtius Cæſari Imperatori & victori, *in Orat. 1. ad C. Caſ. de Republ. ordin. in princ.* repræſentat: &, *Inter has*, inquit, *difficultates evadendum eſt Tibi, atque in poſterum firmanda reſp. non armis modò, neque adverſum hoſtes: ſed, quod multò majus multoque aſperius eſt, bonis pacis artibus.* In quam eandem ſententiam multa præclarè ad eundem Cæſarem diſſeritCicero, *Orat. pro M. Marcell c. 7. in fin. c. 8. 9. & 10.* &, tot victoriis nihil actum à Cæſare videri, docet, niſi legibus quoque remp. componat ac vinciat, & vulnera ejus curet: ipſumque aliàs ne gloriæ quidem ſuæ ſatis; patriæ verò parum vixiſſe: tantumque abeſſe à perfectione maximorum operum, ut fundamenta nondum jecerit. Quò & pertinet, quod Livius exemplorum occurrentium occaſione ſæpiùs monet, uti *lib. 2. cap. 43.* de Fabio Cæſone Conſule: *Adeò*, ait, *excellentibus ingeniis citiùs defuerit ars quâ civem regant, quàm quâ hoſtem ſuperent.* Et *lib. 38. cap. 53.* ipſum Scipionem Africanum majorem, domitorem Africæ, & ſummum belli Ducem dicit *Virum memorabilem, bellicis tamen quàm pacis artibus memorabiliorem.* E contrario, cum duo Conſules Romani, alter armis & egregia virtute Volſcos victos ſub jugum miſiſſet; alter, T. Quintius Ardeates ſeditionibus turbatos magnâ gloriâ pacaviſſet, *lib. 4. cap. 11.* inquit: *Æquavit, quod haut facile eſt, Quintius Conſul*

ſul togatus armati gloriam Collega: quâ concordiæ pacisque domeſticam curam, jura infimis ſummisque moderando, ita tenuit, ut eum & Patres ſeverum Conſulem, & plebs ſatis comem crediderint.

4. Verùm omnis hæc difficultas ſuperanda eſt Moderatoris reip. prudentiâ, & tam ſalubri legum condendarũ temperamento & exactitudine, quàm exequendarum ſeveritate & conſtantiâ: cavendumque, tum, ne cupiditates hominum licentiâ opumque fiduciâ erumpant in audaciam; tum, ne bona illa, quæ ſunt nervi civitatis, eam enervent, &, quæ humano generi à Deo data ſunt ad explenda vitæ commoda, ſeu ad bene feliciterque vivendum, felicitatem privatam & publicam, quam vallare debebant, arietent.

5. Quibus autem modis ac veſtigiis ſummum hoc bonum civile obtineri in civitate ac ſtabiliri poſſet, facilè ex jam traditis intelligi poterit. Cùm enim pars ejus palmaria ſit, conſtans boni honeſti ſtudium & obſervantia, prima qvoqve cura erit, ut ejus inprimis genuina pulchritudo & præſtantia, quæ non ſenſibus quidem, at ratione & intellectu percipitur, ejusque precium inæſtimabile, ac præmia ſumma & perpetua eluceſcant, & civibus perſpecta quàm maximè ac perſuaſa ſint. Hoc autem caput diſciplinâ perficitur; quæ vel domeſtica eſt ſeu patrumf. vel publica. Unde, cùm privata non ſufficiat, & parum vulgò curetur, qvin ſæpe & ipſa ſiniſtra ſit, publicè eam ſuppleri neceſſe eſt

eſt: et, cùm primaria hæc pars ſit felicitatis civilis, ſequitur, primam quoque Moderatoris reip. curam fore, ne illa claudicet, aut in civitate deficiat. Quæ & cauſa eſt, cur apud Romanos SStum & ſummæ autoritatis officium Cenſorum inſtitutum fuerit.

6. Neque verò effici id poteſt, niſi proſpectum inprimis fuerit, ut civis cognitione æqui boniq́; ſeu officii ſui, imbuantur, & exercitatione virtuti adſueſiant. Enimverò ſpecioſa illa doctrina eſt, qvàm Diogenes Laërtius alteri Diogeni, Philoſopho, tribuit *lib. 6. in ejus vita,* quòd, expoſito quanta ſit vis exercitationis, docuerit, *ipſius quoque voluptatis contemtum, ſi nos aſſueſecerimus, fieri jucundiſſimum:* &, *qui in id exercitati ſunt, facillimè ipſas contemnere voluptates.* Et quid aliud hoc eſt quàm id ipſum qvod tota Philoſophorum Schola περὶ τῆς ἕξεως, ſeu de habitu, docet, qvo acquiritur exercitatione non tantùm facilitas ſecundùm eam agendi, ſed & ſtudium & propenſio. *Ariſt. Nicom. lib. 2. cap. 2. in fin.* Sanè, ſi divinus ille bonis honeſti virtutisve fulgor ac nitor; ſi valor ejus infinitus; ſi decora ejus ac præmia incomparabilia, ita ut decet expendantur, vix poterit illud non deamari ante omnia, & omnibus bonis fluxis & caducis longè anteferri. Nam & Cicero *lib. 1. de Offic. poſt princ.* ex Platone ait: *Formam ipſam & tanquam faciem honeſti vides: quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret ſapientiæ.* Platonis verò verba ſunt *in Phædro.*

circa med. & referuntur ab eodem *Cic. lib. 2. de Fin. bon. circ. med. Oculis ſapientiam non cernimus: Quàm illa ardentes amores excitaret ſui ſi videretur!* Totum igitur caput hoc perficitur curà & ſollicitudine publicâ, ut ſcientiæ & artes liberales, præſertim quæ ad res agendas pertinent, quàm uberrimè floreant, & incorruptè, ſobriè, caſtè, & ita denique tractentur, ut omnes intelligant, virtutem omnium bonorum Reginam, & felicitatum fontem inexhauſtum, ejusque mercedem æternam atqve inæſtimarabilem eſſe: deniqve, ut in civitate qvoqve ſuus ſcientiis hiſce honos; ſua virtuti dignitas; ſua legibus autoritas conſtet: vitia verò non laude & honore, ſed dedecore & infamiâ penſentur. Argumento erit Græcia illa vetus & heroica, & inprimis civitas Spartana; quæ optimis virtutis præceptis ſtudiisque exculta, eodem tempore & literarum gloriâ, domi; & rerum geſtarum, foris maximè omnium claruit. Iisdem diſciplinis & legibus populus Romanus uſus, id rebus & exercitio virtutis docuit, quod Græcia præceptis: uti non minùs verè quàm ſcitè id teſtatur Quintil. *Inſt. lib. 12. cap. 2. in fin.* cùm inquit: *Quantum Græci præceptis valent, tantum Romani (quod eſt majus) exemplis.*

7. Quodſi verò adeò laſciviunt animis; adeò efferati ſunt moribus, vel occœcati judicio, ut nihil horum, & nec virtutis, ſeu æqui bonique inæſtimabile precium ac meritum, nec cœleſtes illi

illi tantæ lucis radii moveant: ſi nihilominùs majorem felicitatem in rebus vaniſſimis & lubricis ponunt quàm in æternis, quibus Naturæ divinæ adſimilamur: ſi boni umbram, ſcoriam, & ſpumam bono præferunt: legibus utique frenandæ ſunt peſtiferæ iſtæ cupiditates, ut ab errore vel furore reſipiſcant, & quaſi clavus peſti illi figendus, (quod Romanis in more fuiſſe refert *Liv. l. 7. cap. 3. & lib. 8. cap. 18.*) ut in rationis gyrum reducantur, caveaturque, ne vel ipſis vel civitati periculum inde immineat. Cùm enim oſtenſum jam ſit *cap. 6.* §. *5.* omnino id impendere civitati, tùm ex contemtu Juris, ſeu æqui boniqve, ejusque violatione inultâ; tum ex luxu & abuſu bonorum fortunæ, omnium maximè illud legibus proſpiciendum eſt, ut non modò Jus, & inprimis æternum illud, quod à Deo O. M. conſtitutum eſt, religioſiſſimè colatur; ſed &, ne bonorum fortunæ abuſus Juri iſti & bono honeſto adverſetur, aut in felicitatem civitatis incurſet: adeoq; ut bona nervo & munimento ſint civitati, non exitio vel opprobrio. Neq; aliter, conſequi hunc finem legislator poteſt, quàm ſi & leges optima ratione in id conſtitutæ, & debita pœnarum ſeveritate in violatores animadverſum fuerit. Ita ergo adigendi ſunt refractarii, ut & ingratiis ſuis boni ac felices, *arg. l. 1. §. 1. verſ. bonos non ſolùm metu pœnarum &c. ff. de Juſt. & Jur.* quinimò ut liberi ſint. *vid. §. ſeq.*

8 Ne-

8. Neque verò hæc legum pœnarumque acerbitas quicquam detrahit libertati, ſed contrà ejus menſuram implet: quippe quà cuique, quod facere libet bonumque videtur, agendi facultas non ultrâ data eſt, quâm quat. legibus non prohibetur; quæ proinde formam ejus abſolvunt, adeò ut, quæ ultra leges uſurpatur libertas, libertatem extinguat. *ſup. c. 3.* §. *5.* quod & Cicero egregiè probat, *lib. 3. de Offic. propè fin.* ubi cupiditatem ultra fines honeſti ait eſſe *interitum legum & libertatis.*

9. Sed nec magis ille rigor legum & pœnarum obſtat ipſi hominum voto communi quàm libertati, quippe ipſum votorum caput & ſummam eſſe oſtendimus *ſupr. cap. 4.* Neqve ideò refrixit inter gentes hoc votum & deſiderium libertatis, quòd legum vinculo ita conſtricta illa ſit, ut in ſequentibus apparebit: Agnovêre enim abunde, non ideo evileſcere hujus boni precium, ſed tantò magis intendi, quantò pluris eſt bonum verum umbratili; ſolidum imaginario; ſincerum incruſtato & adulterino. Nam non ſolùm jus illud à ſummo Rerum Autore ſancitum perſpectisſimum ipſis fuiſſe, ex ſacris juxta & Jure Romano, quod ideam illius perfectisſimam exhibet, conſtat; ſed & rebus compertum fuit, cùm hujus ſanctisſimi juris neglectu ac violationibus, tum luxu ſeu cupiditate bonorum fortunæ, in quæ omni ope & niſu homines propendent, ſolvi vires & incidi ner-

nervos civitatum & felicitatis publicæ. Unde Juris Autores & ſacroſanctum inprimis eſſe jus gentium, & reip. maximè expedire ſtatuerunt ne cives re ſuâ malè utantur: §. *fin. de His qui ſui vel al.* atque ex hoc capite plurima jura præclara condiderunt.

10. Quin & de illis ipſis, qui ſummum bonum & felicitatem civilem in bonis fortunæ locant, & ideò bonum honeſtum, quâ eis adverſatur, pro malo habent, rectè tamen dicitur, illos ſummum bonum civile velle & cupere, idque ideo in civitate eſſe commune omnium votum. Cùm verò hæc aspera nimis colliſio videatur, idem ſtatuere ejusdem hominis votum eſſe, quod è contrario ipſe refugit & odit; atque ſummi boni loco eum id ipſum habere, quod in cenſum malorum ille refert, id primùm & eò attentiùs evolvendum eſt, quò magis, quantum pondere & utilitate valet, tantum difficultate laborat: & licèt hinc alienius id videri poſſet, ejustamen luculentior enodatio facem cùm aliis rebus, tum huic maximè cauſæ prælatura eſt.

11. Incredibile verò dictu eſt, quantopere hanc rem involverit Ariſtotelis (cujus tamen ſummi Viri memoriæ ac laudi nihil cætera detractum volumus:) de invito, erroneo, & involuntario diſputatio, undiquaque ſpinis triciſque obſita & implicita, quam *lib. 3. Nicom. 1. 2. 3. 4. & alibi in Moralibus paſſim*, exhibet, ejus verò In-

Interpp. magis adhuc implicant, & meras tenebras luci offundunt. Cauſa aberrationis pariter & obſcuritatis maximè fuit 1. Quòd libertatem à voluntate non ſatis diſcernit. 2. Quòd actus voluntarios mixtos fingit; eoque commento non tam miſcet quàm prorſus confundit actus ſeparatisſimos, totamque cauſam, de quo mox. Sed & 3. confundit invitum & erroneum, & hoc illius ſpeciem facit, cùm *d. cap. 1.* ait: Ἀκούσια εἶναι τὰ βίᾳ ἢ δι' ἄγνοιαν γινόμενα. *Invita eſſe quæ vel vi vel ignorantiâ fiunt:* cùm contrâ inviti defectus ſit in libertate; ignorantiæ, in intelligentia: & ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον, *ſpontaneum & invitum*, affectiones voluntatis; ſcientia autem & ignorantia, intellectùs. Quin & *d. lib. 3. cap. 2.* ipſe ſibi adverſus aſſerit, opinione contineri verum & falſum, non bonum & malum, ſed hoc electione. Non poteſt igitur error vel ignorantia, quæ ſub opinione continetur, eſſe ſpecies inviti, quod ſub electione: cùm enim hæc duo toto genere & ipſemet rectè diſtinguat, & verè ita differant, (quia opinamur verum aut falſum, quod intellectus eſt; eligimus bonum aut malum, quod voluntatis.) manifeſta contradictio eſt, alterum alterius eſſe ſpeciem. 4. Non minor pugna eſt, quod *d. lib. 3. cap. 1.* inquit: qui errore agit, ſi deinde re cognitâ pœniteat, ἄκοντα, *invitum* eſſe; ſi non pœniteat, non vult dici ἕκοντα, *ſpontaneum*, nec tamen etiam ἄκοντα, *invitum*, ſed οὐχ ἕκοντα, *non ſpontaneum.*

neum. Verùm hæ duæ penitùs diverſæ ſunt diſpoſitiones: ipſe actus errore geſtus; & ſecuta ejus vel improbatio, vel ratihabitio: & longè aliud quid eſt, longeq; alia quæſtio, qualis ſit actus, quo quis errore quid egit; alia, qualis ſit, quo veritate deinceps cognitâ, vel ratum habet antè actum, vel improbat: ille eſt actus intellectùs, qui huc, & ad invitum nunquàm, pertinet; hîc voluntatis, & omnino voluntarius. Adeò ille ſibi hîc non conſtat. Sed & 5. fallitur, cùm ſtatuit, τὰ ἐξαίφνης, *quæ de repentè fiunt*, eſſe ἑκούσια, ſeu *ſpontanea*, non verò fieri κατὰ προαίρεσιν, *electione*: Nam & electione fieri certum eſt, etſi non κατὰ βούλευσιν, ſeu prævia deliberatione, quia talis non dubitat: Deliberat enim qui ambigit, quid melius, & eligendum ſit: ſi non ambigit, non deliberat, ſed momento eligit, quo intelligit magis quid bonum eſſe, & eò magis eligit, quò minùs dubitat & deliberat. Nec 6. magis verum eſt, quòd *d. lib. 3. cap. 2.* ait: Τὸ ἑκούσιον, *ſpontaneum*, eſſe commune pueris & belluis; τὸ κατὰ προαίρεσιν, *electionem*, non item. Etſi enim ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον, ſenſu ſaltem pinguiore, brutis quoque tribui poſſe, non adeò repugnare velim; de pueris verò non dubitem; προαίρεσιν autem, ſeu *electionem*, in bruta ſaltem non cadere certum ſit, tamen cauſæ diſtinguendæ ſunt: Nam electio nulla eſt in brutis, quia ratio deficit; in infantibus eſt potentiâ, etſi non exercitio, quia uſu & exercitio rationis non-

dum

dum pollent; in pueris autem etiam exercitium eſt, quia rationis uſu pollent, ſed adhuc immaturo & imperfecto. Ita ſimiliter *ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον* brutis & pueris ita commune eſt, ut bruta ſequantur vel repugnent ex ſolo ductu ſenſuum: infantes itidem quidem ex ſenſuum inſtinctu, ſed ita, ut ſenſim & magis magisq; ſimul emicare incipiant ſcintillæ ac veſtigia rationis; pueri autem etiam ex ratione, licèt adhuc immaturâ; unde hi & negotia jam quædam, jure quoque valida, gerere poſſunt. §. 11. *de Inut. ſtip. & ibi. Dd.* 7. Cætera quoque, quæ *dd. loc.* diſputantur de iis quæ ex cupiditate, irâ, vel affectu, aut neceſſitate quâdam fiunt; nec non quæ de jucundo, pulchro, fœdo &c. differit, ea neq; rem expediunt, neque ubique veritati conveniunt: ut mox videbimus.

12. Illud etiam 8. prætereundum non eſt, quòd prælaudatus Philoſophus quoque diſtinguit inter *βούλησιν, προαίρεσιν, καὶ δόξην*, ſeu, inter voluntatem, electionem, & opinionem. *lib. 3. cap. 2. & lib. 2. Eudem cap. 10. & aliis locis.* De voluntate inquit: Βουλόμεθα τὸ τέλος, καὶ ὑγιαίνειν, καὶ εὖ πράττειν, καὶ εὐδαιμονεῖν. De electione autem: Προαιρούμεθα δι' ὧν ὑγιανοῦμεν. *Volumus finem, bene valere, feliciter vivere & agere &c. eligimus media.* Et quidem id ita eſt. Verùm & electio eſt finium quoque ſi plura bona propoſita ſint, perinde ut ſi plura media: & contrâ, voluntas etiam mediorum: nam & media volu-

volumus. Sive enim ex pluribus bonis, ſive ex pluribus mediis unum eligamus, electio iſta erit omnino actus voluntatis noſtræ; & quicquid eligimus, eſt id, quod nobis magis libet & majus bonum videtur, etſi non ſit. Unde opinio quoq;, quæ actus intellectûs eſt, pariter voluntatem movet ad eligendum finem & media, nec aliam ſpeciem conſtituit.

13. Ex quibus patet, in his ipſis principiis actionum humanarum, quæ ſunt baſis & principia totius diſciplinæ moralis & civilis, quàm longè à veris rationibus abeant Scholaſtici Autores Ariſtotelem ſecuti. His igitur miſſis, longè verior & ſolidior, tum quoq; multò planior & ſimplicior, ſed & ad jus decidendum longè accuratior & expeditior eſt doctrina JCtorum noſtrorum, (à quà nec alieni ſunt Plato & Stoici, nec ab his priſci Eccleſiæ Patres, ut fatetur ipſe *Fonſec. in proœm. ad Metaph. Ariſtot. cap. 5.*) qui omnes hos actus ad ipſam voluntatem referunt, atque ex hoc liquido fonte jura morumque præcepta accuratiſſimè definiunt. Hoc proinde argumentum, quod cùm in omni ſcientia civili, tum in hac, quam agimus, cauſa, maximi momenti eſt, non quidem prolixè & pro dignitate ſua perſequi nunc licet, at ſumma ejus capita paucis ſaltem, & ſupremis quaſi labris delibabimus.

14. Inprimis itaqve notandum eſt, aliud eſſe voluntatem; aliud, ejus libertatem. Voluntas

& potentiam, &, ut hoc loco, actum quoqve volendi ſignificat, & ſolius animæ eſt; libertas verò facultatem agendi id quod volumus, quæ hîc ſaltem eſt facultas corporis. *Voluntatis* voce indicatur, aliquid nobis quaſi adlubeſcere, placere, & congruum videri, etſi aliter agere non poſſimus. Verbo *libertatis* verò, facultas hoc vel aliud, prout libet, agendi. *ſup. cap. 2.* Poſſumus igitur aliquid velle, ſeu, poteſt nobis aliquid lubitum, & volitum, ſeu placitum, & gratum quoque eſſe, etſi aliter agere non poſſimus; ſeu, etſi liberum nobis non ſit aliter agere aut non agere: atque ita voluntas eſſe ſine libertate. *Vid. Diſp. Dn. Knopff. de Jure pœnit. in contr Sect. 1.* Unde primùm patet, vim & neceſſitatem obſtare libertati, quò minùs aliter agere homo poſſit; non voluntati, quò minùs id æqvè tamen ei libitum ſit. *d. Sect. 1. & ſup. c. 3.* Contrâ, error obſtat voluntati, non libertati: quia errans quoque agere, vel non agere, vel aliud agere poteſt. Actus ergo ex neceſſitate exerciti, valent ex conſenſu; ſed quat. errore quid geſtum, non item: non quòd non & hoc procedat ex voluntate noſtra, ſed quòd ex voluntate erroneâ. & ita, ut, quod opinione decepti volumus, compertâ veritate nolimus: *l. 2. princ. ff. de Judic.* & quæritur ſaltem, Utra voluntas jure ſubſiſtat?

15. Cupiditas verò, & ira, &c. nec libertati obſtant, nec voluntati: uti nec pulcrum, jucun-

cundum, vel contraria. Semper enim cauſæ hujuſmodi ſunt, quæ voluntatem movent vel ad cupiendum, ſi bona videntur, vel ad averſandum & iraſcendum, ſi adverſa. Pulcrum ergo, jucundum, utile &c. ſunt objecta quæ movent voluntatem; cupiditas autem & ira, ipſi motus ſeu affectus, quibus illa movetur, ſalvâ libertate ſeu facultate aliter agendi, ad cupiendum vel repellendum: Unde hi motus ſeu affectus ad iſta duo genera haut inſcitè Ariſtoteles pasſim refert.

16. Veruntamen, poſſunt illi motus in homine tam eſſe vehementes & validi, ut facilè vincant libertatem aliter agendi, atque ita inducant necesſitatem quandam moralem, ſeu habitum ſic agendi, & impotentiam moralem aliter agendi, ita ut moraliter impoſſibile iis ſit, aliter agere: id eſt, etſi naturâ poſſunt agere aliter, non tamen contracto habitu poſſunt velle agere aliter. Atq; ita ex habitu v. g. vitioſo, vel ſimili cauſa, innaſcitur voluntati quædam agendi necesſitas, & reſiſtit ejus libertati, ut ab eâ non minùs quàm ab alia vi majore adigi, atque ad aliquid concupiſcendum, affectuum pasſionumque impetu ac violentiâ, rapi videatur: uti, ſi extrema fames ſeu ſitis urget ad edendum vel bibendum. Idque apparet in prodigo, qui neque tempus neque modum expenſarum habere dicitur, *l. 1. princ. ff. de Cur. fur.* eoque furioſo

comparatur. *l. 6. ff. de Verb. obl. L. 40. ff. de Reg. Jur. d. l. 1. in princ.*

17. In his jam duabus cauſis, cùm vel vi aut neceſſitate quadam adacti, vel opinionis judiciive errore lapſi, aliquid volumus, duplex voluntas, & duplex ejus objectum manifeſtè diſcernitur. Aliud enim eſt, quod volumus in præſenti ſtatu neceſſitatis, vel erroris; aliud, quod vellemus in ſtatu, quo aliud liberum vel compertum foret. Prior voluntas eſt ſpecialis ſeu in exercitio, & quaſi modificata atque reſtricta ad illum caſum vel ſtatum præſentem; ſeu, ut Ariſtot. *d. lib. 3. cap. 1.* loquitur, *κατὰ τὸν καιρόν. Pro ſtatu temporis:* Altera verò generalis & regularis; quæ declaratur ex natura generis, & voto communi, quid vellemus, ſi error & neceſſitas non eſſet. Prior, (ut à Scholis verba commoda mutuemur) dici poſſet, voluntas in hypotheſi, altera in theſi.

18. Exemplis res illuſtrior in utraque cauſa: uti in priori cauſa, *metus & neceſſitatis,* cùm Princeps munimenta quædam ſua, quæ tueri imminente hoſte non poteſt, deſtruit, ne præſidio ſint hoſti; quæ aliàs, metu hoſtili ceſſante, deſtructa nollet, cùm ſint munimenta publicæ ſecuritatis. Tale quoque eſt, cùm Nauta tempeſtate coortâ merces jactat, quas alioquin jactatas nollet, quasq; vehendi & cuſtodiendi, non jactandi causâ, recepit. Vel, cùm ad mortem damnatus mavult ſponte ire ad locum judicii, quàm

quàm vi trahi vel rapi: quod perſpicua brevitate ita reddidit JCtus *in l. 21. §. fin. ff. Quod met. cauſ. Quamvis, ſi liberum eſſet, noluiſſem, tamen coactus volui.* Similiter in altera cauſa *erroris:* ut, cùm quis rem ſuam vero precio vendere putet, quod ne dimidium quidem veri precii efficit. *l. 2. C. de Reſc. vend.* Ita cùm Teſtator plurima legata reliquit, voluit utique illa integra præſtari; eam enim voluntatem ſpecialiter teſtamento expresſit: at generaliter tamen Teſtantium voluntas eſt, ut teſtamenta ſubſiſtant & exitum habeant. *l. 1. C. de SS. eccl.* Cùm igitur exhauſtâ legatis hereditate, heredes ferè ob nullùm vel minimum lucrum adire id onus nolint, *princ. de L. Falc.* quo facto teſtamentum concidit, lege Falcidia permiſſus eſt heredi quadrans totius hereditatis, ne repudiando collaberetur voluntas teſtatoris. Hinc lex illa lata dicitur teſtatorum gratiâ; *d. princ.* videl. ut voluntas eorum ultima ſuſtineatur; & tamen inducta fertur contra voluntatem teſtatoris: *l. 86. in fin. ff. ſeod. tit. Ad L. Falc.* ſcil. non contra voluntatem Teſtatorum in genere ac in theſi, quâ cupiunt teſtamenta ſua exitum habere; ſed contra eam, quæ teſtamento expreſſa eſt, in ſpecie & hypotheſi; quia hæc intelligitur erronea, & ex eâ opinione nata, quòd plus ſperant homines de facultatibus ſuis quàm in iis eſt. *l. 10. ff. Qui & à quib. man. §. 3. Qui & ex quib. cauſ.* Quod probè ita expoſuit Imp. *in Nov. 1. cap. 2. §. 2. verſ. Hac autem.* ubi ait:

Hæc autem dicimus, ubi errans teſtator de ſua ſubſtantia, hoc egit: aut fortè, cùm debuiſſet etiam ampliorem quantitatem heredi relinquere, pro minore diſpoſuit: etenim etiam hoc errantis ſententiæ eſt, & *non puræ & integræ deſignationis.* Unde ſtatim addit, ſecus eſſe, nec locum Falcidiæ fore, ſi appareat, non eſſe errorem, ſed ſeriam voluntatem: uti ſi teſtator Falcidiam quoqve prohibuit, adeoque in caſum quoqve ſufficientium bonorum pariter ita voluit & diſpoſuit. *d.* §. *2. verſ. ſi verò expresſim. & Nov. 119. c. ult. & Auth. Sed & in ea. C. Ad L. Falc.*

19. Tale quid eſt, cùm Cicero, *pro Ligar. cap. 6.* tribuit Cæſari & Pompejo, & eorum partibus in bello civili, quòd utrinque remp. ſalvam voluerint, ſed aberrârint à ſcopo: ita enim Cæſarem affatur: *Seceſſionem Tu illam exiſtimaviſti, Cæſar, initio, non bellum, non hoſtile odium, ſed civile disſidium: utrisque CUPIENTIBUS* remp. ſalvam, *ſed partim conſiliis, partim ſtudiis à communi utilitate ABERRANTIBUS.* Qui locus egregius rem omnem exponit: nam & primò votum commune omnium memorat, idque in media quoque decertatione civili ait fuiſſe *reip. ſalutem ſeu utilitatem publicam:* & deinde duas quoque cauſas illas, quas diximus, ediſſerit, quibus aberrârunt à communi iſto civium fine & voluntate, id eſt, à ſummo bono civili: ſcil. conſiliorum errores; & ſtudiorum ſeu affectuum vio-

leꝛtia

lentia: quæ ſunt duæ illæ cauſæ, quas voluntatem à recto tramite abducere diximus.

20. Hinc ergo duo præcipuè hæc certa ſunt: (1.) Non eſſe hos actus voluntarios mixtos, ſed planè ſeparatos. (2.) Aliud eſſe voluntatem, aliud libertatem. Quæ utraque diſtinctio, neglecta & confuſa, non poteſt non irretire cauſam infinitis erroribus. Eâ verò ritè expensâ & obſervatâ, atque ita causâ hâc à fonte Juris ductâ, & ad ejus amuſſim re exactâ, diſparent vel hebeſcunt omnes illæ ſpinæ ac tricæ, quibus implicita & quaſi horrere viſa fuit prædicta diſputatio. Ex hoc ergó diverticulo in viam, cujus complanandæ causâ in illud digreſſi ſumus, nunc revertimur; ſcil. ad quæſtionem de ſummo civitatis bono ſeu felicitate civili, & qualiter eam omnes velint & cupiant, etſi ipſi in contrarium moliantur.

21. Id veró facilè jam & perſpicuè ex prædictis intelligitur, diſcretâ duplici voluntate. In genere enim homines volunt & optant *εὐδαιμονεῖν*, bene beateque vivere, & proinde hujus boni comparandi facultatem, quæ eſt libertas, *cap. 4.* Atque hoc perpetuum eſt in voluntate & liberâ & rité informatâ, id eſt, cui & ſua conſtat libertas, & quæ non labitur errore ſeu falſa boni opinione. Quod ſi verò neceſſitas vel error (quæ ſunt duæ illæ cauſæ, de quibus diximus) voluntatem ab hac meta ſua abducat ut aliud tum velit, ea voluntas eſt ſpecialis &

κατ᾽ἀ

κατὰ καιρὸν, atque ad caſum alium & præſentem ſtatum ita quaſi qualificata, ut eo ceſſante aliud homo, Naturæ quoque ductu, voliturus eſſet. Cùm enim ea jam, ut omnium animantium, ita hominum demonſtrata natura ſit, quod nolint malum, quâ malum, ſed cupiant id quadam ſpecie boni, atque in id ferantur quat. bonum agnoſcunt, palam eſt, eos, quibus & perſpecta ſatis eſt ratio boni honeſti, & liberum unâ judicium, non poſſe non ejus amore ac ſtudio capi, per tradita *ſupr.* §. *5*.

22. Ex quibus primùm intelligitur, duo voluntati propoſita eſſe, quæ homines ambiunt: Unum in genere ac in theſi, perpetuò ſibi bene eſſe: Alterum, aliud quid, quod in præſenti ſtatu, & quaſi in hypotheſi, ut majus bonum eligunt, etſi vero bono, ipſique adeò ipſorum voto generali, quo eo ipſo tum excidunt, adverſetur. Deinde duas quoque cauſas eſſe, quæ homines à ſuo fine & voti communis filo ſeducunt & in avia abripiunt; ERROREM, qui voluntati; & NECESSITATEM quandam, quæ ejus libertati opponitur. *ſup.* §. *14.* & *ſqq.*

23. Pro regula ergo tenendum eſt: *Quoties voluntas deflectit aut divertit à rectâ regione*, ſcil. à ſummo bono civili, *id fieri ex prædictarum cauſarum altera: vel errore, qui judicium involvit, vel neceſſitate, quæ libertatem impedit.* De errore, cùm quis æſtimat ſibi bonum, quod non eſt, vel præfert jucundum aut utile honeſto, abunde jam dictum,

ctum, oſtenſumque eſt, quomodo, quæ errore homines quaſi bona ſectantur, ea, ſi ſcirent mala & in perniciem ſuam ceſſura, ſectari libere nollent, ſed ut vero bono ſuo & felicitati adverſa, fugerent. *conf. ſup.* §. *17. & c. 6.* Unde talis erronea voluntas non tollit voluntatem ſeu votum ſummi boni civilis, ſi libero judicio pro tali id agnoſceretur. Neque ad hanc claſſem erroris tantùm pertinet, cùm quis putat, non dari bonum naturâ honeſtum, ut Athei; vel ei præferendum eſſe bonum utile & jucundum, ut de Epicureis tradunt; ſed &, cùm homines aliter edocti erronea quærunt effugia, & aut ambigunt vel de re vel de eventibus pœnarum ac præmiorum, quæ inter Prudentes quoque diſceptari vident, & ideò certa præſentia, incertis futuris præferunt, ut jam dictum: Aut ſibi blandiuntur ſpe impunitatis, agendæ pœnitentiæ, & pœnarum remittendarum, vel deprecandarum, &c. quæ eleganti carmine breviter complectitur Claudianus *lib. 2. ad Eutrop. verſ. 50.* ubi ita canit:

Sed quàm cæcus ineſt vitiis amor! Omne futurum
Deſpicitur, ſuadentque brevem præſentia fructum,
Et ruit in vetitum damni ſecura libido,
Dum mora ſupplicii lucro, ſerumque quod inſtat
Creditur. — — —

24. De Neceſſitate verò, quæ altera cauſa eſt, vidimus, eam eſſe vel à vi extrinſecâ, quâ coacti volumus id, quod, ſi liberum eſſet, nol-

nollemus: vel intrinſecâ, v. g. ab habitu vitioſo, ſeu á tantæ cupiditatis impetu & violentia, ut ſuperare homo eam non posſit; quæ proinde & ipſa eſt quædam vis major & impotentia moralis aliter agendi. Quod non tantùm ſacræ literæ inculcant, cùm oſtendunt, homines, ex ſuâ naturâ corruptâ, eſſe mancipia peccandi, & ſervire legi peccati invitos; ſeu agere ea, quæ nolint, & non agere, quæ velint. *Rom. 7. & 8. ſup. cap. 4. §. 15.* ſed & idem eſt, quod Plato præclarè & pasſim docet; *Neminem ſpontè malum eſſe.* ut *in Protag. poſt med.* & *in Timæo. ferè circa fin.* & *de Legib. dial. 5. poſt princ. & dial. 9. circa med. &c.* Cui omnino conſentaneum eſt, quod oſtendimus *§. 16. & ſqq.* Cupiditatem & iram per ſe non facere invitos homines, ſed ſi ita invaluerint, & inſederint hominum mentibus, ut evellere illi ſtimulos eos moraliter non posſint.

25 Tale exemplum fuit in Cæſare & Pompejo, qui, etſi æqui bonique ſatis gnari, quin & ſtudioſi aliàs eſſent, tamen potentiæ & imperii cupiditatem vincere non potuere. De Cæſare tradit *Cicero lib. 3. de Offic. prope fin.* ſemper eum in ore habuiſſe Græcos verſus Euripidis; qui ſunt *in Phœniſſ. verſ. 421.*

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος περὶ
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τ᾽ ἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεών.

Quos ipſe Cicero ita vertit *d. loc.*

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratiâ
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Agno-

Agnoſcit Cæſar his verbis: *ἀδικεῖν χρή*; *jus violare oportere*: ſe & neceſſitate quadam compelli, ut regnandi causâ jus violare oporteat; &, ſe intelligere, aliud jus eſſe: nam uterque, & ipſe & Pompejus, hanc ſibi belli civilis cauſam ferebant, ut reſp. ſalva eſſet. Uti Cicero quoque, *Orat. pro Lig.* ad Cæſarem dicebat; utrumque cupiviſſe remp. ſalvam, ſed conſiliis & ſtudiis à ſcopo aberrâſſe. Et ipſi Duces, in acie Pharſalica, eam ſibi mentem eſſe, oratione militibus perſuadere annixi ſunt, apud Lucan. *lib. 7. verſ. 250. & verſ. 342.* Quin & ipſe Catilina, ejusq; populares conjurationis, non deſierunt, in ipſo furore ſceleris & parricidii, crepare oratione conſcientiam, &, in medio prope patriæ incendio, patriam, libertatem & rempubl. *apud Saluſt. de Bell. Catil. cap. 33. cap. 58. & paſſ.* Adeò ipſis conſtabat, hujus felicitatem & ſalutem omnium commune votum eſſe, nec quicquam his rebus, vel harum recordatione ſaltem, hominibus carius, aut ad movendum animos civium ac militum, ad pugnandum, atq; ad adeundum pro hoc bono civili vitæ quoq; diſcrimen, efficacius eſſe: neq; tamen vel Cæſarem vel Catilinam ejus, quod aliis perſuadere volebant, & omnibus perſuaſum eſſe ſciebant, cogitatio ipſosmet movere potuit, ut cupiditatem Imperii vincerent & à ſe profligarent.

26. Quod Imperii cupiditas potuit in Cæſarem & Catilinam (quos tamen comparatos, & Virum

cætera

divinum, ſummaque virtute, cum altero illo hominum perditisſimo, & civitatis ſuæ cœno ac buſto, in eundem cenſum relatos nolo) id aliarum rerum, ſub fuco & ſpecie boni apparentium, libido & aviditas in alios privatos ex corruptione naturæ operatur, efficitque, ne liberum iis ſit *κατὰ καιρὸν*, & in eo ſtatu, aliter velle, etſi, ſi libera voluntas, liberumque judicium eſſet, id nollent. Id enim eſt, quod non ſemel jam oſtendimus, & maximè ex ſacro Codice quoque docemur, & ipſe Beatus Apoſtolus de ſe quoque queritur, homines ex contracta naturæ labe & vitio non eſſe liberos ad bonum ſeu virtutem; ſed corruptos in pravitatem & perverſas cupiditates;

Trahit ſua quemque voluptas.

Ita ut morum ſuorum ſervi ſint & mancipia, non liberi, qui *non quod volunt*, (libero rectoque judicio uſi) *bonum, hoc faciunt; ſed quod nolunt, malum, hoc agunt: Rom. 7. v. 15.* cupiditatum ſuarum vi majore adacti, & quaſi faſcino capti ſeu vincti. Vid. *loc. ſup. cit.* Cui convenit illud:

——— *Video meliora proboque,*
Deteriora ſequor. ———

Qua de cauſa tam Ariſtoteles *Eudem. lib. 2. cap. 10. princ.* quàm B. Apoſtolus *d. c. 7. verſ. 17.* uno quaſi ore profitentur, homines tum non agere ſeu eligere ſeu operari, ſed pati. Et communiter Autores id pro furore habent, & rabiem ac furorem vocant. *Flor. Hiſt. lib. 4. cap. 2. & c. 3. Saluſt.*

Saluſt. de bell. Catilin. cap. 23. Lucan. lib. 1. verſ. 8. & paſſ. Cic. lib. 4. ad Att. ep. 3. quippe qui agendo in alios, quod libi collibitum eſt, ipſo facto mutuam idem in ſe ſtatuendi omnibus aliis facultatem faciunt; *rubr. & tot. tit. ff. Quod quisque jur.* atque ita, quod omnes voto expetunt, exemplo deſtruunt.

27. Unde planisſimè ſequitur, non poſſe hoc malum coërceri, & multò minùs ſummum illud felicitatis civilis bonum procurari, nedum obtineri, niſi hominibus in civitatem coactis. Etenim à ſingulis id neutiquam ſperari aut expectari poteſt: quia eorum à lapſu & originaria labe omnis ita vitiata & corrupta natura ac ratio, ut, quod antè fuit in actiones regnum atque imperium, ei, ut dictum eſt, cupiditatum ſucceſſerit jugum & dominatio. Ex quo, etſi adhuc verum ſit, eos velle bene beateque vivere, tamen in tantum inde perditus, efferatusque & deploratus eorum ſtatus eſt, (qualem & antediluviana tempora, & poſt diluvium Gigantea ætas exhibuit) ut non ab humanitate tantùm, ſed & à feritate deſciviſſe, & immanitate, non in feras, ſed ferarum monſtra obbrutuiſſe, Gentibus quoque viſum fuerit: quarum antiquisſimis carminibus celebrata ſunt non humani generis domicilia, ſed antra; non hominum cœtus, ſed ferarum palantium ſylvæ; quin non animantium greges, ſed monſtrorum ſtabula: inde enim eſt, quod eorum temporum Heroes

Heroës, qui feros homines ad manſuetudinem, ſocietatem, vitamque civilem, ſive vi & armis, ſive prudentiâ & ſummi boni commendatione, reduxerunt, non hominum, ſed monſtrorum domitores laudaverint.

28. Sed & hos ipſos, qui tantum beneficium in humanum genus contulerunt, quo ipſius ſummi boni felicitatiſque civilis tuendæ facultas reſtituta eſt, non id ſuo Marte, qui & ipſi primævæ illius labis, quæ in hominum naturâ & ſanguine inſedit, contagio correpti fuère, ſed divina virtute patrâſſe, Deo O. M. vices has hominũ miſerante, agnoverunt, Deumq; adeò hos Heroës, cùm armatos tum togatos, ſingulari providentiâ ac beneficio in id excitâſſe, quin produxiſſe, ut terras ab his monſtris atque immanitate purgarent ac liberarent. Quid enim aliud ſibi vult illa de Amphytruonis uxore, Alcmenâ, Herculem utero ex Jove gerente, ut terras ab hujuſmodi monſtris & immanitate purgaret, fabula, quam magno artificio contexuit *Plaut. in Amphitr.* Nec aliud ſignificat, quòd Orpheum finxerunt, ſaxa, ſylvas, & feras, id eſt, ſaxea, dura, ac fera hominum corda, cantu flexiſſe, atque ad manſuetudinem civilemque cultum cicurâſſe. *Ovid. lib. 10. Metam. fab. 2. & ſeqq.* Atque hinc divinos hos viros, ex Deo genitos dixère, idque uti de Hercule vidimus, ita & de Orpheo, ait Ovid. *d. loc. verſ. 89. Dîs genitus vates:* cui & *Rhodopëius heros* vocatur *d. lib. 10. verſ. 50.*

cui

29. Tales ergo divini & Heroici Viri illud non aliter effecerunt, quàm homines in civitates colligendo, & vel repugnantes vi armiſque ad civilem ſocietatem, quam Natura inter homines conſtituit & eſſe voluit, adigendo; vel diſciplinâ & prudentiâ alliciendo, exponentes cùm belluinæ illius vitæ incommoda & diriſſima mala, atque indignum homine ſtatum; & èc contrario hujus civilis ingentia præmia ac ſumma decora, & civitatis legibus ritè formatæ firmam ac perennem felicitatem. Nec aliter id effici potuit: cùm enim ſinguli non ſufficerent propulſandis injuriis, nec pares eſſent coërcendæ aliorum libidini, id ſolum relinquitur, ut in civitatem coacti, communique jure ſtatuto, communibus viribus & opibus ſe & jura ſua, ac rem privatam & publicam, ſummumque adeò bonum ſuum civile, tuerentur.

30. Sic igitur è ſylvis & antris, & à feritate ad manſuetudinem, à glande ad frugem revocati reductiqve homines, coaluerunt iterum in civitates, in leges, atque ita reddita ipſis fuit ſummi boni civilis parandi tuendique facultas, ipſaque adeò humanitatis, quam cum ſocietate exuerant, & libertatis, quam immanitate excuſſerant, conditio. Quæ res apud veteres dubium non habuit, quippe quam retulit fidemque ei fecit conſtans & unanimis totius antiquitatis conſenſus & conſpiratio. Atque ita pul-

pulcherrimè id deſcripſit, &, ut in re indubitata & vulgò nota, ad conſcientiam Judicũ provocavit *Cic. Orat. pro P. Sextio. poſt med.* qui locus hîc quoque ut legatur dignus eſt. *Quis veſtrum*, inquit, *Judices, ignorat, ita naturam rerum tuliſſe, ut quodam tempore homines, nondum neq; naturali neque civili jure deſcripto, fuſi per agros ac diſperſi vagarentur, tantùmque haberent, quantum manu ac viribus, per cædem ac vulnera, aut eripere aut retinere potuiſſent. Qui igitur primi virtute & conſilio conſtanti extiterunt, ii perſpecto genere humanæ docilitatis atque ingenii, diſſipatos unum in locum congregârunt, eoſque ex feritate illa ad juſtitiam atque manſuetudinem traduxerunt. Tum res communem utilitatem continentes, quas PUBLICAS appellamus, tum conventicula hominum, quæ poſtea CIVITATES nominatæ ſunt; tum domicilia conjuncta, quas URBES dicimus, invento & divino & humano jure MOENIBUS ſepſerunt. Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil tam intereſt quàm JUS & VIS: horum utro uti nolimus, altero eſt utendum. Vim volumus extingui? Jus valeat neceſſe eſt, id eſt, judicia, quibus omne jus continetur. Judicia diſplicent aut nulla ſunt? Vis dominetur neceſſe eſt. Hæc vident omnes. &c.* Idem exemplo Orphei & Amphionis docet Horat: *de Art. Poët. propè fin.* hoc inſigni carmine:

Sylveſtres homines ſacer interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.
Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,

Saxa

Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
Ducere quâ vellet. Fuit hæc Sapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis:
Concubitu prohibere vago: dare JURA maritis:
OPPIDA moliri: LEGES incidere ligno.

Et iterum Cic. *lib. 1. de Invent. inprinc.* ait: *Nam fuit quoddam tempus, cùm in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant. Nondum divinæ religiones, nondum humani officii ratio colebatur. Nemo legitimas viderat nuptias: non certos quiſquam inſpexerat liberos: non jus æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque inſcitiam cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad ſe explendam viribus corporis abutebatur, perniciofiſſimis ſatellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet Vir & ſapiens, cognovit, quæ materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas animis ineſſet hominum, ſi quis eam poſſet elicere & præcipiendo meliorem reddere: qui diſperſos homines in agris & in tectis ſylveſtribus abditos, ratione quadam compulit & congregavit, &, eos in unamquamque rem inducens utilem atque honeſtam, primò propter inſolentiam reclamantes, deinde propter rationem & orationem ſtudioſiùs audientes, ex feris & immanibus mites reddidit & manſuetos.* Et mox: *Age verò, urbibus conſtitutis, ut fidem colere, & juſtitiam retinere diſcerent, & aliis parére ſuâ voluntate conſueſcerent. &c.* Quorum ſummam ipſe quoque exhibet *lib. 1. de Orat. poſt princ.* ubi ait: *Quæ vis alia potuit aut diſper-*

diſperſos homines unum in locum congregare, aut à fera agreſtique vitâ ad hunc humanum cultum civilemque deducere, aut, jam conſtitutis CIVITATIBUS, LEGES, JUDICIA, JURA, deſcribere. At omnium præclariſſimè divinus Plato *in Protag. poſt princ.* rem fabulâ ita depingit: *Homines, antè quàm ars civilis cœlo miſſa eſſet, miſerrimos fuiſſe, & neque ſegregatos vivere potuiſſe, quin paſſim laniarentur à feris; neque congregatos, quin lacerarentur à ſe invicem. Sed Jovem noſtri miſertum miſſo Mercurio, juſſiſſe, ut ſuo nomine legem condat, cujus contemtor, tanquam peſtis civitatis morte puniretur. Itaque ſalutem nobis, quam cunctæ ſimul artes præſtare non potuerunt, ſolam tandem juſtitiam præſtitiſſe.* Conf. *Marſil. Ficin. in argum. ad Protag.* Vid. plura *apud Natal. in Mythol. lib. 7. cap. 14.* Nec abſimilia his ſunt, quæ de hac feritate hominum ſacra habet hiſtoria. *Gen. 4. 6. & 11. Joſeph. Antiq. lib. 1. cap. 3. 5. & 6.*

30. Idem confirmat vetus illa de Cerere thesmophorâ, ſeu legislatrice, fabula, quam hæc ipſa humani ſtatus à feritate ad manſuetudinem converſio peperit. Eâ enim, uti ab immanitate ſuâ Mortalium genus ad cultum vitæ ſocialis ac civilis, legumque obedientiam; ita à victu ferino & ſpontè nato, ad humanum & culturâ & operâ quærendum, denuò traductum eſt, &, ut *Virg. lib. 1. Georg. verſ. 8.* cecinit,

Chaoniam pingui glandem mutavit ariſtâ.

Quod tantum beneficium producendarum frugum

gum homines ita admirati ſunt, ut eam facultatem, more ſuo, ſub nomine *Cereris*, pro Numine coluerint; *Virg. d. lib. 1. verſ. 147.* eamque *Theſmophoram*, & ſacra ipſius *theſmophoria* dixerint: quia factum id fuit hominibus é ſylvis in civitates coactis, atq; adeò â vagis libidinibus ad Juris juſtitiæque cultum manſuefactis, ut jam non, quicquid cuique obvium fuit, ut antè, capere aut rapere poſſent, ſed cuilibet, quod ſuum, ſuave operâ, culturâ, atque induſtriâ, quæſitum fuerat, lege tutum eſſet. Unde & Cereri filiam dederunt Proſerpinam, quaſi à proſerpendo, (ſive derivatione vocis, ſive alluſione) dictam; id eſt, fruges ipſas, quòd quaſi proſerperent é ſinu terræ. Hinc & filiam hanc Cereris diu perditam, & hominibus, quippe qui tum non niſi ferarum victu & ſpontè natis vivebant, ereptam, apud Plutonem, per quem vim ac naturam terræ repræſentârunt, habitâſſe ferunt. Hinc denique repertam iterum, &, Jovis beneficio, ea lege reductam ajunt, ut ſex menſibus, hiemis, apud Plutonem, maritum; ſex aliis apud Cererem, matrem, degeret; quia hieme fruges in viſceribus terræ deliteſcunt; æſtate autem inde proveniunt. Vid. *Nat. Comit. d. tract. lib. 2. c. 10. lib. 3. c. 16.* Cicer. *Orat. Verrin. 4. verſus fin. Plin. l. 7. c. 56.* Quæ ambages, etſi fabularum velis involutæ, conſervant tamen geminæ rei, geminæque conditionis humanæ, memoriam, & cùm triſtisſimam & deploratisſimam

miſerrimi & abominabilis illius ſtatus, quo homines, divinam imaginem gerentes, extra civitatem, citra leges, diſſipati, vagi, diſſoluti, cum feris, & more ferarum vixerunt; tum lætiſſimam, omnique feſtivitatum celebritate ac pietate ſemper colendam, illorum temporum, quibus auſpicatiſſimo conſilio ad manſuetudinem, ad ſocietatem ſeu civitates, ad leges, quin ad humanitatem reducti, à feritate & furore reſipuerunt.

31. Unde eſt, qvòd omnes ferè populi, antiquitatis rerumque geſtarum famâ clari, aut ambitione ſtudioqve ducti, memorent aliquem virum magnum, civitatis ſuæ Autorem ac Parentem, cujus memoriam carminibus & feſtivitatibus celebrant. Quin habent ſuum pleræqve gentes antiquæ Herculem, aut Heroëm, civitatis ſuæ fundatorem, quem pro Deo colebant. Ex quo tot Hercules enati vel efficti ſunt, ut nec numerum inire Autores poſſint. Qua de re Pighius, *autor Herculis Prodicii, in præf. d. tract.* quædam non indocta retulit. Quò & pertinet celebris ille Socratis, vel Protagoræ apologus, quem Xenophon recenſet, *lib. 2. de Dict. & fact. Socr. de Hercule jam pubeſcente, cui duæ mulieres obviam factæ, Voluptas & Virtus, unâ certârunt, illa, ut fucatis formæ & ornatûs illecebris; hæc, ut nativâ præſtantiâ ſuæ luce ac gloriâ Eum ad ſe traherent.* Hanc verò ille admiratus & ſecutus, divina virtute & operibus ſuis cœlo recipi meruit.

ruit. Satis verò conſtat, Græcos, fabularum ambagibus lætos, uni ſuo Herculi Alcidi reliqvorum qvoqve præclara facinora affinxiſſe, eumqve non ſuis tantùm ſed & cæterorum laudibus ornâſſe.

32. Quod itaque ſummi civilis boni conſtans ſtudium à ſingulis, ob duas illas cauſas, judicii errorem & affectuum pravitatem, §. 23. *& ſeqq* extra ſocietatem fruſtra expectabatur, id civitatibus conſtitutis ac legum præſidio munitis, auſpicatò effectum eſt; hominibus in eas vel communi voto, voluntate, ac conſilio coëuntibus; vel ſummorum Virorum virtute, prudentiâ, & vel diſciplinâ vel vi ac fortitudine coactis. Vid. §. 25. *& ſeqq.* Nam & homines ipſi, cùm intelligunt, aut rebus experiuntur, ſtatus ſui extra ſocietatem civilem conſtituti, nec legum præſidiis defenſi, miſerias, mala & pericula, naturæ. & rationis inſtinctu generali ad remedia, quibus ſecuritas ac ſolida felicitas oſten tatur, confugiunt, & ſecuri ac felices eſſe voto communi cupiunt; adeò ut, ſi privatus in genere & quaſi in theſi ac haut ſimulatè, nollet eſſe felix, non ea vox & voluntas hominis, & *κατὰ φύσιν*, ſeu, ſecundùm naturam, videri poſſet, ſed vera amentia; neq; ſanæ mentis intentio, ſed certum deliræ argumentum.

33. In civitate verò hoc minùs tale quid metui aut accidere poſſet, quia ibi non quæritur, quæ ſit unius aut alterius, ſed quæ ſit communis

Civium mens & commune votum, quod in genere aliud eſſe non poteſt, quàm ut illa maximè floreat, eique bene ſit; cùm omnes ſanæ mentis cives ſciant, publica felicitate omnium & ſingulorum ſalutem contineri; quam omnes, Naturâ ita ferente & ſtimulante, velle & concupere, votique ſummam conficere, jam ſæpius oſtendimus: præſertim, cùm omnes intelligant, in publica calamitate & rerum vaſtitate, neminem quoque eorum, quod ſibi lubet agere, ſuisque cupiditatibus vacare poſſe. Neque verò cauſæ iſtæ, quæ ſingulos homines, ſanæ mentis quoque, ſæpe in transverſum rapiunt, non ut in theſi nolint eſſe felices, ſed ut in hypotheſi, pravitate animi vel errore judicii, in vitia propendeant, totam civitatem pari furore impellent, ejusque judicium de felicitate publica adeò evertent, aut occæcabunt, ut ejus loco id velint aut eligant, quod patriam ſuam in præceps dare, quod liberis, conjugibus, amicis, neceſſariis, iisque, quæ homines carisſima habent, exitium vel perniciem arceſſere; quod denique divinæ indignationis vindictam, quæ, ex quo maturuit, ſemper cauſa fuit everſarum civitatum, concitare posſit.

34. Inter omnes igitur in confeſſo eſt, Civitates juſtitiæ cauſâ eſſe inſtitutas, nec aliter coire potuiſſe. Id populi Romani Autor Romulus ſenſit, *teſte Liv. lib. 1. cap. 8.* ubi ait: *Eum, vocatâ ad concilium multitudine, quæ coaleſcere in unius populi*

puli corpus nullà re, præterquàm legibus, poterat, jura dediſſe. Idem inter alios, & in primis urget Cicero *lib. 2. de Offic. prop. fin.* ubi ait: *Hanc ob cauſam, maxime ut ſua tenerentur, reſpublicæ civitatesque conſtitutæ ſunt. Nam, etſi duce Naturâ congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant.* Et paulò pòſt: *Id enim eſt proprium (ut ſupra dixi) civitatis atque urbis, ut ſit libera & non ſollicita ſuæ rei cuique cuſtodia.* Ac luculentiùs in divino illo fragmento, quod ſomnium Scipionis vocatur; ubi Scipio Africanus major, Scipionem minorem, nepotem ſuum adoptivum, ita per ſomnium allocutus dicitur: *Sed quò ſis, Africane, alacrior ad tutandam remp. ſic habeto. Omnibus, qui patriam conſervârint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cœlo & definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. Nihil eſt enim illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quàm concilia cœtusque hominum JURE ſociati, quæ CIVITATES appellantur. Harum Rectores HINC profecti, HUC revertentur.* Xenophon quoque, Vir & Pace & bello clariſſimus, *lib. 4. in med. de Fact. & dict. Socr.* verbis Socratis ait: πόλις, ἐν ῇ μάλιςα οἱ πολῖται τοῖς νόμοις πείθονται, ἐν εἰρήνῃ τε ἄριςα διάγει, καὶ ἐν πολέμῳ ἀνυπόςατός ἐςιν. *Civitas, in qua maximè Cives legibus parent, & in pace feliciſſima, & in bello invicta eſt.* Sed & Pindarus, hunc geminum civitatis legitimæ, ſeu reipubl. ſtatum, Εὐνομίαν, *ſeu optimam legislationem* vocat; & *Olympic.*

ol.

od. 13. in princ. civitatem Corinthi, ac Xenophontem, civem ejus, Victorem in Stadio Olympico, laudans, blanda modulatione ita canit:

Ἐν τᾷδ' εὐνομία ναίει, κασιγνη-ταίτε βάθρον
πολίων,
Ἀσφαλὴς δίκα, καὶ ὁμό--τροπος εἰράνα, ταμίαι
Ἀνδράσι πλούτου, χρύσεαι---παῖδες εὐβούλου
Θέμιτος.

In hac (urbe) *habitat recta legiſlatio, ejusque germanæ ſorores,*
Secura juſtitia, & uniformis pax: diſpenſantes
Hominibus divitias, aureæ filiæ Themidis bene conſulentis.

35. Cùm igitur tantùm numen ſit in hoc ſummo civitatum ac populorum bono civili, quod in juſtitiæ, ſeu æqui bonique tutela conſiſtit, curatores & Moderatores ei tuendo & regendo dari neceſſe fuit; cùm vulgus populi tantæ rei non ſufficiat. Eſt enim res omnium longè difficillima & ars artium, rectè remp. Regere, ut Cicero quoqve docet, *lib. 2. ad Attic. ep. pen.* & oſtenſum eſt, §. *3.* & *ſeqq.* & *in præf.* §. *7.* Ejus enim figuram Veteres eſſe voluerunt Solis currum, quem, cùm imperitus & ferox ac temerarius Juvenis ejus habenas ſuſciperet, evertiſſe & orbem incendio vaſtâſſe fingitur; cùm hujus boni procuratio vix Prudentisſimorum & fortisſimorum hominum ſumma virtute, conſiliis, laboribus ac vigiliis dextrê ſatis explicari posſit.

Unde

Unde & populus, cum ſuarum eam rem virium non eſſe intelligeret, facilè ceſſit, & cedi oportuit poteſtate hac peritis Moderatoribus ſeu Regibus, ea ſpe, eóque voto, ita rectiùs conſultum, & quàm optimè proſpectum iri huic bono, quo voti ſui felicitatisque ſumma abſolvitur. Hinc unicè propter juſtitiam neceſſarium fuiſſe Magiſtratum arguit JCtus *in l. 2. §. 13. ff. de Or. Jur.* &, *Quantum eſt*, in quit, *jus in civitate eſſe, niſi ſint qui jura regere posſint?* Quod & Heſiodus cecinit in *Theog. v. 88.* & eodem ſenſu Cicero *l. 2. de Offic. poſt princ.* ex Herodoto ita expresſit: ***Servandæ juſtitiæ causâ videntur olim bene morati Reges conſtituti.*** Et mox: ***Eadem conſtituendarum legum fuit cauſa, quæ Regum.*** Hinc ſolâ juſtitiâ differre regna & latronum Collegia, Theodericus Rex Gothorum (qui & ipſe juſtitiæ tenacisſimus laudatur à Procop. *de Bell. Goth. lib. 1. princ.*) literis ad plures Reges datis, ſcripſit, quas legiſſe ſe in bibliotheca Bavarica ait ***Aventin. lib. 3. f. 144.*** Idem Henricus I. Imp. coram ad Ducem Bavariæ dixit: ***Arent. lib. 4. fol. 292.*** Quæ & ex jam traditis manifeſta ſunt.

36. Hujus ergo boni civilis ſubjectũ eſt totum corpus civitatis liberæ, conſtans capite & membris, ſeu magiſtratu & civibus. Quemadmodum è contrario idem illud bonum felicitatis civilis unicè finis & objectum eſt civitatis liberæ, collectæ ex capite & membris; & bonum adeò publicum ac proprium cujusque civitatis, ac conſequenter votum commune omnium; ejusque

boni publici proſequendi facultas, libertas publica. Cujus duo capita ſunt, ut ex ſuperioribus conſtat. 1. Facultas publica agendi quod libet, id eſt, procurandæ felicitatis omnium publicæ: id enim eſt, quod Naturæ ductu omnibus & ſingulis libet. 2. Legum ac Juris cuſtodia: nam intra hos Juris limites conſiſtit demum omnis libertas, ſeu veri boni ac felicitatis æſtimatio. *ſup. cap. 3.* Prius commune eſt toti civitati liberæ, cùm civibus tum Magiſtratui: alterum verò Magiſtratùs proprium. Omnes illud percipiunt, Magiſtratus etiam tuetur: atque ita publicum hoc bonum eſt omnium commune; ejus cura, cuſtodia & tutela magiſtratui propria ac peculiaris; & conſiſtit in Imperio & legislatoria poteſtate, quà & ita coërcetur civium libertas, ne ipſam libertatem, id eſt leges, excedat, & ultra eam ferociat: & ex adverſo ita civitas firmatur legibus & Imperio, ut bonum ejus publicum, quod communi omnium voto continetur, & norma libertatis eſt, quàm optimè procurari & promoveri queat.

37. Ex quo intelligitur, Magiſtratus & civium rationes in republ. ita inſeparabiliter connexas eſſe, ut divelli ab invicem, bono publico indivulſo, nequeant. Nam & potentia atque autoritas magiſtratus pendet à robore & ubertate civitatis, & hujus, bonique publici conſervatio, à gubernatione & virtute Magiſtratus. Neq; poteſt Magiſtratus gloriâ, autoritate, opibus &c.

diu

diu florere, niſi & reſp. nec hæc ſine illo. Unde nec jure, nec facto ipſo ſeparari magis poſſunt, aut dividi, quàm relatorum uno ſublato alterum ſalvum eſſe: Cùm enim & Magiſtratus naturâ conſtitutus ſit, hujus boni publici ſtator & cuſtos; civitas verò hoc bonum commune, ut voti ſui ſummam illius judicio, & quaſi in ejus ſinum commiſerit, non poteſt iis diſtractis atque divulſis illud integrum validumque manere, nec fieri, quin alterius calamitas contagione alterum quoque corripiat; quo facto totum corpus civitatis communi incendio conflagrare, ſeu, ut Saluſtius ait; remp. in medio poſitam dilacerari neceſſe eſt.

38. Ut igitur bonum publicum unicè regulam dat libertati, quia eſt id, quod omnibus publicè intra fines æqui boniq; libet, ita id unicè propoſitum eſt Rectori civitatis liberæ. Atqve adeò ad hujus libertatis regulam exprimitur juſtæ ac genuinæ reip. vera & naturalis imago: quæ duo illa libertatis publicæ capita, (de quibus §. 34.) gubernatori ejus propoſita exhibet, ſcil. bonum commune, quod eſt publica ſalus, & εὐδαιμονία; & inviolata legum cuſtodia, ſine qua nulla ſalus aut felicitas ſolida aut intelligi aut radices agere poteſt: Unde eas *propugnacula reip.* & *muros tranquillitatis atque otii* dixit Cicer. *Orat in Piſon. poſt princ.*

39. Atque in id conſenſere Gentes. Laudatur hanc in rem inprimis aureum illud Platonis,

nis, *de Republ. dial. 1. & paſſ.* quod Cicero in compendium contraxit, &, *lib. 8. ad Attic. ep. 11.* Scipione pariter interprete, ita expreſſit: *Ut Gubernatori navis curſus ſecundus; Medico ſalus; Imperatori victoria; ſic Moderatori reip. beata Civium vita propoſita eſt: ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit. Hujus operis, maximi inter homines atque optimi, illum eſſe effectorem volo.* Quod idem pluribus repetit Cicero, *lib. 1. de Offic.* §. *Omninò, qui reip. profuturi ſunt:* ubi primùm ex ſententia Platonis requirit, ut Moderatores *remp. ad utilitatem Univerſorum Civium gerant;* & deinde addit; *ut omnino juſtitiæ & honeſtati adhæreſcant.*

39. Hæc igitur Prudentiæ Legislatoriæ & Autonomicæ ſumma eſt; hoc principium, & prima regula; &, ut Cicero *d. epiſt. 11.* vocat, σκοπός, qui ſummo illi reip. Moderatori ſemper & unicè ob oculos eſſe debet: id ipſum denique, quod hoc vulgato verborum compendio ſignificari ſolet: *Salus populi ſuprema lex eſto.* Quæ eſt ipſa libertatis publicæ formula: quippe qvæ nihil aliud eſt, quàm facultas illa agendi quod ſibi libet: *cap. 2.* libet autem, Naturâ duce, quod ſibi bonum & ſaluti, ſeu é re ſua publica videtur: præterqvam ſi quid legibus Naturæ prohibitum, quibus ſolis populus liber tenetur, & de reliquis ſuo arbitrio diſponit, ſibique ipſe leges vi libertatis ſuæ publicæ facit, prout ſibi ac ſuæ civitati, pro illius genio & forma, bonum & ſa-

ſalutare judicat: nec intereſt, ipſe id dijudicet, an judicium de eo aliis, ut ſuis & boni ſui publici Curatoribus commiſerit, quia in horum gremio tum curam ſui boni ſuæque ſalutis quaſi deponunt. Uti populus Romanus, vel Senatus quoque, quoties publica res in diſcrimen adducta, aut ſecuritas ejus laborare viſa eſt, hoc graviſſimi carminis edicto rem labantem Conſulibus ſuis ſeu Magiſtratibus commendârunt. *Operam darent, ne quid reſp. detrimenti caperet.* De quo *Saluſt. in Catil. c. 29.*

CAP. VIII.

De triplici diſcrimine civitatum in genere, quæ de ſummo bono civili participant mediatè vel immediatè.

SUMMARIA.

1. *Diſcrimen triplex Civitatum ex jure Gentium demonſtratur ſequentibus propoſitionibus.*
2. *Homines, naturâ liberos, coiviſſe in Civitates ſummi boni civilis tuendi cauſâ.*
3. *Eos hoc facto conſtituiſſe unum corpus Civitatis conſtans Magiſtratu & civibus, & horum rationes inſeparabiles eſſe.*

3. Hos

4. Hos eſſe iſtius civitatis membra immediata.

5. Hoc totum corpus civitatis eſſe publicè liberum.

6. Hinc ſummum ejus bonum civile ex omnium voto æſtimari.

7. Civitatē liberam bello victam fieri membrum immediatum Civitatis victricis.

8. Eam deſinere eſſe publicè liberam, ſingulos non niſi bello captos.

9. Hinc non poſſe eam ſtatuere de ſuo bono publico, ſed ſequi arbitrium Victoris.

10. Victores ita leges ferre, ut principaliter ſuæ civitati liberæ, deinde ut & victis & toti corpori conſulant.

11. Populum victum non eſſe conſortem Jurium Imperii & Comitiorum victoris.

12. Reſtitutâ victis libertate publicâ ſeu Autonomiâ, duas eſſe civitates liberas in unum corpus compactas.

13. Victam tum ſuo jure Imperii & Comitiorum uti in ſua civitate.

14. Nec Victorem eam poteſtatem impedire poſſe.

15. At in ſuperiore civitate iis uti non poſſe.

16. Hinc concluditur hanc Civitatem non eſſe jure Gentium membrum immediatum ſuperioris, ſed mediatum.

17. Illam ſuum bonum publicum peculiare ſuis legibus immediatè tueri, de ſuperioris vero bono publico mediatè participare, ejusq; legibus mediatè parére.

18. Hinc infertur diſcrimen trium Civitatum ex jure Gentium introductum.

19. Hæc obtinere in arbitra-

trariis: jus Naturæ immotum, & ejus ratione parem omnium conditionem eſſe.

§. I

Demonſtrato jam civitatum ſummo bono civili ejusque rationibus excusſis; evicto quoque, hujus boni publici ſubjectum eſſe totum corpus civitatis liberæ, *ſup. cap. 6.* §. 36. conſtans civibus & Magiſtratibus, horumq; rationes inſeparabiles eſſe; *d. c. 6.* § 37. ſequitur nunc, ut pariter demonſtretur propoſitum jam *cap. 2.* diſcrimen civitatum, quæ de hoc bono publico mediatè vel immediatè participant, vel alterius civitatis bonum publicum ac leges ſequuntur; & quid pro varia earum forma juris ſit. Quam in rem ſequentes propoſitiones, quaſi conſectaria quædam eorum quæ diximus, præmittere viſum fuit.

2. Homines, naturâ liberi, in civitates coiverunt juris & boni publici ſeu communis curandi & tuendi causâ.

Dicimus, homines liberos fuiſſe qui in civitatem initio coierunt, quia omnes homines naturâ liberi; nec, qui non ſunt liberi, de ſuo bono, & quod ſibi libet, ſtatuere poſſunt. *ſup. c. 6.* §. *1.* Civitates autem

autem juſtitiæ defendendæ cauſâ inſtitutas fuiſſe, expoſitum eſt *ſup. cap. 7. §. 34. & ſeqq.*

3. Qui ita coivêre, conſtituerunt unum corpus civitatis, conſtans Civibus & Magiſtratu.

Corpus enim ſeu Collegium nihil aliud eſt quàm Univerſitas illa, quæ ex ſingulis in unum collectis conſtat, & congregata eſt ob bonum aliquod omnibus commune: Non poſſe autem eſſe civitatem absque Magiſtratu, nec eorum rationes ab invicem ſeparari, patet ex iis quæ modò allegavimus §. *1.*

4. Magiſtratus ergo & cives ita in unum corpus civitatis collecti, ſunt immediata illius membra.

Quia corpus hoc ex capite & cæteris membris immediatè compoſitum eſt; neque id aliud quid eſt, quàm totum illud, quod ex his, quaſi membris, conſtat & congregatum eſt. *per.* §. *3. Conf. cap. ſeq.*

5. Hoc totum corpus civitatis eſt publicè liberum.

Cùm ex hominibus liberis conflatum illud ſit, non poteſt totum non eſſe liberum, ita ut, quemadmodum ſinguli, vi libertatis ſuæ privatæ, agere poſſunt quod ſibi privatim bonum videtur, eoque privatim libet, ita omnes ſimul, vi libertatis communis ſeu publicæ, quod omnibus conjunctim ſeu toti populo, bonum videtur, &

& adeò collibitum eſt: at utroqve intra legum, ſeu æqui bonique cancellos. *Conf. cap. 2. & ſeqq.*

6. Hinc & ſummum illud bonum civile omnibus illis commune eſt, & ex omnium voto æſtimatur.

Sequitur illud ex rationibus libertatis publicæ, quæ eſt facultas agendi quod libet populo libero; libet autem, naturali ſtudio, florentem beatamque eſſe civitatem: eumque ſcopum Magiſtratui, cujus curæ, fidei, ac judicio votum commune civitatis commiſſum eſt, unicè propoſitum, eamque ſupremam legem eſſe, vidimus *cap. 7. §. 39. & ſeqq.* Atque hanc eſſe formam naturalem civitatis & reip. liberæ, fuſiùs explicabitur *cap. ſeqq.*

7. Civitas autem bello ab alio populo libero victa, fit immediatum membrum civitatis victricis.

Notiſſimum eſt, jure gentium victos tranſire in poteſtatem Victoris, hujusque imperio immediatè ſubjici; atque adeò uniri & coalescere cum eo in unum corpus civitatis. Fit igitur victa armis civitas jure victoriæ pars immediata civitatis ſuperioris.

8. Sed definit eſſe publicè libera: ſinguli non item, niſi bello capti.

K Hoc

Hoc quoque inter omnes conſtat, omne imperium populi victi, eodem jure victoriæ & gentium, transferri in Victorem, & hujus imperio ſubjici, quod privationem publicæ libertatis inferre, & publicam quandam ſervitutem indigitare, omnes fatentur, & juris vulgatisſimi eſt. *l. 4. §. 1. ff. de ſtat. hom.* At ſingulorum jura & privata libertas integra manent jure quoq; gentiū: quia in momento, quo Victor ultimâ victoriâ, vel deditione, in poteſtatem victos redegit, deſinit, bello jam finito, eſſe hoſtis, & fit Magiſtratus, qui ſubditos eorumq; jura tueri debet, non perdere aut ſpoliare. *Vid. c. 13. §. 5.* Cæterùm ſingulos bello captos fieri ſervos hoſtium, neminem fugit. §. *4. de jur. perſ. & princ. de Libertin.*

9. Hinc civitas victa nec ſuis legibus, Magiſtratibus, judiciis utitur; nec de ſuo bono publico ſtatuere ipſa poteſt, ſed ſequitur arbitrium Victoris.

Non magis hoc quoqve in dubitationem cuiquam venire poteſt, & ſequitur, *ex* §. *8.* Agere enim, & legem dicere uti ſibi libet, adeóqve ut ſibi bonum videtur, proprium eſt libertatis. Publica autem libertas, quæ eſt facultas illa boni ſui publici ſuo arbitrio & libitu procurandi, ſuisqve legibus ſtabiliendi, civitati victæ jure belli ablata eſt, & Victori ceſſit. Non poteſt igitur populus, qui liber non eſt, leges de re ſua, ſeu

ſeu de bono ſuo communi facere; ſed & leges, & magiſtratus, & judicia accipit à Superiore: Nec ſalutem ſuam ac felicitatem ſuo arbitrio metitur, ſed obſequitur judicio Victoris.

10. Victoris tamen eſt, ita leges ferre, ut principaliter quidem ſuæ civitati liberæ, at deinde etiam victis, atque hoc adeò ordine toti univerſitati, conſultum atque proſpectum ſit.

Certum eſt, Victoris populi ſummopere quoque intereſſe, ut & civitates bello victæ ſibique ſubjectæ opibus ac viribus valeant; quin utrinque expedit, utramqve quàm optimé florere, & alteram alteri præſidio eſſe. Legislator igitur ille, ſeu liberæ civitatis Magiſtratus, omnibus lege latâ proſpicit; at non omnium causâ, ſed ſuâ: atque id agit, ut bonum totius Univerſitatis (quâ & victores & victi continentur) commune, ſed ut ſuum, & ſuæ civitatis liberæ bonum, non ut omnium commune (i. quia id ſibi publicè, non quia victis, etſi & his, expedit) protegat. Perſpicuè enim ex traditis intelligitur, facultatem ſumi & civilis boni publici procurandi, quæ eſt ipſa libertas publica, non competere populo armis victo, ſed libero ſeu victori; illum autem naturaliter cupere quod ſibi ac civitati ſuæ liberæ bonum & ſalutiferum videtur. Unde efficitur, illum reliquarum civitatum, ſuæ ſubjectarum, felicitatem non niſi ut ſuum ac ſuæ civi-

civitatis bonum reſpicere, atqve illas proinde de eo participare, non ex ſuâ, ſed Victoris ſententiâ & arbitrio: Ille enim, uti legitimus totius Univerſitatis Moderator ſeu Magiſtratus, bonum quidem omnium curat & adminiſtrat, ſed prout é re & voto populi victoris & liberi; non prout é re & voto omnium viſum eſt: atq; adeò illius bonū principaliter tuetur, & ſecundariò reliquorum. Ita P. R. provinciarum & Sociorum ſalutem æqvè ac ſuam tutatus eſt, ſed ſui cauſâ. Quod argumentum præclarè exeqvitur Cicero *pro L. Manil.* ubi *cap. 2.* ait: *Agitur ſalus ſociorum atque amicorum, pro quâ multa Majores veſtri magna & gravia bella gſſerunt.* Et *cap. 6. Propter Socios,* inquit, *Majores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſerunt &c.* at ſuâ cauſâ id factum, propter vectigalia, bonum populi regnantis: ita enim *d. c. 6.* pergit: *Hæc vobis Provincia, Quirites, ſi & belli utilitatem & Pacis dignitatem ſuſtinere vultis, non modò à calamitate, ſed & à metu calamitatis eſt defendenda.* & mox: *Putatisne, Vos illis rebus frui poſſe, niſi eos, qui vobis fructuoſi ſunt, conſervaveritis?* Et ita paſſim. Sic ergo populus victor tuetur ſalutem victi ob ſuum bonum.

11. Non verò civitas victa communicat de actibus ſeu Juribus Imperii, & quæ inde dependent.

Etſi enim bonum publicum ei quoq; pro ſit, non tamen & imperium commune eſt: quia illud jure Gentium & ex lege victoriæ translatum eſt in jus

jus Victoris. Neque verò libertas publica quicquam aliud eſt, quàm ſummum illud imperium, ſeu facultas illa publica populi de re ſua publica, ut ſibi libet, ſtatuendi, & leges de ea ſuo arbitratu ferendi; quæ tota per victoriam victis ablata & victori bello quæſita eſt. Unde civitas victa nec ſuo arbitratu leges condere; nec ſuos ſib magiſtratus eligere; nec judicia ſuo lubitu inſtituere vel exercere poteſt; nec juris Comitiorum particeps eſt; ſed commodis & beneficiis, communiqve jure, pace, & ſecuritate, pariter utitur; hat davon Schutz und Schirm / Fried und Recht; &c. ita ut & victi ſub juſto & bono victore beatè ac feliciter vitam agere posſint.

12. Cùm verò civitati victæ illa libertas publica, ſeu αὐτονομία, reſtituitur, duæ ſunt civitates liberæ in unum corpus conjunctæ:

Etſi utriusque civitatis non eadem libertatis conditio, idemque gradus ſit: altera enim ſuperior eſt & cum ſumma Imperii poteſtate ſeu in ſummo libertatis faſtigio; altera inferior, quæ alterius Majeſtatem comiter agnoſcit & reveretur: quæ formula diſtinguebat populos & reges à populo Romano armis ſubactos, ſed libertati ſeu avtonomiæ ſuæ reſtitutos, à reliquis victis. *cap. 14. & ſq.* Utraq; tamen in unum reip. corpus conſpirat, etſi ſeparatas altera ab alterâ Im-

 perii

perii rationes habeat, & victa victrici ſubjecta ſit.

13. Hinc inferior hæc ſeu victa civitas ſuis jam legibus, Magiſtratibus, ac judiciis utitur, & ipſa boni ſui publici peculiaris curam habet, adeoque & proprio jure Comitiorum gaudet.

Hæc omnia enim conſectaria ſunt libertatis publicæ, ſeu autonomiæ ei reſtitutæ: quia eſt facultas publicè agendi quod ſibi libet: *ſup. cap. 2.* quâ proinde continetur poteſtas populi libera leges, prout é ſua re viſum fuerit, ſtatuendi, & ſuæ civitatis bonum publicum, prout ipſe id maximè ſibi bonum, ac ſalutare, & ex voto ſuo eſſe arbitratur: ſive per ſe, ſive per alios, ſcil. Magiſtratus, quibus curam ejus; & judicia, quibus executionem legum committit, tuendi vel adminiſtrandi. Quæ ex hactenus dictis plana jam ſunt.

14. Hanc poteſtatem Victor vel Civitas ſuperior impedire non poteſt, niſi quid ſtatuatur in illius, vel totius univerſitatis ſeu corporis, detrimentum.

Quæ inter Principes vel populos pacto vel fœdere concluſa ſunt, ſanctè ſervanda eſſe non dubitatur. Verùm ſemper excipi ſalutem ſummi

mi Imperii ac totius reip. non minùs in confeſſo eſt.

15. Nec hæc civitas conſors eſt Juris Comitiorum in ſuperiore Civitate; ſed ſeorſim illa exercet in ſua.

Dictum jam eſt, duas eſſe civitates liberas, & ſuam adeò cuique publicam libertatem propriam & peculiarem. Quæ cùm nihil aliud ſit quàm ipſum civitatis imperium liberum, ſequitur, quemadmodum utriusque libertas publica non eſt confuſa, ſed diſtincta, ita etiam Imperii jura & rationes non confuſas ſed ſeparatas eſſe; adeoq; ſuas cuique leges, ſuos Magiſtratus, judicia, atqve ſic propria cuiqve Comitiorum jura. Neque verò conceſſâ illi ſuæ civitatis autonomiâ, coadæquata illa eſt ſuperiori civitati ejusqve ſummi Imperii juribus, ſed é contrario ei ſubjecta; quæ proinde nihil participat de ſummi Imperii Juribus, Comitiis &c.

16. Hinc conſtat, hanc civitatem non eſſe partem ſeu membrum immediatum civitatis ſuperioris, ſed mediatum.

Ex deductis enim patet, omnibus imperii & libertatis publicæ juribus & rationibus eam à ſuperiore ſeparatam, & legibus, judiciis, Magiſtratibus, Comitiis, totaqve autonomiâ aliam & inde diſtinctam eſſe. Non igitur hoc peculiare Imperii & civitatis corpus immediata

pars eſt Imperii & civitatis ſuperioris, ſed inde diviſa; atqve ita mediatè illius poteſtatem ſuperiorem Majeſtatemqve colit, veneratur, & obſervat.

17. Unde & inferior civitas ſuum quoqve bonum publicum peculiariter procurat, ſuisque illud legibus immediatè tuetur; de bono autem publico ſuperioris mediatè participat, legibusqve ejus mediatè ſubjecta eſt.

Conſequens id planè eſt eorum, quæ præmiſſa ſunt. Victor itaqve, vel poteſtas ſuperior, hoc quoque caſu, pro ſua libertate ſumma, ſpectat, & ex ſuo voto diſpenſat bonum omnium commune, ſed ut ſuum bonum: quia ſuâ intereſt, ſuæqve civitati victrici expedit, ut & ſubjectæ ſociæqve civitates bonorum omnium copiâ floreant: *ſup.* §. *10*. At inferior civitas, ut libera, particularis ſui boni publici vigiliam & cuſtodiã ipſa ſuſcipit, ejusqve filum liberè regit, modò ne collidat vel cum bono communi totius Univerſitatis, vel cum bono proprio Victoris ſeu ſuperioris populi. Atqve ita paret ſuis legibus immediatè; ſuperioris mediatè: eſtqve adeò civitas per ſe libera, ſed membrum totius mediatum.

18. Hinc exurgit jam triplex illud Civitatum diſcrimen, cùm inter Gentes adeò ab omni memo-

moria celebratum, tum Imperii uſu notiſſimum, atqve jam *ſup. cap. 1.* propoſitum. *Prima*, quam Natura ipſa formavit in commune bonum publicum, eſt in ſe una, libera, & immediata, ſuisqve unicè legibus vivit: qualis olim fuit regnum Franciæ, ejusqve veſtigia hodie ſuperſunt in utraqve ejus Provincia, ſcil. Ducatu Franciæ & terra Rhenenſi. *Altera*, quæ armis victa jure Gentium in poteſtatem victoris conceſſit, ejusqve legibus utitur, & de illius bono publico participat: cujus exemplum fuit in Ducatu Sveviæ, & populo aliqvatenus, Weſtphaliæ, anteqvam ſuis legibus uti cœperunt. *quâ de re infra pluribus.* *Tertia* deniqve eſt, quæ bello quidem victa, eoqve per ſe non libera, ſed cui libertas ſeu autonomia ſua reſtituta eſt; & quæ ſuis adeò legibus vivit, ſibiqve ipſa proſpicit. Quales fuère Ducatus Saxoniæ & Bavariæ. In quibus omnibus hodieqve effectus iſti ab ſua origine apparent, & conſpiciuntur: ut *latiùs inf.*

15. Cæterùm hoc diſcrimen civitatum à publico bono civili ductum, & quæſtio, quousqve magiſtratus id obſervet, tantummodo pertinet ad arbitraria, quæ ſunt in poteſtate populi ſeu ſummi Magiſtratus. Etenim Jus Naturæ, quod ab ipſo Rerum omnium Autore, Deo, præceptum eſt, immotum & æternum eſt. §. *pen. de Jur. nat. gent. & ibi Dd.* Hujus ergo reſpectu omnes homines ſubditi, & omni-

mnium proinde civitatum par ratio & conditio eſt, ut tantùm poteſtas ipſis data ſit ad tuendum & exeqvendum, non verò ad ferendum jus illud & mutandum: cùm ejus legislator, inventor &c. ſolus Deus ſit, ut Cicero loqvitur *lib. 3. de Republ.* qui locus & plurimum huc confert, & dignus eſt quo hoc caput claudatur: *Nec eſt*, ait, *quærendus explanator aut interpres ejus legis alius: Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia poſthac: Sed & omnes gentes & omni tempore una lex, & ſempiterna & immortalis, continebit: unusq; erit communis quaſi Magiſter & Imperator omnium, Deus ille, legis hujus inventor, diſceptator, lator: cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis adſpernabitur; atqve hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.* Nunc de ſingulis harum civitatum generibus ſpecialiter agendum erit.

CAPUT IX.

De natura originaria Reip. prima civitatis ſpecie, immediata, libera, ac per ſe una.

SUMMARIA.

1. *HUmanum genus in unam civitatem à Creatore ſociatum eſſe, tum ut communi ſtudio*

dio ejus legibus pareat; tum ut beneficiis ab eo vicisſim conceſſis communiter frui poſſit.

2. *Duæ igitur ſunt hujus ſocietatis cauſæ: Boni communis fruitio: & neceſſitas parendi legibus, adeoque poteſtas legislatoria, quæ bonum illud publicum exequatur.*

3. *Neutrum explicari unius civitatis imperio poſſe, ſed neceſſe eſſe eam dividi in plures.*

4. *Eo facto eadem poteſtas & conditio eſt cujusque civitatis intra ſuos fines, quæ ſocietatis humanæ in genere, quam unaquæq; refert, & pariter utroque libertatis capite perficitur: boni publici facultate, & legum cuſtodiâ. remiſſ.*

5. *Demonſtratur, hanc civitatem eſſe in ſe unam.*

6. *Etſi in plurimas civitates longè disſitas diviſa ſit.*

7. *At contrà, diviſo humano genere, cujusq; civitatis ſummam poteſtatem fuiſſe.*

8. *Hinc civitates ita diviſas quoq; eſſe immediatas.*

9. *Denique eas eſſe & liberas. Ubi duæ obj. 1. Quòd bonum ſit arbitrii Magiſtratus. 2. Quòd Civitates legibus ſubjectæ.*

10. *Solutio prioris.*

11. *Solutio poſterioris.*

12. *Tranſitus ad cap. ſeq.*

§. I.

HUmani generis una in univerſum civitas eſt, ab ipſo Rerum Autore & Conditore in ſocietatem collecta, ut Ipſius ſanctisſimæ voluntati paréret, atqve in id communibus ſtudiis omnes incumberent

rent. Non enim Ille omnium Creator homines hominum, ſed Sui cauſâ condidit, ut ipſi Deo, Autori, & Domino ſuo præpotenti, ſervirent, eumque ut Optimum Maximum agnoſcerent, colerent, atqve ad Ipſius nutum juſſumqve ſe componerent. Indè vicisſim eos ingentibus beneficiis & bonorum copiis ita cumulavit & ornavit, ut commodè, jucundè, & tranqvillè vitam agere poſſet. Sed & terram ei ſubjecit; quin omnia hominum cauſâ condidit, ut hominem ſuâ. Taceo quòd animũ, quem homini inflavit, ex ſua mente divina, (ut Cicero loquitur, *lib. 5. Tuſcul.*) quaſi decerpſerit.

2. Hujus igitur Civitatis ſeu ſocietatis hominum finis Creatori propoſitus fuit duplex, ſeu duo capita: Quorum *alterum* conſiſtit in obedientia legum, quas ille Mundi Opifex hominibus dedit, & ipſo opere ipſaqve creatione animis eorum inſculpſit. Unde nata eſt ex parte hominum, cùm ſingulorum, perpetua obligatio & necesſitas parendi voluntati & legibus ſui Creatoris: tum omnium univerſim, facultas atqve officium communi ope, ſtudio, ſenſuqve proſpiciendi, ut inviolatè iis pareatur. nam & inter ipſas has leges eſt illa quoq;, ut poteſtati ſummæ, quæ Illius vices in terris gerit, ſinguli ſubjecti ſint. *Alterum*, in beneficiis & bonis vicisſim humano generi, ut §. 1. dixi, ita conceſſis, ut in hac ſua civitate, conjunctis ſtudiis,

diis, ſecurè, commodè, beateqve vivere homines posſint; ſed intra leges, cùm ab ipſo Creatore, (quod Jus Naturæ & æternum eſt) tum à ſumma poteſtate, illius vicariâ, latas. Ex quo non poteſt non facilè intelligi, & omnibus ad animum occurrere, hæc ipſa eſſe duo illa capita ibertatis publicæ, ejus definitione comprehenſa: quia eſt 1. facultas ut lubet, ſeu ex voto communi, adeoque feliciter, vivendi: niſi 2. quid lege prohibeatur: illud continet ſummæ felicitatis beneficium hominibus datum; hoc necesſitatem parendi legibus, qvæ felicitatem illam non evertit, ſed tuetur. *cap. 5. §. 3. & paſſ.*

3. At verò neutrum expediri, nedum commodè expediri poteſt unius Civitatis viribus & auſpiciis, in tantum ſuccreſcente hominum multitudine, & civitate communi per orbem terrarum ſparſâ, ut nec imperia juſto tempore omnibus publicari, nec omnes in unum convenire, juris ſtatuendi & exequendi cauſâ, poſſent. Nam nec per omnes terræ partes, ubi fortè homines eſſe poſſunt, imperium & voluntas ullius poteſtatis humanæ explicari, aut vim ſuam exerere, aut leges promulgari, aut præſidia illa commodè & feliciter vivendi, ac bono civitatis ſecurè fruendi, tueri, aliaqve innumera, ab unius civitatis poteſtate, ut oportet, præſtari per naturam poſſunt. Neceſſarium itaqve prorſus fuit, genus humanum ſegregari in plures gentes ſeu civitates, & terram inter populos dividi,

vidi, ut, cùm cujusqve civitatis bonum & votum commune feliciùs adminiſtrari, tum legum ac imperii executio expeditiùs atqve cum effectu fieri poſſent. Quod & re ita factum, & gentes diſcretæ, regna condita, & homines ubiqve in varias civitates diſtincti ſunt. *l. 5. ff. de Juſt. & jur.*

4. Hoc facto igitur idem jus, eademqve poteſtas ac conditio eſt cujusqve civitatis intra fines ſui territorii, ac antè fuit humani generis in orbe terrarum. Nam & unaquæqve civitas alteri non ſubjecta, repræſentat intra hos fines ſuos ipſam ſocietatem humanam, ejusq; cùm jura ac poteſtatem, tum commoda & bona à natura conceſſa, ipſamque adeò humani generis libertatem. Atqve hinc in qualibet quoqve civitate libera concurrunt, duo illa publicæ libertatis capita, quæ expoſita ſunt *ſup. c. 6. §. 3. & paſſ. & c. 7. §. 1. & ſq* ſc. Bonum civitatis illius publicum, quod omnibus naturâ libitum & commune votum eſt: & juris ac legum cuſtodia, quâ ſolâ diſtinguuntur Civitates à Prædonum collegiis: *ſup. c. 3. §. 13. & paſſ.* & intrâ hos fines conſiſtit demum omnis libertas; quin veri boni & felicitatis æſtimatio. *ſup. d. cap. 3. & paſſ.*

5. Civitatem ergo iſtam in ſe unam eſſe, inde infertur, quia in idem bonum publicum ejusqve tutelam concurrit. Unitas enim reip. ſequi-

ſeqvitur ex unitate ſeu communione boni illius publici, cujus conſequendi cauſâ civitates unicè conſtitutæ ſunt. Uti in primævo Naturæ ſtatu, cùm hominum una civitas eſſet, unum omnibus bonum commune, ſalus ſcil. & felicitas humani generis, propoſitum fuit; ita cùm ob hoc ipſum in civitates ſeceſſiſſent, ut paratiùs & commodiùs ſingulæ, quod ſibi bonum videretur, tueri & perſequi poſſent, ſequitur, unicuiqve civitati ſuum bonum publicum, & quod ſibi ac ſuis civibus com̃uniter tale eſſe videtur, propoſitum fuiſſe, unamq́ue adeò eorum civitatem liberam eſſe, qvi inter ſe coiiſſent ad id quod ſibi communiter bonum eſſet, conciliandum; quia hac ſola de cauſa in partes & civitates itum fuit. Etenim Collegium, quod certi finis & boni communiter obtinendi cauſâ inſtitutum eſt, ab ejus communione ſpeciem & unitatem ſuam accipit, eoqve ab aliis diſcernitur. Illud eſt ſpiritus ille, quo in unum quaſi corpus animatur; quemqve omnia ejus membra ſpirant & in id conſpirant; *ſalus,* inquam, *& felicitas publica iſtius civitatis.*

6. Unde, etſi hujusmodi civitas libera in plures iterum civitates diſtincta ſit, una tamen manet civitas, ſi quod omnibus in commune lubet & expedire videtur, communi conſilio unitisque animis ſequi ac tueri propoſitum eſt, atqve ideò in eandem civitatem convenerint, licèt majoris commoditatis cauſâ in plurimas

porrò

porrò civitates illa diſtributa iterum fuerit. Id enim fieri neceſſe eſt in magna civitate & populo, qui nec una urbe contineri poteſt, nec continentibus ſedibus commodè cohabitare: Nam neqve omnibus ſufficere poſſent neceſſaria, nedum cætera. Hoc ipſum itaqve pars eſt beatæ populi ac civium vitæ, non promiſcuè colere vel vagari, ut in priſtina temporum feritate, ſed congruo ordine terras diſtribui, colonias deſcribi, ſuum ſingulis agrorum modum adſignari, & ſuos cuiqve Magiſtratus ac Moderatores dari: idqve uberioris uſùs, commoditatis, imperii, tutelæ, rerumqve omnium rectiùs expediendarum gratiâ. Iſte igitur ordo non rumpit civitatis vinculum & unitatem, ſed firmat & conſtituit: modò ad idem commune libertatis publicæ bonum, id eſt, totius corporis ſalutem & felicitatem, obtinendum, non mero pacto, ſed communi juris civilis & imperii nexu ſociati, etſi inter ſe loco & ſedibus longè disſiti ſint. Uti una res Trojana dicta, *apud Virg. paſſ.* una res Romana; *apud Liv. & Tac paſſ.* una res Perſica: Æthiopica &c. etſi olim Perſarum reſp. 127. provinciis, inde ab Indiis usqve ad Helleſpontum, floruit, & hodieq; Æthiopum, in 50. magnas civitates patére dicitur. *Eſth. 1. verſ. 1. Bodin. de Rep. lib. 1. cap. 2. pag. 13.*

7. Id verò intereſt, quòd hominum communi civitate diviſâ, ſingulæ eam ſuperiorem non agnoſcant, ſed ſummam poteſtatem non minùs

nùs intra ſuos limites habeant, ac illa eam ante diviſionem habuit in humano genere: quia hoc per omnem terrarum orbem ſparſo, ejus ſuperior poteſtas naturâ impoſſibilis,eoq́; nulla fuit. *ſup. c. 3. §. 4.* at quæqve civitas, ſi in plures colonias &c. dividatur, non id ideo fit, quia illius poteſtas in omnes cives eſt naturâ impoſſibilis, ſed quia minùs commoda & expedita, qvin, ſi pernimiùm magna ſit, valde difficilis eſt, & ſæpe *Mole ruit ſuâ.* Uti Alexandri M. in tres orbis partes promotum Imperium paucis annis, nec ultra vitam, quietè & ſine vi, nec momento ſtetit: Romanum verò,quod ſub republicâ,almâ illâ & fœcundâ tot tantorumqve Heroum parente, quàm diutiſſimè floruit, ideo ſenſim defeciſſe tradit *Zoſim. lib. 1. Hiſt.* quòd uni commiſſum eſſet, qui ei moli par non fuiſſet.

8. Cum itaqve Reſp. naturâ ſuâ ſit una civitas, ſequitur, quòd omnes ejus partes, urbes, coloniæ, regiones, cives &c. ſint inmediata iſtius reip. membra, ſub quocunqve illa ſit Magiſtratu. Nec ſolùm in populari ſtatu, ſed & Regio &c. Id enim efficitur ex ipſa unitate reip. & boni communis. Etenim mediatæ civitatis conditio non eſt niſi inter duas civitates antea liberas; quarum altera alteri bello ſubjecta quidem, ſed libera relicta eſt; ut *inf. cap. 4.* parebit. Illius E. cives ſuæ provinciæ ſunt immediata membra, ſed ſuperioris mediata. At unius civitatis liberæ cives omnes immediata ſunt ejus

membra; ex quibus illa immediatè conſtat, ita ut omnes junctim ſpectati non differant à corpore totius reip. omniumqve non niſi res una, etſi in plures colonias &c. diffuſa, idemqve finis & bonum publicum ſit: quod ita temperatur, ut in una rep. libera omnium una ſuprema lex ſit, quæ ad omnium civium publicam ſalutem, vitamqve beatam conſpirat, atqve ita totius & partium, quin & ſingulorum (quoad fieri poteſt) rationes conciliat, ut ad eundem finem ſeu commune omnium bonum collineent. Dixi, *quod fieri poteſt:* nam ſi contendant rationes publicæ & ſingulorum, has illis cedere neceſſe eſt; quia hæ ſine illis ſalvæ eſſe non poſſunt. Eſtq; adeò hæc civitas immediata.

9. Denique liberam quoqve inprimis civitatem eſſe patet, quia communis boni, adeòq; ejus quod ſibi in commune lubet, facultatem habet. Neqve iſti libertati quicquam inde decedit, quòd bonum illud in poteſtate Magiſtratus, & quod legibus ejus civitas ſubjecta ſit.

10. Etenim nec prius obſtat: quia hoc ipſum bonum quod Magiſtratus fovet, curat, protegit, eſt bonum commune civitatis, & id quod populo lubet, quodq; iſte adeò voto comuni cupit & petit. Neqve verò Magiſtratu conſtituto civitas illud cedit, ſpernit aut deſerit, ſed firmat, munit, tegit, dato ei tutore & cuſtode: non ergo quòd frui iſto bono nolit, ſed quod aliter rectè frui non poſſit; adeóqve non ut minùs

nùs ſed ut magis frui liceat. Unde & hoc ſcitê & perſapienter jure Romano traditum eſt, civitates inſtar minorum eſſe, *l. 4. C. Quib. ex cauſ. maj. l. 3. C. de Jur. reip.* quibus, quòd ipſi bona ſua curare non posſint, curator dandus eſt: *arg. §. 1. de Tutel. l. 1. ff. eod. tit.* non ut deſinant ejus eſſe bona, ſed ne deſinant: nec minores ideò vel minus liberi ſunt, vel minùs rerum ſuarũ domini. Idem accidit in aliis, qui ipſi rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt per morbum, aliumve defectum: inter quos meritò & reſp. recenſetur, quæ per ſingulos, ſeu per ſingula capita, regi eò minùs poteſt, quia non tantum ſinguli, de plebe ſaltem, ei non ſufficiunt; ſed quia bonum hoc publicum etiam ad fœminas, pupillos, quin furioſos, omnesq; qui rebus ſuis privatis ne quidem conſulere poſſunt, pertinent. Cùm igitur in ſingulorum manibus nulla ſit boni hujus publici cuſtodia, in gremio Magiſtratus illud fovendum eſt.

11. Sed nec alterum obſtat: qvia lex non minuit libertatem, ſed facit; quin eo non minoris fit bonum civitatis; ſed pluris: Nam & lege quaſi detergitur fucus & ſcoria apparentis boni, & quaſi pumice illud politur, ut vera reip. felicitas ſecernatur à ſpuria: ut pluribus demonſtratum *d. cap. 3. §. 12. &c.* Unde ipſum illud jus, quod magiſtratus condit, eſt jus ipſius civitatis, é re ipſius, & boni publici tuendi cauſâ, atqve adeò ex voto communi latum, quo

 illa

illa ut ſuo jure utitur, & ſic ſuis legibus vivit, quippe quarum judicium Magiſtratui commiſit. *de quo cap. ſeq.* §. *10. &c.*

12. Atqve hæc eſt genuina originariæ reip. idea, & prima civitatis ſpecies; ſcil. una, immediata, & libera, idqve ſub quocunqve Magiſtratu; & ſub regio Principatu non minùs quàm ſub ipſo ſtatu populari, ut *cap. ſeq.* pluribus demonſtrabitur. Dedimus jam ſuprâ exemplum hujusmodi civitatis in Imperio, liberam primùm rempubl. & poſtea regnum Francorum, ejusq; duas provinciæ originarias, Franconiam & Terram Rhenenſem. Cùm verò valde paradoxum videatur, liberos eſſe populos, qui iisdem legibus, quibus non liberi, obedire tenentur, & alia Pop Rom. pluriumq; Gentium fuerit ſententia, atqve iſte quoqve tractatus & aliis gravisſimis cauſis lumen accendere videatur, eam quæſtionem uberiùs evolvere haut pigrabimur.

Cap. X.

De pari libertate Civium in ſtatu Regio & populari.

SUMMARIA.

1. Refertur ſententia P. R. & aliarum gentium, libertatem à regno ſummoventium.

2. Ad ea reſpondetur.

3. Demonſtratur civium eandem libertatem eſſe ſub

ſub rege quæ fuit ſub populo. Aliud eſſe populum, aliud ſingulos, nec ſummum imperium competere ſingulis, etſi junctim ſumtis, ſed populo in ſingulos.

4. *Idemque adeò eſſe in Rege, in quem populi poteſtas collata eſt.*

5. *In ſtatu quoque populari aliud eſt populus qui imperat: aliud ſinguli qui populo parent.*

6. *Solâ igitur populi poteſtate in Regem collatâ, nihil mutatur in ſingulorum libertate, quæ eadem manet, ſive populo pareant, ſi in ejus locum ſurrogato Regi.*

7. *Hinc eandem civium libertatem eſſe I. Si populo pareant. II. Si Senatui ſuo.*

8. *III. Si Regi ſuo.*

9. *IV. At ſervitutis eſſe, ſi alii populo vel regno, & ex illius voto & re, parére tenentur, ut provinciæ: licèt utriusq; populi cives eidem regno vel populo pareant æquè immediatè.*

10. *Oſtenditur, quòd Cives ſui Regis legibus teneantur, eſſe ex voto eorum & re communi, & ideò à libertate.*

11. *Illuſtratur id ratione & exemplis.*

12. *Docetur, idem eſſe, etſi, cùm duo de Principatu certant, is obtineat, qui minùs populo placet.*

13. *Quin, idem quoq; eſſe, etſi Rex invito populo impoſitus ſit.*

14. *Concluditur, omnia quo ad libertatem paria & utrique civitati communia eſſe.*

§. I

RES hic nobis eſt cum plurium gentium, & maximè cum Pop. Rom. judicio. Romani enim Autores perpetuò liber-

tatem à Regno abjunxerunt, atque cum ſervitute regna permiſcuêre: ut conſtat *ex Liv. lib. 2. cap. 15. Tac. 1. Ann. 1. in princ. & de mor. Germ. c. 45. in fin. Cicer. in Philipp. & ad Brut. ac alibi paſſ.* Quin Tacitus *Vit. Agric. cap. 3. libertatem & Principatum duas res inſociabiles* eſſe aſſeruit. Unde, cùm Cappadoces, quibus Romani obtulêre libertatem, negarent ſine Rege ſe vivere poſſe, *Inſt. lib. 38. c. 2. in fin.* refert Strabo, *lib. 12. cap. 6.* admiratos fuiſſe Romanos, adeò iſtos torpere ad *libertatem;* & *Regem* eis permiſiſſe eligere è ſuis. Sed & Mithridates, literis ad Arſacem Regem datis, *Pauci* (inquit) *libertatem, pars magna juſtos dominos volunt. Saluſt. fragm. hiſt. lib. 4.* Et Juſtin. *d. loc.* ait; *Regibus ablata regna, & populos libertate donatos fuiſſe.*

2. Cæterùm Romanos in eam ſententiam non tam ratio traxit quàm inveteratum illud Regiæ olim dominationis tædium, adeò inviſæ, ut ipſum quoque nomen Regium exhorruerint, & faſtidium veteris abuſùs ſenſum quoque juſtorum diſcriminum deleverit, nec ulla ætas priſtinæ injuriæ Regiæ aut abolere memoriam aut evellere odium potuerit. Mithridates verò non de civium & civitatum, ſed de ipſorum Regum libera poteſtate ſcripſit; quos P. R. quidem liberos ac Reges appellabat, & amicorum ac ſociorum nomine ornabat; at fœderis ſui inæqualis nervo ita eos conſtringebat, ut parum à ſubjectis diſtarent. *Vid. l. 7. ff. de Capt. & poſtl.* Juſtinus

nus verò in facto Romanorum, horum uſum & ſenſum ſequitur; etſi nec ille de libertate civitatum & civium regni, ſed de populo agat.

3. Eſſe autem eandem civium & civitatum ſub proprio Rege, ac ſub ſtatu populari libertatem, nemo, rebus probè expenſis, infitias ire poterit: idqve ita demonſtramus. In republ. populi liberâ aliud eſt populus, aliud ſinguli è populo, etſi conjunctim accepti; cùm alia ſint jura ſingulorũ & privata; alia corporis, & publica. de quo *inf. c. 12.* §. Sum̃um Imperiũ ac ſum̃a poteſtas non eſt ſingulorum, ſed populi in ſingulos: ita ut ſinguli omnes, nemine excepto, populi poteſtati ſubjecti, nec ulla poteſtas ullusve inde Magiſtratus ſit exemtus. Quemadmodum in Romana republ. liberrima, omnes Magiſtratus, Senatores, Conſules, quin & Dictatores, fuère in poteſtate populi: Et, licèt é re viſum fuerit, Dictatorem adeò conſtituere cum pleniſſima poteſtate, ut nec jus provocandi inde ad populum relictum eſſet; tamen ille hanc quantamcunq; poteſtatem non ſuo nomine exercuit, ſed nomine populi. Hic igitur populus eam legem de non provocando non in ſe tulit, ſed in ſingulos; non, ne ipſe provocationem ex cauſis recipere poſſit; ſed ne ſinguli provocare: uti admiſſa illa fuit in cauſa Papirii Dictatoris & Q. Fabii, qui contra illius mandatum in hoſtem pugnaverat: cùm pater ipſius, Fabius ſenior, in Senatu diceret: *Provoco ad populum, qui certè unus plus quàm tua*

Dictatura poteſt pollétque. Liv. lib. 8. cap. 33. Sed & univerſus Senatus leges tulit ad populum, neqve antè lex fuit, quàm populus rogatus juberet; &, cùm Senatus quoqve tandem jus faceret, non aliter valuit, quàm vicario nomine populi. *§. 4. §. 5. verb. vice populi. de Jur. nat.*

4. Rege autem conſtituto eadem illa poteſtas populi quam habuit in omnes & ſingulos cives, tranſit in Regem, adeóqve hoc facto eandem in cives omnes & ſingulos conſequitur poteſtatem quam antè populus in eosdem habuit. *l. 1. princ. ff. de Conſt. Princ.* Eâdem ergo conditione ac libertate, quà antè populo oportuit eſſe dicto audientes, nunc oportet Regi eſſe. Nec ulla alia mutatio facta niſi in ſummæ poteſtatis ſubjecto, quod tum fuit populus, nunc Rex. Idem ergo civium vinculum eſt ac durat, ſive populo, ſive Regi eo obſtricti ſint, nec in hoc ſit arctius quàm in illo fuerat, eademqve omnino relatio eſt inter ſingulos & Regem, quæ inter ſingulos & populum. Quicquid itaqve libertatis fuit ſub poteſtate populi, idem manet eâ collatâ in Regem. *Add. Diſp. de Libert. Stat. reg.*

5. Videndum ergo, quæ fuerit civium libertas ſub populo, ut appareat, quæ ſit ſub regno. Certum ſcil. eſt, in ſtatu quoque populari, ſingulos è populo teneri legibus populi collectim ſumti, uti in omni Collegio legitimo ſinguli tenentur Statutis totius Corporis: *l. fin ff. de Corp.*

Corp. & Coll. & in eo omnes id velle videri, quod majori parti placet. *Vid.* §.§ *ſeqq.* Oſtendimus enim jam *cap. 1.* quemadmodum libertatis privatæ conditio eſt, ut ſinguli facere posſint in re ſua privata quod ſibi lubet, ſive qvod ſibi bonum videtur; ſervitutis verò, non niſi quod alii domino lubet, & ille ſibi bonum cenſet; & ideo illi (liberi) ſibi & rebus ſuis legem, ut volunt, dicere posſint; hi (ſervi) legem, ut dominus eam ſibi & rebus ſuis dicit, ſequi tenentur: ita ſimiliter libertatis publicæ eam rationem eſſe, ut populus in re ſua publica facere posſit quod ſibi lubet, ſive quod ſibi videtur ſuæ civitati bonum eſſe; ſervitutis autem publicæ, non niſi quod alii populo vel Regi lubet, ſeu quod ille ſuæ civitati ſuóve regno bonum arbitratur: quo itidem fit, ut ille ſuæ reipublicæ legem dicere, ſuaqve adeò lege & ſententiâ, quid ei conſultum ſit, decernere posſit; hic vero legem alterius populi vel Regis, prout ille in rem ſuæ civitatis eam ſtatuit, ſequi teneatur. *Conf. cap. 2.*

6 Certum quoq; eſt, quòd homo, qui naturâ ſibi cupit, id velit quo quàm optimè ſibi conſultum exiſtimat, privatus in re privata, populus in publica: adeoqve hoc ipſum ex libertatis maximè ſtudio eſſe, ut quàm poteſt maturisſimè deliberet & circumſpectet, quid conſultius & magis é re ſua ſit. Hoc autem non poteſt vel certiùs cognoſcere, vel tutiùs conſequi, quàm ſi vel plures conſulat, vel prudentioribus

curam ejus committat. Quod qvomodocunqve fiat, & ſive uni, ſive pluribus boni communis cura & cuſtodia commiſſa ſit, libertatem nihil imminuit, nedum eam infringit; cùm tamen ipſius id bonum commune & publicum ſit ac maneat quod curatur, omniaq; fiant ac fieri debeant in rem & uſum ejus cujus eſt negotium, adeoqve ex ejus voluntate & voto, perinde ac ſi ipſe populus per ſe curet: quæ eſt natura libertatis. Unde & illud conſeqvens eſt, cùm aliud alii quandoq; bonum videatur, multi quoqve ſtudio boni privati à publico diſſentiant, neqve adeò aut negotia publica explicari, aut exitum habere poſſent, ſi omnium conſenſus unanimis reqviratur, hoc quoqve, ut ex re omnium, ita omnium votum naturâ ita ferente eſſe, ut & qvod major pars ſenſit valeat, &, quod plures ſentiunt, id omnes voluiſſe intelligantur: quia naturâ publicè volunt quod publicè bonum eſt. *ſup. cap. 4. Conf. Grot. lib. 2. cap. 5. §. 17. & ſeqq.*

7. His ergo ita expoſitis, ſeqvitur I. Ex libertate eſſe, cùm populus per ſe ipſum civitatis ſuæ curam ſuſcipit, & leges, prout ſibi libet, vel è re publica videtur, ſtatuit, & ſuffragiis, vel tributis vel curiatis vel virilibus, quid in rep. optimum factu ſit, exquirit: etſi & tum pars minor plurium ſententiis, & ſinguli in civitate populi decretis ſtare cogantur; etiamſi populus non per ſe, ſed aliorũ miniſterio

&

& conſilio, v. g. per conſtitutos Magiſtratus, curam reip. expediat: quod populi R. exemplo liquet. Sequitur II. Ex libertate eſſe, cùm populus ipſe rem publicam non gerit, ſed Senatus prudentum vel Optimatum conſtitutus eſt, qui rebus & ſaluti populi conſulat; & cujus ſtatutis populus obligetur. Nec tantum, ſi ſenatui iſti ſola ſaltem adminiſtratio commiſſa ſit, & populus ejus miniſterio atq; conſilio utatur, ſed &, ſi jure perpetuo & proprio civitati præſit, ut in vero Statu Ariſtocratico, qvem vocant; qvoniam nec iſte Senatus ſuam, ſed civitatis ſuæ & populi rem ex lege ac regula publicæ utilitatis gerit, atqve adeò ſalutem populi ex communi voto tuetur: Alioquin non eſt Senatus civitatis, ſed in Tyrannidem abit; uti Athenis famoſus ille 30. Tyrannorum Senatus. *Xenoph. Rer. Græc. lib. 2. fol. 316. Diod. Sic. lib. 4. c. & ſeqq. Juſtin. lib. 5. cap. 8. & ſeqq.*

8. Sequitur III. Ex libertate eſſe, cùm magis conſultum rei publicæ videtur, eam ab uno geri, & ideò, rege conſtituto, in eum populi poteſtas transfertur. Nam & Ille rem populi ſui tuendã, atqve ad ejus ſalutem & uſum ex omnium ſententia gerendam capesſit. Hunc ergo Regem populus iſte, ſeu populi illius cives ac civitates quæ hoc corpus regni conſtituunt, hujus Regis legibus, ut ſuis, perinde ut ſub populo legibus populi, ut ſuis, utuntur; qvoniam utrobiqve ferendarum legum norma eſſe debet

uti-

utilitas & ſalus iſtius populi; adeoqve feruntur illæ ex capite libertatis, ſeu ex communi civium voto, quo ſuis commodis ſuæqve ſecuritati publicæ ſtudent: quid autem publicè commodum ſeu utile ſit, non ſuo, ſed regis judicio æſtimant; perinde ut in populari ſtatu, populi, ejusve majoris partis; & in Ariſtocratico, Senatùs judicio id relinquitur: qvia leges in omnium utilitatem publicam, & proinde ex communi illorum ſenſu ac voto, atqve uti ipſis in genere libet, ſtatuuntur: quæ eſt cauſa libertatis.

9. Seqvitur IV. è contrario, ſervitutis eſſe, cùm hujusmodi libera civitas, vel rex, aliam civitatem ſibi vi ſubjicit: hujus enim devicti cives, etſi iisdem legibus quibus & alteri teneantur, & utriqve ergo immediatè eidem regno regniqve legibus ſubjecti ſint, tamen alteri illi liberi, hi in ſervitute publica vivunt. de quo *cap. ſeqq.* Hæc enim devicta civitas ſive provincia illis legibus non utitur ut ſuis, ſed ut alienis; qvoniam illæ non ex re & utilitate provincialium, adeoque non ex eorum ſententia & placito feruntur, ſed ex re, lubitu, & voto civium regni. Quæ eſt cauſa ſervitutis, quâ non quod ſibi libet & expedit, ſtatuere ipſis integrum eſt, ſed ei, qvod Regi Victori libet, ipſiqve é ſua re videtur, ſtare & morem gerere tenentur; atqve adeò, cùm rationes Regni & rationes provinciæ pugnant, hæc regni & regi rationibus cedit ac ſervit, & nec ex ſua, ſed regis voluntate ac utilitate agere tenetur. 10.

5, Ut verò quæſtionem de libertate Status regii perſequamur, multæ & graviſſimæ cauſæ ſunt, cur plerisque Gentibus conſultius viſum fuerit, rei ac utilitatis publicæ æſtimationem Regis potiùs judicio & arbitrio quàm ſuo committere, atqve ſub Rege potiùs quàm ſub populo vivere. Primùm enim difficillimum, &, in magna præſertim civitate, prægrave eſt, cives quotidie in Comitiis morari, & rem privatam familiamqve negligere. Deinde, cùm reip. regendæ duo quaſi cardines ſint, Fried und Recht / woruff / als Grundveſten / alle Reich und und Gewalt ruhen / ut dicitur *in Rec. Imp. 1521. princ. & §. 1. & R. J. 1525. princ. & ſim.* facilè liquet, indoctum imperitumq́; vulgus ineptum eſſe *juri pacique* moderandis; quà nulla ars major ac difficilior veteribus ac Prudentibus viſa eſt. *ſup. cap. 7. §. 3. & §. 13.* Accedunt moræ illæ & ambages conſiliorum, rerum tractandarum, atqve executionum, aliaqve incommoda plurima, ut taceam æmulationum & factionum ſtudia & procellas &c. quæ ceſſant in unius Principatu. Nec officit, quòd ſolus ille non minus impar videatur; cùm Regum latera ſepta ac ſtipata, & humeri ſuffulti ſint Peritorum ac Prudentum Conſiliis, ac Virorum robore & miniſteriis, ut tanto oneri ferendo ſint.

11. Hoc igitur cùm votum populi ſit, optimè proſpectum reip. eſſe, ei verò maximè conſultum putet Rege facto, in cujus fidem & arbitrium

trium ſalutis ſuæ & boni publici tutelam tranſmittit, plena omnino libertas eſt ejus Regis legibus vivere, quæ ex populi voto ad ejus utilitatem feruntur, non minùs quàm ſi à populo latæ eſſent. Ut adeò veriſſimè dixerit Grotius: *Populi liberi, & Regis qui verè Rex ſit, eadem ratio eſt. lib. 1. de J. B. & P. cap. 3. §. 21. n. 2.* & eadem igitur libertas. Quod & Plinius probat, cùm in *Paneg. ad Traj. circa med.* appoſitè ait: *Eodem foro utuntur Principatus & libertas.* Ita liber populus Iſraëlitarum magna contentione Regem ſibi flagitavit. *I. Sam. 8.* E re populi Romani viſum fuit, remp. nomine Principatùs ad unum deferri, teſte *Tac. 1. H. 1. & 1. A. 8. 9. & 12.* Cappadocū populus oblatæ, ut Romani autumabant, libertati Regnum prætulerunt. *de quo c. ſeq.* Sic inclyta illa Francorum gens, cùm in ſumma olim libertate, ejuſqve adeò tenax eſſet, ut ab ejus ſtudio nomen duxerit, ultrò in ſe regem conſtituit; idq; cùm ad Majeſtatem populi, tùm ad ſalutem & tutelam civitatis valere plurimum, bellicoſæ Nationi viſum fuit. *Vid. Greg. Turon. Hiſt. Franc. lib. 2. cap. 9. in fin. Ivo Carnet. de Regib. Franc. in princ. Epitom. Geſt. Franc. cap. 4. apud Freher. in Corp. Hiſt. Franc. tom. 1. Aimoin. de Geſt. Franc. lib. 1. cap. 4. Ado Vienn. at. 6. ad ann. 375.*

12. Atque hæc ratio libertatis latiùs patet, ut obtineat etiam tum, cùm duo Principes de eodem regno inter ſe contendunt, & ille ſceptrum obtinet, cui populus fortè minùs favet:

nam

nam nihilominùs illud iſtius populi regnum &ſceptrum eſt, illiusq; legibus populus, ut ſuis, & ex ſuo ſenſu latis utitur, etſi Perſona Regis fortè minùs placeat. Ex qvo enim ſemel regnum regniqve ſuccesſio placuit, is qvoqve admittendus eſt, cujus ſuccedendi jus eſt: neqve affectus ille ſingularis in perſonam mutat votum commune, ut ſub qvolibet ſucceſſore ſuis legibus vivant. Illud enim in eo vertitur, quòd & modus Regni à populo probatus, & ille Rex conſtitutus ſit ad illius populi rem publicam gubernandam, legesque ad ejuſdem, non alterius, ſuperioris v. g. populi, utilitatem ferendas. Atq; hoc ipſum ergo eſt votum commune populi, & quod ipſi lubet agitur, ſcilicet, ut ſuæ reip. proſpectum eſſet, & legibus ſuâ causâ latis viveret. Quæ conditio libertatis eſt. Atque talis apud Judæos fuit diſceptatio inter Aſſamonæos & Herodem M. inter quos ſtudia populi quoque diviſa fuêre. *de quo §. 15. inf.* Quam verò Galli, quippe ſubditi, Henrico IV. litem moverunt, non bellum fuit, ſed rebellio.

13. Quin & ampliùs ſtatuendum eſt; quamvis populus liber non probaverit modum regni vel principatus, ſed ei invito Rex ab eo, qui poteſt, datus fuerit, nondum deſiiſſe cauſam libertatis populi illius ſub regno, ſed illud quoque iſtius populi ſceptrum ac regnum eſſe, & ſuis eum adhuc legibus vivere: nam & Rex ille conſtituitur, & leges ab eo ferendæ ſunt, ad

ad hujus populi ſalutem, & in rem illius regni: ita ut Regi iſti norma & lex regendi unicè non minus eſſe debeat ſalus illius populi, qvàm antea illa fuit populo ipſi. Itaq; & hoc imperium Regis exercetur populi cauſâ & in ejus rem comunem, quod ipſius votū, ipſiq; libitum, adeóq; cauſa libertatis eſt, etſi in modo non conſentiat. Neqve enim deſinit libertas ejus populi, niſi cum poteſtas ſumma exercetur ex re, voto, ac lubitu alterius regni ſeu populi ſuperioris, ut ſæpe jam expoſitum eſt.

14. Ex quibus omnibus ſeqvitur, qvicqvid judicio Regis ſtatuitur perinde eſſe atqve id, qvod judicio populi, vel majoris ejus partis: atqve adeo hoc votum commune naturâ ſuâ omnium eſſe, quia aliàs illius boni publici, adeoqve voti ſui, compotes fieri non poſſent. Unde & hac parte nihil, qvantum ad libertatem, refert, cura illa ipſi populo, an paucis ex populo, an uni Regi commiſſa fuerit: quia is modus potiùs electus intelligitur, qvo, pro genio civitatis & populi, omnium optimè reipubl. conſultum iri viſum fuit.

Cap. XI.

De libertate Regni, cui Rex alienigena præficitur; & de Regno Judææ cum Herode, non ſub eo finito.

SUM-

SUMMARIA.

1. *Rege alienigena electo, eum jure Gentium fieri civem, nec ideò deſinere eſſe eandem civitatem & liberam.*
2. *Probatur id pluribus.*
3. *Hinc Herodis M. regnum fuiſſe ſceptrum populi Judæi, ipſumque ultimum Regem regni Judæ.*
4. *Inde & adſtruitur ſenſus ac certa veritas admirandi illius oraculi de tempore adventûs Servatoris humani generis.*
5. *Herodi alium regem Judæ nec ſubſtitutum fuiſſe, nec ſucceſſiſſe: nec Archelaum filium verum Regem fuiſſe.*
6. *Agrippæ quoque Regnum nec fuiſſe regnum Judæ: nec Regiam dignitatem terræ ſed perſonæ datam: & nec terras ipſi conceſſas, nedum Judæam, in regnum denuò erectas; ſed contrà, hanc fuiſſe partem & acceſſionem terrarum, quæ Ipſi cum regio titulo datæ fuêre.*
7. *Quod porrò declaratur.*
8. *Et oſtenditur ex eventu.*
9. *Idem accidiſſe Agrippæ Juniori, ſuperioris filio.*
10. *Utrumque confirmatur ulteriùs.*
11. *Concluditur, jure Gentiũ Regna terræ inhærere.*

§. I.

Is qvæ hactenus demonſtrata ſunt, & rationibus Juris Gentium, conſentaneum qvoq; eſt, nihil immutari civitatis ſtatum & libertatem, etſi Rex non ex ejus gremio electus,

ctus, ſed aliunde petitus fuerit: cùm enim tota liberæ civitatis ratio in eo ſit, ut immediatè conſtet magiſtratu & civibus, tanquam capite & membris, conſequens eſt, ſi aliunde quis in Magiſtratum vel Regem adſciſcitur, eum fieri immediatum illius civitatis membrum, quin ejus caput: & indubitatâ adeò ratione tranſire in jus civitatis eum qvi civitatis caput eſt Eqvidem, cùm fixo ſaltem in civitate domicilio civis jure gentium fieri poſſit, nedum cùm conſenſus & voluntas populi, vel eorum quorum jus eligendi eſt, in civitatem, quin in ſummum ejus Magiſtratum, ultro alium peregrinum allegit. Enimverò jus illud immutabile originis non niſi ab inſtituto P. R. fuit: Cùm enim oſtenſum ſit *cap. 8.* naturâ omnes homines unius civitatis eſſe, & ſui ſaltem commodi cauſâ in plures civitates, terrarum finibus diviſas, ſeceſſiſſe, liberum omnino adhuc, ut ante, iis fuit, domicilium eligere, & ibi rerum ſuarum ac fortunarum ſedem figere: qvod & docet *l. 12. § 9. ff de Capt. & poſtl.* verb. *De ſua qvaqve civitate cuiqve conſtituendi facultas libera eſt.* Et Cicero *Orat. pro Balb. in med.* ait: hæc eſſe fundamenta firmiſſima libertatis noſtræ, ſui qvem juris & *retinendi & dimittendi eſſe dominum:* ubi & de hoc capite fuſiùs differit.

2. Quod ipſum & veteres Germani veriſſimè ſenſerunt, & in utroqve Juris ſui ſpeculo ſtatuerunt, ut Rex ex alia quacunqve gente electus,

ctus, Juris Francici fieret; Soll haben Fränckiſch Recht/ Er ſey von welcher Geburth Er ſeye: *Spec. Sax. lib. 3 art. 55 verſ.* der König. *Spec. Suev. p. 1. cap. 22.* §. 2. Ita Populus Romanus olim Reges ſuos à Corintho: *Flor. lib. 1. cap. 5.* Imperatores à Thracia, ab Arabia, ex Hiſpaniis petierunt, vulgatumqve fuit, creviſſe rem Romanam præcipuè extraneorum virtute. Sed & Richardus ex Anglia, Alphonſus é Caſtilia ad clavum Imperii arcesſiti ſunt. Sic recentiore memoriâ Poloni Henricum III. é Gallia evocârunt; fuitqve id ſceptrum ſeu Regnum Poloniæ, perinde ac ſi é ſinu ſuo regem feciſſent, nec ideo qvicqvam ipſis cum Gallia rei fuit.

3. Qvâ re conſtat, regnante Herode, etſi alienigenâ, nondum recesſiſſe Sceptrum de Juda; ſed fuiſſe id adhuc Sceptrum ſeu Regnum Populi Judæi; quod verò cum ipſo extinctum eſt. Herode enim mortuo, etſi filius Archelaus teſtamento Patris Succeſſor Regni declaratus eſſet, & is Rex interim, dum Româ expectabatur confirmatio, diceretur, tamen & ipſe intereà abſtinuit Regia poteſtate, nec Augvſtus id ratũ habuit, nec Regẽ, ſed Ethnarcham fecit, regno inter ipſum & fratres diviſo: & deniq; poſt aliqvot eum annos in exilium egit. *Joſeph. l. 17. Antiq. c. 13. & 15. & l. 2. de Bell. Jud. cap. 1. 4. & 6.*

4. Qvibus Juris Gentium rationibus ac regulis mirum in modum adſtruitur ſtupendi illius oraculi vetuſtisſimi fides de tempore adventûs

Servatoris mundi, ſub noviſſimo Judæorum regno: *Gen. 49. v. 10.* hoc enim ante adventum Meſſiæ tolli non debuit: *Non recedet*, inquit divinus Vates, *ſceptrum de Juda, quoad venerit Schilo.* Eo ergo tempore qvo venit, nondum deſiiſſe oportuit ſceptrum Judæ, quod nullius niſi Herodis tum fuit: at poſt adventum ejus, cum hoc ipſo Herode illud mox expiravit.

5. Etſi enim de Archelao, ejus filio, dicatur *Matth. 2. v. 22.* daß Er König war: tamen in Græco textu dicitur: ὅτι βασιλεύει ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας: quæ vox latiore ſenſu accipi, in Sacris qvoqve, ſolet, ut idem ſit quod herrſchen: uti *Matth. 4. v 8.* & *Luc. 4. v. 5.* de Sathana, quòd oſtenderit Chriſto πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης, *omnia regna univerſæ terræ;* id eſt, alle Herrſchaften: & *Apoc. 11. v. 15.* Ἐγένοντο αἱ βασιλεῖαι τοῦ κόσμου τοῦ κυρίου. *regna mundi facta ſunt Domini.* Sed & notum eſt, Veteres ſolere Principes ſuos Reges dicere. Non ergo verba curanda, ſed de re videndum. Conſtat autem, Regem novum Judææ ſubſtitutum Herodi non fuiſſe; quippe ipſis Judæis mortuo Herode petentibus, ne ſub Regibus porrò viverent, ſed, ſalvâ autonomiâ ſuâ, pars Syriæ provinciæ fierent. *Joſeph. d. l. 17. Cap. 12. circa fin.* Qvod Auguſtus, auditis partibus, non planè improbavit, ſed ita temperavit, ut Archelao regnum quidem negaret, ejus verò, in Tetrarchias diviſi, partem Archelao, reliquum fratribus ejus permitteret.

Nec

Nec verò deinde unqvam Rex factus, ſed relegatus, & Judæa, miſſo Procuratore, in provinciæ formam redacta, atqve Syriæ ſubjecta fuit. *Joſeph. lib. 18. Antiq. cap. 1. in princ.* licèt duo ejus fratres, Philippus & Herodes, tetrarchias ſuas adhuc retinerent. *Joſeph. de Bell. Jud. lib. 2. cap. 8.*

6. Eqvidem deinceps quoqve Agrippa, Judæus, ſingulari gratiâ & benevolentiâ Caji Rex factus eſt: Verùm illud non fuit regnum ſeu Sceptrum Judæ, ſed aliud certarum terrarum, quæ Agrippæ ab Imperatore in titulum regni donatæ erant: cui, regno jam conſtituto, demum Judæa, uti pars & provincia iſtius Regni, deinde acceſſit. Neq; hoc terris hiſce vel populis datum, ſed ſingulare beneficium perſonæ fuit, cui Regia dignitas ſpeciali affectu conceſſa, neutiquam verò vel regnum Judææ ipſi datum; vel Judæa iterum in Regnum erecta fuit: de quo diſcrimine actum in *Jur. publ. cap. 3. Sect. 4. c. 64. & c. 16. Sect. 2. §. 21. & Sect. 3. §. 37.*

7. Ita ſcil. res acta eſt. Agrippâ Rege nominato, conceſſa ſaltem ipſi eſt Tetrarchia Philippi, & provincia Lyſaniæ, deinde terra quoqve Herodis relegati, & quædam Herodi olim donata: In Judæam autem Imp. Cajus alium tum Præſidem, tanqvam in Provinciam Imperii Romani, miſit. *Joſeph. Antiq. lib. 18 c 8. in fin. & cap. 9. de Bell. Jud. lib. 2. cap. 10.* Deinde verò, mortuo Cajo, Claudius Succeſſor addidit demum

Ju-

Judæam, Samariam, & Cæſaream. *Joſ. Antiq. lib. 19 cap. 7.* Ut proinde id non fuerit regnum Judææ, ſed corpus ex pluribus terris ac provinciis conflatum; adeò ut huic regno portio ſaltem ſeu acceſſio & Provincia fuerit Judæa. Secus ac regnante Herode: qui Judæorum Regibus Aſſamonæis in regnum Judææ ſucceſſit, fuitq; id adeò regnum ac ſceptrum Judæ, in quod Herodes ſucceſſit.

8. Agrippâ autem Rege facto adeò ſceptrum populi Judæi jam deſierat, & adeò Agrippæ & perſonæ id beneficium fuit, ut eo defuncto, etſi filium ejusdem nominis reliqverat, iterum terræ hæ omnes in provinciæ formam redactæ, & Syriæ additæ fuerint. *Joſeph. d. cap. 10. in fin. Tacit. lib. 12. Annal. cap. 23.*

9. Poſtea verò Claudius pari affectu filio ipſius, Agrippæ juniori, qui apud Claudium educatus fuerat, regnum Patris quaſi in penſationem injuriarum, quas perpeſſus à Cæſareenſibus aliisqve fuerat, reſtituere decrevit. *Joſeph. de Bell. Jud. lib. 2. cap. 11. princ.* qvod qvanqvam impeditum fuerit, & Cæſar procuratorem Cuſpium Fadum in eas miſerit, propter ætatem Agrippæ, *Joſeph. Ant. lib. 19. cap. ult. in fin.* deinceps tamen effectum habuit; ſed eâdem conditione ut in Parente: Nam neq; tunc Judæa iterum in Regnum erecta, neq; id regnũ & ſceptrum Judæ fuit, ſed, ut antè Patri, ita tum filio Regia dignitas in perſonam cum certis terris collata, quarum Judæa pars & acceſ-

ceſſio fuit. Cui tamen à morte Herodis & Archelai exilio, perpetuò peculiaris Procurator Româ miſſus præfuit, atqve in eam imperium ſeculare abſolutè exercuit.

10. Et certe, quàm in civilibus non patuerit Judæa Agrippæ, & quàm ille, licet ex terris conceſſis reditus perciperet, quasdam etiam cum aliqva poteſtate & autoritate teneret, nihil tamen regiæ poteſtatis in Judæam habuerit, ſed eam omnem Procurator Romanus nomine Cæſaris rexerit, cùm ex Sacris, & Servatoris ac Apoſtolorum Actis, tum ex hiſtoria Agrippæ & Procuratorum Judææ conſtat, apud *Joſeph de Bell. Jud. lib. 2. cap. 11. & ſeqq. Item ex lib. 20. Antiq. c. 7.* inprimis verò ex oratione Agrippæ ad Judæos, qvâ eos à bello in Romanos movendo dehortaturus, meris ſuaſionibus utitur; rem verò in ipſorum arbitrio eſſe ſtatuit, & tandem *urbe à Judæis ejectus, dicitur inde in ſuum regnum ſeceſſiſſe. Joſ d. lib. 2. de Bell. civ. c. 16.* Adeò verum eſt, Herodi neminem in Regno Judæ ſucceſſiſſe; proindeq; ante ejus mortem, quâ demum ſublatum eſt de Juda Sceptrum, jam veniſſe Servatorem mundi.

11. Hæc qvæſtio cùm à Juris Gentium rationibus pendeat, tantiq; momenti ſit, haut abs re viſum fuit hanc obſervationem hîc annotâſſe. Ex his omnibus ergò apparet, libertatem publicã populi non minùs in Regnis ac Statu Regio ſalvam eſſe quàm in Populari, & eſſe regnum ejus

populi cui Rex præficitur: Enimverò Regnum, ut qvæqve civitas, naturâ ſuâ terræ inhæret & cohæret, qvia jure Gentium civitates terrarum finibus diſcretæſunt. *cap. 9. § 3. §. 7. & ſeqq.* Non itaqve Regnum ſeqvitur perſonæ dignitatem; ſed contrà: & Rex planè eſt, qvi Regnum habet; *2. F. 10. pr.* non ſemper Regnum, qvod Regem: ut ſi terra non ſit in regnum erecta, ſed dignitas perſonæ data. *ſup. §. 6.*

CAPUT XII.

De monſtro Regni merè patrimonialis. Ubi demonſtratur, id ne concipi poſſe; nec unquam fuiſſe in rerum natura.

SUMMARIA.

1. *Regna ac territoria patrimonialia hoc ſenſu dari, quòd in iis perpetua familiæ ſucceſſio ſit.*
2. *Id non eſſe à natura, ſed ab inſtituto.*
3. *Quid interſit inter patrimonium privatum Regis, & publicum Regni, & quàm pugnet illa confundi.*
4. *Quàm quicquid in regia poteſtate ſanctum eſt, eo aboleatur.*
5. *Quæ portenta inde ſequantur.*
6. *Refertur ſententia Dn. de Puffendorff, & aliarum, qui aſſerunt, regna quadam ita eſſe in patrimonio Regis, ut idem jus in ea habeat quod quivis paterf. in ſuum patrimon-*

monium, & cives ſua non alio jure tenere quàm olim ſervi ſua peculia, idq́; poſſeſſione precaria: adductis exemplis Ægypti, Indiæ & regni Congi.

7. *Quod, veniam precati, deteſtamur, cùm ut manifeſtò falſum, tum ut cum ſumma Regiæ Maj. injuria conjunctum.*

8. *Abutendi licentiâ ablatâ, non magis imminui ſummam reip. poteſtatem, quàm Dei omnipotentiam; ſed contrâ, ſtabiliri.*

9. *Duplicia Regum bona eſſe: alia Regis ut privati; alia Regis ut Regis, ſeu Regni.*

10. *Etſi regnum eſſet in quo cives nihil proprii haberent, non tamen omnia Regis fore ut patrisf. ſed ut Regis: id eſt, omnia tamen fore Regni, (adeoq; Regis, quat. regni caput eſt, illudque repræſentat) non Patrimonii ejus privati.*

11. *Alia quoq́; eſſe civiū jura, quat. ut ſinguli ſpectantur; alia, quat. ut in corpus regni coacti: eoque fieri poſſe, ut ſinguli nihil proprii habeant, & omnia tamen corporis ſint ſeu regni. Ea ergo perinde ut in aliis regnis, Regis eſſe, quoad uſus publicos regni, non privatos patrimonii.*

12. *Declaratur ſtatus Ægypti, venditis regi terris, & Indiæ, & regni Congi.*

13. *Oſtenditur, eundem ſtatum, qui in his regnis fuit, accidere quoque poſſe in civitate populari liberrima, exemplo veteris Germaniæ.*

14. *Probatur id teſtibus Cæſare & Tacito.*

15. *Demonſtratur, publicum dici non poſſe, niſi quod eſt in patrimonio totius civitatis ſeu populi.*

16. *Non tantùm talia quoque*

que

que regna, ut cætera omnia, eſſe in patrimonio totius civitatis, etſi cives nihil proprii haberent; ſed & non dari talia regna.

17. *Probatur hoc de Ægyptiis.*

18. *Quàm locupletes illi fuerint etiam poſt terrarum venditionem.*

19. *Idem de regnis Indiæ & Congi.*

20. *Eundem ſtatum inveniri in ipſo Imperio Romano, & paſſim in Europa & Germania.*

21. *Quantopere improbanda ſententia B. Dn. de Puffendorff, hujuſmodi regnorum cives ſervis, & terras peculiis ſervorum adſimilantis:*

22. *Servorum verò peculia precario.*

23. *Et figmentum de homine, terræ dominiū omnimodum adquirente, & tum ſibi cives faciente.*

24. *Hobbeſii monſtroſa & pernitioſa traditio, & ſumma juris ignorantia.*

25. *Ejus rei juſta indignatio, quæ ſummâ rei indignitate excuſatur.*

26. *Tranſitus.*

§. I.

NOn oportet rodere in cortice vocis *Regni patrimonialis.* Uſu vulgari jura Regalia, Principatus, ac territoria, hoc ſenſu hodie in patrimonio eſſe dici ſolent, qvia ad totam familiam ita ſpectant, ut omnes qvi ſunt de familia, qvaſi qvodam jure hereditario & proprio in ea ſuccedant. Id verò hîc non quæritur, ſed, *An regnum poſſit eſſe, quod non ſit in publico, ſeu civitatis, ſed in unius patri-*

patrimonio privato? Quæ eo differunt, quòd hoc poſterius unicè pertineat ad rem & utilitatem domini, qvi proinde eo abuti poteſt, idq; conſumere & perdere pro lubitu: prius verò ad juſtitiam inter cives, omniumqve ſalutem tuendam, de qvo mox. Atqve hoc ſubſtantiale inter ea diſcrimen eſt: de qvo quæritur, an confundi, non verò, anne rei publicæ regimen in eadem familia continuari poſſit? Quod facilè largimur, etſi abuſivè & impropriè tum qvoqve vox patrimonii accipiatur.

2. Enimverò illa vis ſummi imperii exercendi, illa facultas regendi & tuendi remp. illa omnium artium longè difficillima, ut dictum *cap. 7. §. 3. & alibi.* utiq; ſuâ naturâ non eſt res hereditaria, ut cum hereditate acquiri, & cum ea ad heredes tranſmitti intelligatur; cùm, ut omnis agendi facultas eſt perſonalis, & cum perſona deſinit, ita quàm maximè ardua illa & ſumma Gentium & populorum rectrix & imperatrix, quæ cùm ſumma rerum peritia ac virtute conjuncta eſſe debet, & non magis quàm ipſa virtus, ars, prudentia, vel peritia, cum hereditate tranſit. Verùm ab inſtituto id eſt, & ob utilitatem publicam, atque ad præcavenda partium ſtudia & certamina, laudatisſimum conſilium continuandæ in una familia illuſtri ſucceſſionis, qvæ tum imitatur hactenus ordinem ſucceſſionis hereditariæ, & rerum patrimonialium, qvod jus in qvæſtionem non venit.

3. Il-

3. Illud itaque unicè quæritur, An ullum intelligi vel fingi poſſit Regnum, qvod ſit res privata Regis, atqve in ejus ſolius privato patrimonio? Qvod non modò pugnam inexplicabilem continet, ſed & omnem Sacræ Regiæ poteſtatis venerationem & Majeſtatem funditus deſtruit & extinguit. Neqve enim ea civitas, vel ulla reip. ſpecies, qvalis qvàm maximè eſt Regnum, Principatus &c. ſed mera res privata foret. Omnia verò quæ in dominio vel patrimonio privato unius ſunt, ad ejus ſolius utilitatem & commodum ſpectant, nec alia illa ſunt quàm ea, quæ Natura condidit ad ſingulorum vitam temporalem ſuſtinendam & commodè tranſigendam; qvæ viliſſimi hominum quoqve in patrimonio habent, & pleniſſimi rerum ſuarum domini ſunt. Unde ad conſumendum, ſeu, ad eſcam & cibum à Deo hominibus data dicuntur: *Gen. cap. 1. v. 29. 30. & cap. 9. verſ. 2. & 3.* & dominos ſuo arbitrio rebus ſuis, quas in patrimonio habent, uti & abuti poſſe, deciſum eſt in *l. 21. C. Mandat.* cùm nemo alius in in eas jus habeat, neminiqve adeò injuria fieri poſſit.

4. His omnibus verò qvid commune eſt cum SSta illa Regia poteſtate? Qvid horum omnium cum ea non adverſa fronte pugnat? Qvippe quæ ad ſalutem civium, ad juſtitiam exeqvendam, ad ſummum illud bonum civile populi procurandum & cuſtodiendum, unicè à Deo con-

conſtituta, divinæq; Majeſtatis ſuffraganea, & hoc ſolo nomine inviolabilis, & SSta poteſtas eſt. Qvid ergo monſtroſius, qvàm rem tam divinam, & omnium ſanctisſimam, in infimum rerum privatarum cenſum detrudere atqve abjicere, eoq; qvicqvid in ea ſanctum eſt, qvicqvid ſacrum, qvicquid divinum, inde excutere, & cum poteſtate, qvæ fæci qvoqve plebis, qvin prædonibus & infamisſimis hominum communis eſt, miſcere? Qvod non portentoſum modò, ſed nefarium, & ſummi ſacrilegii inſtar foret.

5. Finge igitur hominem privatum opibus præpotentem immenſa latifundia & terrarum ſpacia in patrimonio habere, & ad ea colenda ingentem numerum famulorum vel operariorum alere; (qvalem & Grotius, *de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 8. n. 3.* comminiſcitur, & cum abſolutæ poteſtatis Rege abſurdisſimè confundit) non illa civitas eſſet, ſed magna familia: non ille Rex, ſed locuples paterfamiliàs. Nec terra iſta regnum foret, ſed prædiorum & fundorum privatorum congeries: & ſedes ſeu habitatio ejus, etſi innumeris ædificiis diſtincta, non urbs, ſed domus: ut de ipſa Roma temporibus Neronis circumferebatur illud apud Sueton *in Ner. cap. 39.*

Roma domus fiet, Vejos migrate Coloni,
Si non & Vejos occupet illa domus.

Homines ipſius non cives eſſent, ſed famuli vel mer-

mercenarii; nec eſſent lege naturæ ſubjecti imperio, ſedmeris ſaltem pactis & conventionibus tenerentur invicem, veluti operarum locationibus & conductionibus. Unde finita locatione & Ipſe dominus omnes dimittere, atqve è fundis ſuis abigere, aliosqve denuo conducere; illi verò tum arbitrio ſuo diſcedere, eumqve deſerere poſſent. Si enim eſt patrimonium unius, nemo alius in illud jus habet. Nemini ergo dominus invitus alteri inde qvid præſtare tenetur: *l. 11. ff. de Reg. Jur.* ſi enim tenetur, jus & æs alterius id eſt: *l. 213. §. 1. ff. de Verb. ſign.* Qvodſi ergo ejus poſſeſſor inde terræ hominibus ſeu incolis præſtare pacem, tutelam, incolumitatem, ſalutē, debet, jus illud civium commune & civitatis, adeoq; publicum eſt. Dominium ſcil. ſeu patrimonium privatum eſt domini cauſâ; ſi civitatis ſeu regni cauſâ, ut illud ſit ſalvum, tutum, incolume, publicum illud civitatis & regni jus ac patrimonium eſt, non privatum. In legitima civitate ſeu regno, lege Naturæ perpetuâ ac æternâ omnes incolæ ſubjecti & obligati ſunt Regi; eſtqve vinculum illud SSanctum & inviolabile, ipſaqve divina autoritate munitum: At in patrimonio privato inter ejus dominum & alios nulla ſubjectio eſt; nulla naturæ obligatio, niſi ex pacto ad id qvod inter eos convenit: Nec dominus ille ſtatuit ex re omnium, ſed ſuâ: non ex voto communi, ſed proprio arbitrio; non ad juſtitiam tuendam, ſed ad ſuam utilitatem

pro-

procurandam; non boni publici,ſed privati cauſâ; non ad publicos ſeu communes, ſed ad ſuos uſus privatos. Hujus porrò patrimonii poteſtas non foret libertas publica, quæ formam civitati dat; ſed privata, quæ dominio privato: cùm non ſit facultas agendi qvod publicè, ſed qvod ſibi utile eſt, adeoqve non qvod omnibus Naturæ ductu libet, ſed qvod ipſi ſoli. Deniqve ex tali dominio ſeu patrimonio privato non oritur jus belli, aut gladii, aut ullum aliud jus SStæ illius ſummæq; poteſtatis, quæ Deum in terris repræſentat: Qvia nemo ex ſuo dominio jus in alium vel in res alterius habet; ſed omnia eſſent rapinæ, cædes, deprædationes, homicidia, totumqve corpus nil niſi domicilium ſcelerum & prædonum. Tale foret hoc *Monſtrum horrendum, informe, ingens, Cui lumen ademtum!*

6. Sunt nihilominùs qvi talia regna patrimonialia aſſerunt; ut poſt Grotium *d. loc.* inprimis B. Dn. de Puffendorff. *de Jur. Nat. lib. 8. cap. 5. §. 1.* Hic fingit aliquem, qui primus omnimodum dominiū terræ acquiſiverit, & tùm ſibi ipſi cives fecerit: & hoc caſu patére ait, *Imperantem in quavis bona civitate contenta non id modò poteſtatis habere quod ex imperio per ſe fluit, ſed &, quod quivis paterfam in patrimonium ſuum habet, niſi fortè ultro quid de jure ſuo remiſerit. Hic igitur, ſi Rex iſtud dominium ſibi illibatum ſervârit, cives ſua non alio tenebunt jure quàm quo ſervi quondam Romæ peculia ſua obtinebant, ſic ut eorum poſſeſſio*

ſit

ſit merè precaria, arbitrio Regis quandocunque viſum fuerit, revocabilis. Quamdiu tamen iſtorum bonorum poſſeſſio civibus relinquitur, ex iisdem alimenta &c. ſibi decerpunt, velut loco mercedis ob impenſam operam. Quodſi autem ejusmodi Rex de jure ſuo aliquid remiſerit, tantum ſubjecti in bona ſua habebunt juris, quantum Regis conceſſio oſtenderit. Tum exempla affert, ut Pharaonis, qui Dominus terræ Ægypti quintam partem frugum ſibi vindicabat, quatuor partes cultoribus relinquebat. Item Jndorum, de quorum agricolis Strabo *lib. 15. cap. 7.* hæc refert: *Eſt verò regio tota Regis: ſed quam illi mercedis nomine quartis fructuum colunt.* Quamvis verò, ſi quod res eſt fateri oportet, nihil horum ad Juris rationes exactum ſibi conſtet, vel in facto ſecum conveniat, iis tamen ſubſcripſit quoque & ſuffragatus eſt Vir multò Celeberrimus, qui ſuppetias quoque adduxit, exemplo Regni Concho allegato; de quo ait: *Certum eſt, in regno Concho neminem proprii quid habere quod ad heredes tranſmittere queat; ſed omnia Regis eſſe, qui & adminiſtrationem & uſum pro lubitu diſtribuit; adeò ut de exiſtentia regni patrimonialis dubitandum non ſit.* Autorem verò ejus rei nullum addit. Intelligitur tamen ſine dubio magnum illud regnum Congenſe, inter vaſta illa imperia Nigritarum & Abysſinorum in Africa ſitum ad Oceanum Æthiopicum. Et his exemplis ergo adſtruere nituntur regnum patrimoniale.

7. Verùm pace Virorum Illuſtrium, & ſalvo o-

vo omnium judicio, liceat hîc, quod ſentio, profiteri, 1. Non dari regna, quorum cives nihil proprii habent. Et 2. licèt darentur, non tamen eſſe in patrimonio Regis: nec rectè, quin non ſine ſumma Regiæ Majeſtatis injuriâ dici poſſe, regnū eſſe in patrimonio & proprietate Regis, ſed ſub ſummo Regis Imperio. Qua proinde re tantum abeſt ut quicquam derogatum velim ſupremæ poteſtatis autoritati, ut eam non aliter ſalvam exiſtimem. Uti n. omnium, quæ in rerum natura ſunt, ſumma poſt Deum ipſum eſt ſublimis illa civitatis poteſtas, quæ pace & ſalute hominum tuendâ, & arcendâ malitiâ occupata eſt, eoque ſupremi Numinis vices ac munus obit; ex quo tanta fluit ejus veneratio, ſanctitudo, majeſtas, & quædam adoratio: ita è contrario omnium infimum eſt dominium illud, ſeu patrimonium quod quiſque hominum habet in res ſuas, in quo quicquid eſt, profanum eſt, &, ut *ſup.* dictum, cum infimo hominum, quin cum beſtiis, quæ & ipſæ *fructus conſumere natæ,* comūne. Illa poteſtas imperat; hæc illi naturâ ſubjecta eſt. Illi priori igitur, quicquid in eo eximium, quicquid ſanctum, inviolabile, & venerabile eſt, executiunt, & in infimam hanc claſſem & ſortem redigunt, qvi illud cum iſto confundunt. Hoc enim eſt, qvod Horatius, *lib. 1. ep. 2. verſ. 27.* cùm viliſſimum hominum & rerum genus deſcribere vellet, ita exprimit: *Nos numerus ſumus, & fructus conſumere nati.* A qvibus diſtinguit,

qvi in parte aliqua reip. adminiſtranda, aut virtute exercenda verſantur.

8. Atqvi, inqvis, hoc privatum & profanum dominium tamen plenius in eo eſt, qvód & abutendi, eoqve liberior poteſtas ſit. Illa verò nec hominis vox vel ratio videri poteſt. Nam nec in Deum cadit abuſus, qui omnia poteſt. An verò ideò qvicqvam decedit ejus omnipotentiæ? Qvæ blaſphemia! Qvantum vel cogitatu nefas! Inde defectum poteſtatis arguere, qvod præcipuè argumentum eſt ſummæ ejus perfectionis. Ideo regnum in patrimonio non eſt, non qvia minor illa poteſtas, ſed qvia infinitò ſublimius qvid, & longè perfectior & ſanctior, & eminentior eſt poteſtas, qvàm ut in abuſus fœdari poſſit. Qvis verò ſtatueret, Dei minorem ideò eſſe poteſtatem qvàm hominis, qvia hic mori, fallere, mentiri, rebus malè uti poteſt, Deus non poteſt; cùm illa impotentiæ, imbecillitatis, vitii, defectùs &c. nomina ſint: Dei verò potentia perfectisſima & plenisſima eſt, qvæ deficere & vitioſa eſſe non poteſt. Ab hac igitur infamia, ab hoc opprobrio aſſertam & vindicatam cupio ſummam illam ac SacroSanctam, & Divinæ proximam ſeu Vicariam, Regum Majeſtatem: & oſtendere, nec talia regna, qvorum exempla jam allata ſunt, eſſe in patrimonio Regis proprio; ſed, qvæ longè excellentior, ſanctiorq; res, ſanctiusqve nomen eſt, ſub ſummo Regis imperio.

9. Qvod

9. Qvod ut luculenter demonſtretur, notandum eſt inprimis, in omni Regno duplicia Regis bona eſſe, ab invicem diſtincta: Alia *privata*, quæ ſunt in patrimonio Regis, non qvâ Regis, ſed quâ Patrisf. privati; idqve jus commune ipſi eſt cum omnibus civibus: & bonis his non utitur jure Magiſtatùs, ſed jure privatorū: nec illa, ut talia, ullam rationem regni ſeu Principatùs habent. Alia verò *publica*, qvæ ejus ſunt ut Regis, & Reip. Principis ſeu capitis: uti Regna, Principatus, civitates &c. qvocunqve illa titulo posſideat, qvod inter omnes conſtat. Illorum dominium eſſe dicitur; horum imperium: *l. 215. ff. de Verb. ſign.* & meritò, qvæ re, etiam verbis diſtingui oportet: non poſſunt enim nominibus confuſis non res quoqve tandem confundi, maximè in diſciplinis. Unde omni peſte pejus in Jure publico eſſe exiſtimo profana illa privati Juris vocabula, *proprietatis*, *uſusfructùs*, *dominii*, (etſi addas, *eminentis*:) ad imperia & regna, res adeò ſanctas & diſtinctas transferre.

10. Deinde notamus: Etſi in tali regno nemo civium qvicqvam proprii haberet, ſed omnia Regis eſſent; cives verò, qvaſi meri coloni Regis, iis tantùm uterentur pro certo canone, uti Ægyptii; qvin etſi tantùm precariô; aut ne hoc qvidem, & nulla pars fructuum ad eos perveniret, ſed terra vel per extraneos coleretur, vel per ipſos cives pro mercede tantùm,

 aut

aut ſaltem pro alimentis nondum tamen regnum hoc eſſet Regis ut patrisfam. ſed ut Regis; nec terra in patrimonio Regis ſed regni. Regnum itaqve Regis eſt, non regni proprietas: quæ proinde non eſt in patrimonio ejus privato, ſed regni publico, qvod Rex poſſidet & repræſentat; adeoqve ejus bonum civile publicum reſpicit & tuetur, non ſuum privatum. Itaqve curam publicam omnium civium habet, etſi privatim hi nihil in bonis. *Vid.* §§. *ſeqq.* Nec ideò minùs cives, etſi pauperrimi, quia nihil proprietatis poſſidere dicuntur, eſſent liberrimi. Utiqve enim aliud eſt locupletem eſſe, aliud liberum; uti aliud ſunt bona, aliud libertas. Non deſinunt igitur eſſe liberi, & cives, etſi nihil proprietatis, qvin nihil in bonis habeant, uti egeni & mendici in civitate veriſſima ejus membra ſunt.

11. Tertiò notandum maximè eſt: Alia longè eſſe jura ac bona civium, qvâ collectim ſpectantur, ut collegium aut univerſitas, ſeu, ut corpus civitatis, qvod ex capite & membris compoſitum eſt; Alia ſingulorum, quâ ut ſinguli ſeorſim reſpiciuntur: *l. 7. §. 1. ff. Qvod cuj. univ. nom.* Verb. *Si qvid Univerſitati debetur, ſingulis non debetur; nec qvod debet Univerſitas, ſinguli debent.* Unde, qvod civitas agit, non plures agunt, ſed unum corpus civitatis. *l. 2. ff. eod. tit.* Verb. *Si Municipes dent actorem, non erit dicendum, qvaſi à pluribus datum ſic haberi, hic enim pro rep. vel univerſitate*

inter-

intervenit, non pro ſingulis. Quare, licèt in civitate ſinguli nihil fortè, & nec obolum in bonis habeant, tota tamen civitas, cum omnibus bonis ſuis, omnium & eorundem foret, quâ conjunctim & ut corpus civitatis, capite & membris conſtans, ſpectantur: &, qvicunq; ſummum Magiſtratum gerit vel gerunt, publicum illud patrimonium civitatis tenent, non ut privati, & ſui causâ, ſed ut Magiſtratus, & totius populi ac civitatis cauſâ; neqve ad ſuam ſuorumqve privatam, ſed ad totius Univerſitatis ſeu corpoporis publicam utilitatem; non ut bonum ſuum privatum, ſed ut bonum civile publicum totius regni ſeu reip. non deniqve ex libertate privata, quæ perſonæ; ſed ex publicâ, qvæ regno ſeu civitati ac reip. cohæret.

12. Ita ergo, cum Pharaoni Regi omnes terræ Ægypti ceſſæ fuerunt, deſierunt omnino illæ eſſe in bonis & patrimonio ſingulorum, neqve tamen illæ ceſſerunt in proprietatem & patrimonium Pharaonis ut privati; ut ipſe in ſuos uſus privatos vertere, conſumere, extra regnum alienare, aut, ut dominus res ſuas, perdere poſſit; ſed in patrimonium Regni, & Pharaonis ut Regis, & Regni illius capitis ac ſummmi Moderatoris: ut nihilominùs his opibus auctus, & regnum, & ejus bona, ac cives, & pacem tueatur, omniumqve ſalutem, & ſecuritatem, & ſic remp. defendat. Unde & terræ illæ ipſi ceſſæ non ad heredes ipſius, ſed ad ſucceſſores Regni, Pharao-

raones, ex qvacunqve familia; (*Vid. Joſeph. Ant. lib. 2. cap. 5. in princ.*) & deinde ad Ptolemæos, perpetuâ ſerie tranſierunt, donec hoc regnum in ditionem P. R. provinciamqve redactum fuit. Eademqve ratio eſt planè Regni Indorum, & Congi; ut, licèt verum eſſet, omnia Regis fuiſſe; id tamen nihil aliud eſt, qvàm omnia fuiſſe regni, ſeu publica, adeóqve Regis, qvi regnum repræſentat, & qvi ſine regno ne concipi qvidem poteſt.

13. Qvin idem qvoq; non minùs contingere posſet in republ. populari, & multò faciliùs. Nam, ſi populus terram vel regnum, ſive vacuum, ſive expulſis jure belli inqvilinis deſertum, occupet, hac occupatione per Univerſitatem, ut vocant, toti populo qvæſitum eſſet plenisſimè terræ iſtius dominium; ſingulis nihil: neqve ulla ejus pars erit in patrimonio privatorum; niſi qvid é publico in ſingulos diſtributum fuerit. Qvod totum juris naturalis eſt, qvo qvod nullius eſt cedit occupanti: Occupavit autem populus per univerſitatem, ſeu ut corpus civitatis: Terra verò ita occupata, nullius, & nulli alii in eam, qvippe vacuam vel deſertam, amplius qvicqvam juris eſt. In hac ergo Univerſitate nihil quicqvam adhuc in bonis vel patrimonio ſingulorum eſt, ſed omnia populi, ſeu totius corporis; niſi quid in ſingulos inde diſtributum vel deſcriptum fuerit. Atqve in id omnes conſentiunt; Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 5.* & ex eo, more ſuo,

ſuo, Dn. Puffend. *de Jur. Nat. lib. 4. cap. 6. §. 3. 4. 5. & ſeqq.* Qvin & ita actu obtinuiſſe atqve in more fuiſſe apud Veteres Germanos, teſtatur Tac. *de Mor. Germ. cap. 26. Agri*, inqvit, *pro numero cultorum, ab UNIVERSIS per vices* (qvæ lectio proba, nec cum aliis in *vicos* mutanda, & innuit viciſſitudinem, de quâ §. ſeq.) *occupantur, qvos mox inter ſe ſecundùm dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum ſpatia præſtant.*

14. Qvodſi igitur talis partitio non fiat, ſed conveniat ut ſinguli ſaltem terras colant, atq; inde pro neceſſitatibus ſuis uſum percipiant, jam ipſiſſimus ille caſus eſt qvem qværimus, ſcil. qvo ſinguli nihil proprii habent, ſed omnia ſunt populi. Neqve verò ejus rei ideam ſaltem fingimus, ſed iſte rebus ipſis uſus fuit veterum Germanorum: uti præclarè id explicuit Cæſar, *de Bell. Gall. lib. 6. c. 5. Neqve qvisqvam*, (inqvit de Germanis) *agri modum certum, aut fines PROPRIOS habet; ſed Magiſtratus ac Principes IN ANNOS SINGULOS gentibus cognationibusqve hominum, qvi UNA COIERUNT, quantum eis, & quo loco, viſum eſt, attribuunt agri; atque anno pòſt NB. ALIO tranſire cogunt.* Inde rationes hujus conſilii ita refert: *Ejus rei multas afferunt cauſas: ne asſiduâ conſuetudine capti ſtudium belli gerendi agriculturâ commutent: ne latos fines parare ſtudeant, potentioresque humiliores poſſeſſionibus expellant: ne accuratiùs ad frigora atque æſtus vitandos, ædificent: ne qva oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones diſſenſionesqve*

 naſcun-

naſcuntur: ut animi æquitate plebem contineant, quum ſuas quisque opes cum potentisſimis æquari videat. Nec diverſum hinc eſt qvod ex Tacito modò attulimus: Nam & ille addit: *Arva per annos mutant, & ſupereſt ager: nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomaria conſerant, & parata ſeparent, & hortos rigent. Sola terræ ſeges imperatur.* Qvæ proinde arva non fuêre ſingulis propria, ſed ſolùm cultura injuncta. Idemqve ſpecialiter de Suevis refert Cæſ. *de B.G. lib. 4. cap. 1. Suevorum gens,* ait, *eſt longè maxima & bellicoſisſima Germanorum omnium: Ji centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis ſingula millia armatorum, bellandi cauſâ, ſuis ex finibus educunt: reliqui domi manont; PRO SE ET ILLIS COLUNT. Hi rurſus invicem anno poſt in armis ſunt; illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio neque uſus belli intermittitur; ſed NB. PRIVATI ET SEPARATI AGRI APUD EOS NIHIL EST; neque longius anno remanere uno in loco, incolendi causâ, licet: &c.* En exempla domeſtica in ipſo ſtatu & civitate populari, ubi ſinguli nihil proprii, & in ſuo patrimonio habuerunt, ſed omnia fuêre populi, & in populi patrimonio; atqve adeò publica omninò, non privata. Quemadmodum inprimis Suevorum populus 100. pagos in patrimonio habuit; ſinguli nihil: atqve hoc patrimonium omnino fuit publicum non privatum. Ut adeò non opus ſit ex Indiæ, & Africæ regnis exempla fingere,

gere, cùm domeſtica vera & illuſtria præſtò ſint,

15. Enimverò, quod populus, ejusve Magiſtratus eſt in ſtatu populari, id Rex eſt in Regno, ut demonſtravimus *ſup. cap. 11.* Eſto igitur regnum, in qvo cives nihil proprii habeant, ſed omnia ſint Regis, certum eſt, non eſſe ea in dominio, ſeu in patrimonio Regis privato, ſed publico, id eſt, in patrimonio regni, adeoqve Regis, quâ Regis, ſeu qvâ regni caput eſt, & regnum repræſentat; ut in populari civitate Magiſtratus populi rempubl. & in qvolibet collegio is qvi ei præeſt, ſuum corpus; v.g. Duumviri ſeu Conſules Senatum: quapropter rectè dicitur in *l. 6. §. 1. ff. Quod cuj. univ. Parvi refert, ipſe Ordo elegerit, an is cui Ordo negotium dedit:* & inde tum concluditur, *videri ab Ordine electum, qvem DuumViri, quibus à Decurionibus id commiſſum, elegêre.* Longè verius ergo de Rege, cujus ſumma in civitate ſeu regno poteſtas eſt, dicitur, nihil intereſſe, bona in patrimonio Regis an Regni eſſe dicantur, & qvod Rex ex Regia poteſtate agit, ab omnibus actum videri. Ita ex vero dixit Cicero, *lib. 1. Offic. propè fin. Eſt proprium munus Magiſtratus, intelligere ſe gerere perſonam civitatis, debereqve ejus dignitatem & decus ſuſtinere, ſervare leges, jura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe.* Et maximi Imperatores id inprimis in gloria poſuerunt, & jactârunt, ſe rem populi gerere, non propriam. Ut Dio Caſ-

 ſius,

ſius, Vir Illuſtris & Conſularis, Præfectus Africæ, Dalmatiæ, & Pannoniæ, de Marco Antonino, qvem omnium Principum optimum prædicat, teſtatur, eum in Senatu dixiſſe: *Omnia Senatùs populiq; Romani eſſe; Se in iis* (qvæ publica ſunt,) *nihil proprii habere lib. 71. in vita M. Anton.* Et Spartianus *in vita Hadr. cap 8.* ait de Hadriano Imp. *Eum & in concione & in Senatu ſæpe dixiſſe: Ita ſe remp. geſturum, ut ſciret populi rem eſſe, non propriam.* Idqve perpetuum eſt in Jure, ut qvicqvid publicum eſt, dicatur eſſe populi, vel in patrimonio populi. *l. 14. princ. ff. de Adq. rer. dom. l. 1 in fin. princ. l. 6. §. 1. ff. de Diviſ. rer. §. 2. de Inutil. ſtip. l. 6. princ. ff. de Contrah. emt. l. 15. ff. de Verb. ſign. l. 2. §. 2. ff. Ne quid in loc. publ. &c.* Nec aliter res concipi poteſt: neque ulla gravior pugna foret, quàm qvod publicum eſt non eſſe populi, ſed in dominio ſeu patrimonio privato: cùm verbi qvoqve notione unum idemqve ſit, *populi* & *publicum* eſſe; qvippe qvod à *populo* dicitur, qvaſi *populicum*, & contractum in *poplicum*, (qvomodo & à qvibusdam ſcribitur) uſu in *publicum* emolluit.

16. Patet itaqve qvod primum *ſup. §. 7.* aſſeruimus, his regnorum exemplis, etſi darentur, non doceri, ea eſſe in patrimonio privato; ſed, perinde ut in cæteris omnibus regnis & civitatibus, eſſe Regis, ut Regis, qvi regni ſui perſonam ſuſtinet. Sed non magis alterum, qvod diximus, hæc exempla probant, dari hujusmodi regna,

regna, in qvibus cives nihil proprii habeant, nihilqve ad heredes ſuos transmittant. Qvicqvid enim hac de re narratur, nec de omnibus civibus, ſed de ruſticis & agricolis; nec de omnibus bonis dicitur, ſed de terris ruſticis ſeu fundis. Et ſumma omnium eſt, terras non eſſe eorum qvi colunt, ſed Regis; adeoqve ruſticos in his regnis non tenere terras ſuas jure proprio, ſed jure colonario perpetuo.

17. Ita Ægyptiis Joſephus, terris eorum emtis, dicitur ſemina dediſſe, & juſſiſſe ut agros ſererent. *Gen. 47. v. 23. & 24. Accipite,* inquit, *ſemina, & ſerite agros, ut fruges habere poſſitis.* Fuêre ergo illi, à quibus terras emit, ruſtici & agricolæ, qui ſerendæ & colendæ terræ operam dedêre. Inde ergo non ſequitur, non etiam fuiſſe alios cives, qvi alio vitæ genere quàm agricIturâ, ſe exhibuêre, in Ægypti urbibus, Regis aulâ, & regni miniſteriis, domi militiæqve; prout in hiſtoria Moſis perpetuò ſeorſim referuntur populus, & miniſtri Regis: *Exod. cap. 9. & ſeqq.* & ipſius Joſephi dominus, Pothiphar, dicitur fuiſſe *Magiſter militiæ, Princeps exercitus, Dux militum. Gen. c. 37. v. ult. c. 39. v. 2. c. 41. v. 12.* Et deinde, venditâ dudum terrâ, omnes Seniores domûs Pharaonis, & cuncti Majores terræ Ægypti, id eſt, Primates regni, comitati dicuntur Joſephum ad exequias Patris. *Gen. 50. n. 7.* Quos regni Principes nihil pro-

proprii, nullas domos, &c. habuiſſe, nullibi probatur: Sed contrâ, cùm Moſes, ingentem tempeſtatem minatus, monuiſſet Regem, ut qui res, ſervos, jumenta in agris haberet, in ædes abduceret; *Exod. 9. v. 18. 19.* additur, *v. 20. 21. 21. Regis miniſtros, qui animum ad verbum Domini adverterunt, recepiſſe ea in ædes; reliquos vero contumaces omnia perdidiſſe.* Habuêre igitur & ſervos ſuos, & jumenta propria, ædesque in quas recipere poſſent; & ſic veriſimiliter etiam Prætoria ſua in agris,

18. Deinde, non tantùm præter agricolas illos, qui terras ſuas vendidère Regi Ægypti, fuêre, ut diximus, etiã alii cives primarii, qvos nihil ſuum habuiſſe, nullibi traditur; ſed & ipſos illos ruſticos nihil proprii habuiſſe ullatenus ſeqvitur: non enim dicitur, illos bona ſua omnia tum vendidiſſe, ſed terras ſuas, & anteâ pecora: *Gen. 47. c. 17.* habuiſſe autem eos deinde adhuc propria bona in patrimonio ſuo non dubium eſt: nam & omnes fructus terrarum, exceptâ qvintâ, qvam pro cenſu Regi pependerunt, jure proprio & perpetuo ſibi acqviſiverunt. *Gen. cap. 47. v. 24.* ubi Joſephus ait: *Qvintam partem Regi dabitis; quatuor reliquas permitto Vobis in ſementem, & in cibum, familiis & liberis veſtris*: Qvemadmodum Coloni fructus percipiendo ſuos faciunt, & domini eorum perpetui fiunt. *l. 26. §. fin.* l. *61. §. pen. ff. de Furt. §. 36. in fin. ff. de Rer. div.* Præterea, cùm Moſes præſagiret plagam locuſta-

ſtarum, ait: implebuntur iis non tantùm ædes Regis, ſed & *αἱ οἰκίαι τῶν θεραπόντων σου, καὶ πᾶσαι αἱ οἰκίαι ἐν πάσῃ γῇ τῶν Αἰγυπτίων: Omnes ædes miniſtrorum tuorum, & omnes ædes in omni terra Ægyptiorum.*

18. Maximê verò, qvàm locupletes, etiam poſt hanc venditionem, fuerint Ægyptii, inde patet, qvòd juſſi Hæbræi, ut vir ab amico, mulier à vicina, vaſa aurea & argentea, & veſtem commodatò peterent; *Exod. 11. v. 2. & 3.* illa commodata ab Ægyptiis acceperint, ſecumqve abſtulerint: qvod in tantà hominum multitudine, in qua virorum ſaltem, reliqvis non computatis, 600000. fuère, *Exod. 12. v. 37.* incredibilem auri argentiqve & veſtium numerum confecit & confeciſſe oportuit; quippe qvod fuit loco mercedis, pro 100. ampliùs annorum operis durisſimis, injuſta vi exactis & extortis, debitæ: id enim dudum Abrahamo ita prædictum à Deo promiſſumqve fuerat, liberos ſuos longâ ſervitute preſſos, inde egreſſuros eſſe cum magnis divitiis. *Gen. 15. v. 14.* Unde patet qvam immenſa opum ac divitiarum vis & copia fuerit, quà abundârunt Ægyptii, etiam poſt prædictam venditionem terrarum; tantum abeſt, ut nihil proprii habuerint.

19. Minus adhuc reliqua exempla probant, dari regna quæ in patrimonio Regis ſint, & quorum ſubditi nihil proprii habeant; eademque errandi cauſa fuit: in regno Indiæ enim Strabo,

ex

ex quo illud affertur, cùm ſeptem incolarum ordines, & inter eos unum τῶν γεωργῶν, *ruſticorum* ſeu *agricolarum* feciſſet, tantummodo de horum terris inquit, quòd ſint χώρη βασιλική, *regalis regio*, ipſique eam colant quartâ fructuum. Tres partes ergo ipſi ſibi acquirunt, & jure proprio dominii percipiunt. Ex ipſa ergo inſpectione apparet, nec aſſerere id Strabonem de omnibus Indiæ incolis, ſed de ruſticis: nec de omnibus bonis, ſed ruſticorum terris. Minimè omnium autem fabula de regno Congi refelli meretur, cujus nemo autor, nedum fide dignus adducitur: &, licèt omnia vera eſſent, nihil tamen minùs inde efficitur, quàm id eſſe in patrimonio unius regis: quæ jam abunde explanata ſunt.

20. Nec opus eſt, ex alio orbe arceſſere talium ruſticorum exempla, cùm vernacula ſint in Imperio & Germania: nam & in Jure communi dicitur: *Agricolarum alii ſunt adſcriptitii, & eorum peculia dominis competunt: alii verò tempore annorum 30. coloni fiunt, liberi manentes cum rebus ſuis: & ii etiam coguntur terram colere & canonem præſtare. Hoc & domino & agricolis utilius eſt. l. 18. C. de Agric. & cenſ. & colon.* Unde patet, in Imperio Romano Agricolas, præter eos qui veri fuère ſervi, (quales hodie ampliùs non ſunt) fuiſſe colonos, liberos cum rebus ſuis, adeoque res proprias habuiſſe, & terras quidem dominorum fuiſſe cùm cenſu, fructus ipſorum. Idqve jure ab utilitate commendatur. *d. l. 18. in fin.*

Hinc

Hinc integri de talibus Colonis, Palæſtinis, Thracenſibus, Illyricanis, &c. tituli in *lib. 11. C. tit. 49. & ſeqq.* Neqve tamen inde ſeqvitur, Imperium fuiſſe in patrimonio Imperatoris. Sed & hodie plurimis in locis Europæ & Germaniæ talis eſt ruſticorum colonaria conditio, & inter eos notum nomen Wiltfangiorum, ſono quidem illud aſperum, re autem mitior in multis eorum conditio quàm reliqvorum.

21. Unde patet, quàm procul ab omni juris ſenſu abeat B. Dn. de Puffendorff. *ſup.* §. *6.* qui eò delabitur, ut aſſerere haut dubitet, in ſuo conficto regno patrimoniali, *agricolas, quin omnes cives, ſua non alio jure tenere, quàm quo ſervi olim ſua peculia, ſic ut merè precaria ſit eorum poſſeſsio, & revocabilis qvandocunque viſum fuerit.* Atque ita comparat, ſeu confundit, cives regni cum ſervis & mancipiis privati domini; civium omnia bona cum ſervorum peculiis: peculia ſervòrum cum precario: qvin mortuos cum vivis: qvia ſervi pro mortuis habiti. *l. 209. ff. de Reg. Jur. l. 32.* §. *6. ff. de Don. int. vir. l. 59. in fin. ff. de Cond. & dem. Nov. 22. cap. 9.* Qvid vero magis ἀλογίςως & inconcinniùs excogitari potuit, qvàm tam malè ſculpta effigies civitatis & regni, cujus cives ipſo jure gentium nec vivorum quidem, *dd. Ll.* nec hominum numero, *arg. l. 4. verb. cum jure naturali omnes liberi naſcerentur. &c. ff. de Juſt. & jur. l. ult. verb. Tria enim ſunt &c. ff. de Cap. min. l. 32. ff. de Reg. Jur.* nec pro membris ſocietatis humanæ, §. *1. de Jur. nat. l. 9. ff. de Juſt. & Jur.* nedum civitatis, habiti; ſed

ſed ab utraqve quaſi exules & extorres, nec juris Gentium participes, §. 4. *de Cap. min. l. 3. in fin. ff. eod. tit. l. 22. princ. ff. de Reg. Jur.* & quaſi nullius, *d. l. 22.* & pecudibus lege exæqvati fuerunt; *l. 2. §. 2. ff. Ad. L. Aquil.* adeò ut ipſi, etſi naturâ homines, in hominum commercio fuerint, uti pecudes & res inanimatæ, quæ cum fructibus hominum cauſâ à Natura conditæ ſunt, atqve ideò naturâ homo non magis in hominis commercio quàm in hominis fructu eſſe poteſt. § 37. *de Rer. div. l. 28. §. 1. ff. de Uſur. l. 68. princ. ff. de Uſufr.*

22. Quid verò ἀδοξότερον in jure videri poteſt, quàm comparatio illa peculii ſervorum & precarii, qvod in ſervos ne qvidem cadit: *d. l. 22. ff. de Reg. Jur.* & unde accipiens ſibi adqvirit; non ſervus ſibi ex peculio: nec ulla re conveniunt peculia ſervorum & precaria. Quæ adeò in oculos incurrunt ut iis immorari ſit operam ludere.

23. Illud quoque, quòd hominem quendam fingit, *qui primus omnimodum dominum terræ adquiſiverit, & ſic ſibi ipſi cives fecerit, vid. ſup.* §. 6. neſcio, (quod nullo viri Illuſtris præjudicio dictum velim) an commentum hoc procul diſtet à fabula de Centauris nubigenis: certè nimis vagum id eſt quàm ut quod in quæſtione eſt, inde ſubduci queat. Quid enim? Qualis ille, qui tantum terræ tractum occupavit? Princeps, an privatus? Solus an cum hominum manu?

Et

Et terra illa occupata, qualis? Vacua & nullius, an alterius? Si hoc; privati, an populi? &c. Quodſi Princeps cùm Principe vel populo bellum gerat, imperium in populum victum jure belli acquiritur, non dominium in res ſingulorum, qui qvaſi in puncto temporis, quo victi ſunt, ex hoſtibus fiunt ſubditi. *cap. ſeq.* §. 5. Si terra vacet, omnium par jus eſt ejus occupandæ; &, ſi populus liber ſit qui occupat, libera civitas erit, ac in publico omnium, non in unius patrimonio: ſi privati, ac tuendæ occupationi pares ſint, per eam terra fiet omnium communis, & in patrimonio privato omnium, &, ſi tum animus ſit conſtituendæ inter ſe civitatis, nec alia cauſa quæ facultatem eam ipſis neget, erit tum terra in publico patrimonio hujus civitatis ſeu populi, nullo verò horum caſuum in patrimonio unius privato. Quod ſi unus privatorum prior ingreſſus fuerit terram, nondum eam hoc facto occupavit; non magis quàm Nauta, qui vaſtum mare ſolus navi ingreditur: eſt enim *occupare*, in poteſtatem ſuam redigere, ita ut alios inde arcere poſſit; quorum aliàs par ingrediendi jus eſt. Denique, ſi terra non vacet, privatorum occupatio injuria mera, & prædonum invaſio erit, ſeu nefanda deprædatio. Adeò nihil eſt, in qvo hujusmodi crudæ & immaturæ cogitationes, mero arbitrio confictæ, figere quaſi pedem poſſint!

O 24. Hob-

24. Hobbeſii os nihil moror, qui omnia Regna patrimonialia aſſerens, ubiqve publicum patrimonium regni cum privato Regis; dominium privatum & profanum cum ſumma imperii ſanctimonia; Sacram Regiam poteſtatem cum cujusqve hominis, etiam infimi, in res ſuas jure; eâdem fronte, quâ ipſum jus cum injuria, confundit, & ſumma Imperiorum ſeu Regnorum Majeſtate ac reverentiâ in infimam rerum privatarum & profanarum claſſem abjectâ atqve detruſâ, id qvod poſt Deum in terris ſanctisſimum & Deo proximum, qvin Numinis ejus vicarium eſſe vidimus, *ſup. cap. 3. §. pen.* peſſimo omnium & nefario oſtracismo ac ſacrilegio ex hominum ſocietate, qvin é rerum natura, qvà per ipſum ſtat, exterminat atqve eliminat. Neqve id adeò mirum in homine, qvi omnis Juris penitùs ignarus ac rudis, omnique ejus cognitione deſtitutus, ne nomina qvidem Juris ac injuriæ intellexit, ſed peſſimum in modum commiſcuit. Cujus rei ac deteſtandi abuſûs, qvi & hodie apud homines à Jure neutiqvam inſtructos invaluit, ſtricturam paulò acriorem, ignoſci mihi ac boni conſuli oro & obteſtor.

25. Qvid enim indignius, quàm ex Rege privatum; ex regno ejus villam; ex urbe domum; ex civibus operarios; ex territorio ſublimi prædium ruſticum; ex civitate familiam facere, eoq; omnem dignitatem, fomitem & precium virtutis, & quam nullam naturà in re privata eſſe,

Salu-

Saluſtius *in Catil. c. 12.* rectè ſentit, è vita civili, qvin è rebus humanis everrere. Et qvis porrò non indignetur, homines adeò ab omni Juris ſcientia denudatos & alienos, jus tamen invadere, imò condere velle, & talia portenta fundere, abortusqve projicere?

26. Atqve hæc hactenus ſatis de prima civitatum ſpecie, qvæ à Natura eſt, & vernaculam reip. naturalis ideam ac formam, ex Gentium qvoq; ſententia, refert; eaq; una, immediata, ac libera eſt civitas & reſp. ſub qvocunqve ſit Magiſtratu ſeu Regno. Quâ jam abundè demonſtratâ, prona via eſt ad alteram ſpeciem.

CAPUT XIII.

De Civitate immediatâ & non liberâ; alterâ ſpecie.

SUMMARIA.

1. Reliquas duas civitatum ſpecies è bellis natas, & ex duabus civitatibus, antè liberis, congregatas eſſe.

2. Civitas bello victa, eoq; jure gentium in ſervitutem publicam redacta, fit acceſſio civitatis ſuperioris.

3. Et ita coaleſcit eum ſuperiore in unum corpus civitatis, ut una ſit civitas, & una reſp.

4. Demonſtratur, civitatem victam eſſe immediatam, &

unam & ſimplicem remp. in qua unum idemqve omnium ex æqvo commune bonum eſt; ſed ex duabus civitatibus conflatæ ſunt, qvas antea utrinqve liberas fuiſſe oportuit; cùm aliàs inter eas juſtum bellum, qvo altera victa & ſubjugata eſt alteri, eſſe non potuiſſet; quippe qvod non eſt niſi inter civitates liberas. *l. 24. ff. de Capt. & poſtl. rev.* nec aliter illud ſervitutis publicæ effectum jure Gentium contra Naturam pàreret.

2. Illa igitur primigenia & pulcherrima reip. facies naturalis aliquatenus immutatur Victoriâ & bellicâ occupatione, ac deformatur qvodammodo, victâ libertate, in ſervitutem publicam: qvia populus liber, ultimâ victoriâ ſubactus, deſinit eſſe in ſua poteſtate, & totus jure Naturæ & Gentium tranſit in poteſtatem Victoris: de quo latè *Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. 8. & cap. 15. per tot.* Unde duo naſcuntur civitatum genera: qvædam enim in eo ſtatu ſervitutis publicæ relinquuntur; qvædam autem libertati, beneficio *Αὐτονομίας*, à Victore reſtituuntur. De priore ſpecie *hoc cap.* videbimus.

3. Ea eſt, cùm civitas libera bello ab alio populo libero devicta, in victoris poteſtatem & ditionem tranſiit, ejusqve imperio ſubjecta fuit. de qva dictum *ſup. cap. 8. §. 7. & ſeqq.* Qvâ ſubjectione jure gentium ita alterata eſt priſtina ejus conditio ac libertas, ut jam illa civitas non ampliùs ſit, prout antè fuit, res populi victi,

ſed res Victoris. Etſi ergo ante belli exitum duæ fuerit diverſæ civitatis liberæ, noviſſimâ tamen victoriâ, vel deditione, quâ altera in alterius poteſtatem redacta eſt, concrevêre in unum corpus civitatis, qvod totum eſt in patrimonio publico ſolius Victoris, non utriusque: nec ulla pars ejus in patrimonio publico victi, cùm populus victus, publicâ ſuâ libertate armis exutus, deſierit habere ſuam rem publicam, & ſubjectus ſit imperio ſeu rei publicæ Victoris; uti privatus, in ſervitutem datus, deſinit habere ſuam rem privatam, & ſubjicitur dominio alterius. §. *2. de Jur. perſ. l. 4. §. 1. ff. de Stat. hom.* Unde hujusmodi civitates, intuitu Superioris, habentur privatorum loco. *l. 15. l. 16. l. 17. ff. de Verb. ſign.* Non eſt igitur niſi una civitas, & una res publica, quæ componitur ex populo victore ſeu imperante, & populo victo ac alteri ſubjecto: licèt enim terris diviſi ſint, eo tamen non dividitur corpus civitatis: qvemadmodū ipſa civitas libera ſeu ſuperior ideò una eſſe non deſinit, qvòd terrarum ſpaciis diviſa, atqve in plures urbes, & qvaſi habitationes, diſtincta ſit, ut vidimus *cap. 9. §. 4. & ſeqq.*

4. Unde jam ſeqvitur, civitatem armis victam jure gentium immediatè fieri partem civitatis cui acceſſit, membrumqve ejus immediatum, etſi non æqvo jure illi unita ſit. Qvod inde primùm patet: qvia una tantùm civitas eſt, *per* §. *3.* adeoqve omnes ejus partes unius civi-

tatis

tatis immediata membra; quippe ex quibus totum civitatis corpus immediatè componitur: totum enim unius generis eſt id, qvod ex partibus ejusdem generis conſtat, atqve hæ partes immediatè conficiunt & conſtituunt ſuum totum. Præterea, populus victus non eſt ampliùs per ſe civitas, ſed unicè pars alterius. Ergo non poteſt intelligi civitas mediata qvæ per ſe nulla eſt: immediata autem civitas dicitur, non qvòd ipſa qvoqve ſit per ſe civitas, ſed quia per eam nihil aliud intelligitur qvàm pars alterius civitatis; eodemqve ſenſu civitas dicitur, qvo & ſuperioris civitatis partes, regionibus vel urbibus diſtinctæ, civitates dicuntur. *ſup. d. cap. 9. §. 4. & ſeqq.* quæ ratione ſuperioris privatorum numero habentur. *d. l. 15. 16. & 17. de V. S.* Porrò, civitatis, cujus tota forma conſiſtit in libertate publicâ, *ſup. cap. 6. §. 1. & ſeqq.* hâc jure armorum ademtâ, amiſit cum eâ propriæ civitatis ſpeciem, & cepit formam ac ſpeciem meræ partis, aliâ civitate ſuperiore comprehenſæ. Itaqve ut reliqvi privati civitatis ſuperioris cives eidem immediatè ſubjecti ſunt; *ſup. cap. 8. §. 4. & cap. 9. §. 8.* ita & civitas victa: qvia & illa ei jure belli ſubjecta, & privatorum loco eſt. *d. l. 16. ff. de Verb. ſign.* Enimverò, cùm ante debellationem illa indubitatò fuerit libera, eoqve immediata civitas, per tradita *d. c. 8. §. 4. & 5. & d. c. 9. §. 8. & 9.* victoriâ noviſſimâ autem cum omni hoc ſuo ſtatu ceſſerit

victori; idem nunc erit ſtatus ejus immediatus in ſervitute, qui fuit antè in libertate; ita ut, quæ anteà liberæ hujus civitatis membra fuêre immediata, jam talia ſint civitatis ſuperioris: quia omne illud jus publicum civitatis, qvod antè fuit in populo victo, jure victoriæ cum omni ſua conditione & ſtatu publico tranſiit in populum victorem; idemqve adeò ipſi jam eſt civitas ſuperior, qvod antè fuit propria; eademqve in jure ac ſtatu publico conditio: ut, qvemadmodum pridem cives immediatè vixerunt ſuæ civitatis legibus; ita nunc immediatè legibus ſuperioris: nec minùs nunc ſint membra immediata ſuperioris civitatis, quàm antea ſuæ; quippe cùm hæc tota jure belli in illam transfuſa, eiqve qvaſi, ut loqvuntur, incorporata ſit. Deniqve, cùm debellata civitas non habeat ampliùs rationes à victore ſeparatas, qvantum ad jura publica civitatis, nulla eſt civitatis ratio intermedia, cujus intuitu illa mediata videri poſſit; uti eſt in tertia ſpecie, qvæ hoc unicè reſpectu mediata dicitur; *de qua cap. ſeqq.*

5. Cæterùm, ut jam ſæpiùs monuimus, hæc eſt victæ civitatis conditio ratione ſtatùs ſui publici; qvia noviſſimâ victoriâ non niſi libertas publica tollitur, & qvædam ſervitus publica hactenus inducitur, ut jam non poſſit populus ìte ex ſua voluntate & lege bonum civitatis ſuæ publicum conſtituere, ſed à Victore legem acci-

accipiat. At ſingulorum civium libertas privata jure victoriæ non tollitur; niſi & bello vel prælio capti, aut alio ex caſu ſervi facti fuerint: ut dictum *ſup. cap. 2. in fin.* Etenim etſi tota gens bello victa ſit, non tamen omnes bello capti ſunt. Publica libertas bello victis ablata eſt; privata, bello captis. Enimverò gens per victoriam ultimam debellata in momento qvaſi victoriæ tranſit tota in poteſtatem & imperium Victoris, adeoqve exuit cum libertate publica hoſtem, qvippe qui eſſe neqvit niſi populus liber. *l. 24. ff. de capt. & poſtl.* Exinde igitur cives nec ampliùs occidi, nec in ſervitutem redigi jure belli poſſunt, qvod cum ultima victoria expiravit; ſed, niſi antè, & ſcil. vel ultimo vel ſuperioribus præliis capti fuerint, manent ac tuendi ſunt cum bonis ſuis in eo ſtatu privato, qvo tum ſunt: quia in iſto momento ex hoſte fiunt cives & ſubditi, & Princeps Victor ex hoſte Magiſtratus legitimus, cujus eſt tueri cives, non occidere, non in ſervitutem trahere, ſpoliare &c. ſed imperium jam, & jus pacis non belli in eos exercere. Ita apprimé ad rem Cicero, *lib. 1. de Offic. poſt princ. Partâ victoriâ,* inqvit, *conſervandi ſunt ii, qui non crudeles in bello nec immanes fuerunt.* (cum his enim non jure hoſtium, ſed reorum agitur; nec vis iis infertur, ſed pœna.) Et mox ſubjungit: *Hanc juſtitiam à Romanis ita cultam fuiſſe, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepiſſent, earum*

rum Patroni eſſent more Majorum. Vid. inf. cap. 13. §. 5. Diſp. de Jur. Vict.

6. Hoc maximè declaratur exemplo dedititiorum, qui liberi tamen fuère, etſi eorum peſſima omnium eſſet conditio: *§. fin. de Libertin.* quia non tantùm gens & civitas, ſeu id qvod publicum eſt, ſed & ſinguli homines, & res ſingulæ dedebantur. Id notabiliter *Polyb. in Excerpt. Legat. cap. 142.* docet, & rem ita exponit: Οἱ γὰρ διδόντες αὑτοὺς εἰς τὴν Ῥωμαίων ἐπιτροπὴν, διδόασι πρῶτον μὲν χώραν τὴν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς, καὶ πόλεις τὰς ἐν ταύτῃ. Σὺν δὲ τούτοις ἄνδρας καὶ γυναῖκας, τοὺς ὑπάρχοντας ἐν τῇ χώρᾳ καὶ ταῖς πόλεσιν ἅπαντας. ὁμοίως ποταμοὺς, λιμένας, ἱερὰ, τάφους συλλήβδην. ὥστε πάντων εἶναι κυρίους Ῥωμαίους. αὐτοὺς δὲ τοὺς διδόντας ἁπλῶς, μηκέτι μηδενός. i. *Qui ſe dedunt in Romanorum arbitrium, dedunt primùm regionem, quæ eorum fuit: & urbes in ea. Cum his verò viros & fœminas, exiſtentes in regione & urbibus omnes: ſimiliter fluvios, portus, ſacra, monumenta in univerſum; ut Romani omnium eſſent κύριοι: dedentes ſe verò nullius ampliùs.* Ita Campani, cùm à Samnitibus bello preſſi, ſubjicere ſe Romanis vellent, nec hi eos ideò reciperent, qvòd ſocietas ſibi cum Samnitibus eſſet, ſe in deditionem Ipſis obtulerunt, hac formulâ: *Quandoquidem noſtra tueri adverſus vim atque injuriam juſta vi non vultis; veſtra certè defendetis. Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanaque omnia, in veſtram, Patres conſcripti,*

ſcripti, Populique Romani ditionem dedimus; quicquid deinde patiemur, dedititii veſtri paſſuri. Liv. lib. 7. cap. 31. Qvæ formula ferè reſpondet Polybianæ, qvâ Carthaginienſes ſe dedere compulſi fuerant.

7. Quod igitur Polybius ait; πάντων εἶναι κυρίους Ρωμαίους: non poteſt intelligi de dominio privato, etſi textus illius verba ita verti ſoleant; *Romanos fieri omnium dominos:* Κυρίου enim vox magis honoris & imperii, ſeu publicæ autoritatis & poteſtatis eſt, ut in *l. fin. ff. de Colleg. & Corp.* Privati autem domini Græcis propriè dicuntur rerum ſuarum δεσπόται, & res qvæ dominum privatum non habent ἀδέσποτα. & ita in formulâ Liviana diſertè dicitur, *in ditionem dedi.* Fuêre igitur dedititii quoque liberi; nam & veri ſervi ex manumisſione dedititii fieri ſolent, & inter tres liberorum hominum ſpecies numerantur dedititii, & ultima libertatis ſpecies deditia dicitur; *in d. §. fin. de Libertin. l. fin. de ſucceſſ. lib. Rubr. & l. un. C. de dedit. libert. toll.* Etſi manumiſſores iſti ita libertatis hujus beneficium attenuare & accidere ſoleant, ut parùm diſtaret à ſervitute. Unde & Imp. eam differentiam ſuſtulit, & omnes manumiſſos pariter liberos eſſe voluit. *d. §. fin. de Succ. lib. & d. l. un.* Hodie verò inter Chriſtianos ſervitutem privatam è bellis ſublátam ferè eſſe vulgatum eſt.

8. Omnino ergo, & multò magis poſt victoriam, ſinguli bello non capti liberi manent. Neque enim ſinguli ita ex formula deduntur; neqve

que propriè bellum vel belli jus eſt cum ſingulis de dominio privato, ſed cum populo ſeu Rege de Imperio. *l. 24. ff. de Capt. & poſtl. rev.* Populo igitur ſeu Rege victo ac debellato, per victoriam id quod populi ſeu Regis fuit, ſcil. Imperium quod habuit, tranſit in poteſtatem Victoris, non jus ſingulorum. Quæ res plurimum lucis & fœnerat orationi Scipionis Majoris, & vicisſim inde mutuatur: qui Syphace, Numidarum Rege, victo & pariter capto, Maſiniſſam ita alloquitur: *Syphax P. R. auſpiciis victus NB. captusque eſt: itaque ipſe, conjux, Regnum, ager, oppida, homines qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani eſt.* Atqui Syphacis non fuerat dominium privatum rerum ſingularum, ſed imperium & ſumma poteſtas. Igitur ex victoriâ populo R. ſaltem imperium in prædam ceſſit; ſed ex captivitate, cùm ipſe Syphax ejusque conjux capti quoque eſſent, illi cum cæteris bello captis, etiam ratione perſonæ & ſtatus in ſervitutem privatam redacti fuere, & in dominium ac prædam victoris abierunt.

9. Neque tamen cum hac civitate miſcenda eſt illa, quæ non tantùm libera, ſed & civitas eſſe deſiit, & planè extincta atq; aratrum paſſa eſt: Illa enim nullam civitatis ſpeciem retinet, ut de Carthagine dicitur poſt tertium bellum Punicum. *in l. 21. ff. quib. mod. uſusfr.* A cujus conditione parum abfuit Capua, poſt defectionem

nem ad Annibalem à Romanis recuperata. *Liv. lib. 26. cap. 16.* Hic enim agimus de civitate, quæ in publicam quidem ſervitutem deducta, non verò quæ deleta eſt.

10. Hinc verò jam perſpicuè demonſtrantur ea, quæ de hujus civitatis bono publico ejusque rationibus *ſup. cap. 8. §. 9. 10. & 11.* expoſita ſunt. Scil. jam non ipſam, ut antè, de ſuo bono publico ſtatuere, & legem dicere, ſed Victorem. *d. §. 9.* Et hunc quidem intueri bonum publicum totius Univerſitatis, quæ ex victoribus & victis conſtat, ſed ut bonum proprium Victoris; cujus maximè intereſt, provinciasquoque victas valere, florere, abundare opibus & rerum copiâ; non ſui, ſed illius causâ. Victor ergo de bono communi omnium ita leges & ſibi facit, & victis imperat, non ut his, ſed ut ſibi conſultum, & ad ſui populi liberi ſalutem publicam vitamque beatam conducere viſum eſt. Quarum arbitrio & victi ſtare inviti quoque coguntur, & quicquid in ipſorum provincia devicta roboris, virium, & copiarum eſt, victoris bonum publicum eſt, eique pecuniarum omnium illa rationes reddit. *Greg. Tholoſ. de Republ. lib. 7. cap. 19. §. 9.*

11. Unde patet, civitatem victam, etſi, ut diximus, ſit immediata pars ſuperioris, magis tamen ei accedere, ut inſtrumentum & miniſteriũ, quàm ut ex æquo membrum: non in partem ſeu communionem publicæ rei, ſed in ſubſidium:

nec

nec ad participiandum bonum illud ut ſuum, ſed ad ſuſtinendum & fulciendum, ut alienum: ſic tamen ut cùm onus hujus boni, prout è re Victoris eſt, conſervandi, tum quæ ex illius, ita ut dictum ſpectati, rationibus in publicum redundat utilitas, utrique communia ſint; imperium verò, & quæ eo pertinent, ſuperioris: *d. c. 8. §. 11.* quo tamen omnino & illud continetur, ut curato primùm & principaliter bono publico populi liberi ſeu victoris, tum deinceps eo ſalvo legiſlator non minùs proſpectum eſſe velit provinciis bello victis. *d. c. 8. §. 10.*

12. Talis itaque civitas non libera iisdem legibus utitur, quibus altera, quæ libera & ſuperior eſt. Sed hoc intereſt, quòd ſuperior civitas iis utatur ut ſuis, victa ut alienis: illa ut ſuâ causâ, & ex ſuo bono ac voto latis; hæc alterius: illa jure libertatis, hæc ſervitutis: quia bonum illud publicum, cujus causâ leges feruntur, eſt populi Victoris, non victi. Ejus ergo jus eſt, cujus causâ, cujus bono, & cujus adeò ex voto id conditum eſt; ſcil. ejus qui in libertate ſua vivit, ut victor populus; non ejus, qui in ſervitute, ut victus, quia is alterius cauſæ, bono, & voto ſervit, & ex publico civitatis jure nihil ſui habet; ſed, ut in privatis omnia domini ſunt jure dominii, nihil ſervi; ita in publicis omnia victoris jure imperii, nihil victi. Unde, victus Regni & Regis rationibus cedit & ſervit, & omnia ex illius lege, ſententiâ, &

utili-

utilitate, agere debet, non ex ſuâ. Ita victæ provinciæ vigent, florent, militant, non ſibi, ſed Victori: & curſum non ſibi, ſed Victori ſecundum tenent, alteriqve ex publicæ ſervitutis lege immediatè velificantur.

13. Nec verò hoc mirum videbitur, quòd ex cauſis adeò invicem adverſis, uti eſt libertas & ſervitus, iidem effectus, eademque jura proveniant; atqve, cùm utriusque civitatis, victricis & victæ, cives, eidem Regi ac Regno, ejusdemque regni legibus immediatè ſubjecti ſint, & utrique, etiam inviti, iis perinde obligentur, alii tamen eorum in libertate, alii in ſervitute eſſe intelligantur. His enim omnibus ex prædictis facilè occurritur, tum qvia utrisqve commune eſt, legibus teneri; nec ea re ſervorum melior eſt conditio quàm liberorum: tum qvia non eſt reſpiciendum ad effectus, ſed ad cauſas: ex diverſis enim, quin & contrariis cauſis, iidem effectus oriri poſſunt; cùm naturâ, exemplo caloris & frigoris; tum jure, uti dominus omnes rei fructus percipit jure libertatis; fructuarius jure ſervitutis: qvin in juribus prædiorum concurrere in eosdem effectus poſſunt. Ita dominus & ſervus, ſeu dominus & procurator, paria facere poſſunt, ille ſuo jure, hi ex mandato, qvo pleniſſima facultas agendi concedi poteſt. *l. 60. §. fin. ff. Mandat.* Qvod innumeris jurium exemplis illuſtrari, & unà oſtendi poſſet, perſonatum Furſtenerium ideò à vero tantope-

topere aberrâſſe, qvòd, tot juribus invitis, ſolos effectus, non cauſas circumſpexerit.

CAP. XIV.

De Civitate mediata & libera, tertia ſpecie, ex autonomia.

SUMMARIA.

1. ORigo tertiæ civitatis, ex reſtitutione libertatis ſeu autonomiæ.

2. Hujus propriam eſſe remp. & corpus civitatis liberæ a ſuperiore diſtinctum, ſed ei ſubjectum.

3. Differt à priore ſpecie, quod hæc duplex maneat civitas.

4. Et civitas libera:

5. Differt ab utraque, quod ſit mediata, reliquæ immediatæ.

6. In mediata diſtingui triplicia jura & negotia.

7. Victorem proſpicere omnibus ſubjectis provinciis, non liberis & liberis, ſed illis ſui potiſſimum cauſâ, jure ſervitutis publicæ; his mutuo quodam jure ac fœdere: quod exponitur.

8. Jura & effectus mediatæ civitatis remiſſ. & tranſitus ad tractatũ de ipſa Antonomia, quâ omnia continentur.

Ex

§. I.

EX eodem bellorum capite fluxit tertia civitatis ſpecies; cujus ratio omnis ex duabus reliquis hactenus jam deſcriptis facilè intelligitur. Cùm enim jam expoſita illa ſervilis conditio, ex jure victoriæ nata, ut nimiùm triſtis, dira, & victis intoleranda; ita ipſis Victoribus nec tuta, nec honeſta, nec ſatis humana videretur, receptum eſt inter Gentes, & maximè hodie inter Chriſtianos, beneficium illud *Autonomiæ*, quo populo victo, & in ſervitutem publicam ex *rigore belli & lege victoriæ* ſubacto, *humanitate pacis* priſtina libertas & læta illa reip. imago, quam *ſup. cap. 9.* expresſimus, reſtituitur. Quo facto ipſi jam ſui quoque boni publici procurandi, ſuisque legibus vivendi & rem ſuam tuendi facultas indulta eſt.

2. Sic igitur civitas bello victa, ſed ſuæ libertati & autonomiæ reddita, recuperat propriam aliquam rempubl. eamque ſuo arbitrio & ſententiâ, atqve adeò in rem ſuam formare, ſuisqve legibus vegetare, munire, & corroborare, ut &, quàm optimè videtur, eidem conſulere legemqve dare poteſt. Manet tamen corpus reip. à repnbl. Victoris diſtinctum ac diviſum, ſed ita ei aggregatum ut ſummum ejus imperium in ſe agnoſcat, ejusqve ſcitis quoqve & decretis ſtare teneatur.

P 3. Con-

3. Convenit itaq; hæc civitas mediata cum alterâ immediatâ, quòd utraqve quidem ex duabus civitatibus primùm conflata ſit, & altera alteri jure belli ſubjecta: verùm eo inprimis differunt, quòd prior illa, ſeu immediata, non ſit ſeparata, ſed una cum altera civitas, & ei ejusqve fiſco quaſi incorporata: *ſup. cap. 13. §. 3.* é contrario verò hæc, ſcil. mediata, eſt à ſuperiore diſtincta civitas, & duplex quoqve reſp. quippe quam ſibi propriam ac peculiarem, & à ſuperiore diſcretam habet; etſi enim alteri ſubjecta, & hactenus in unum aliquod Univerſitatis corpus ſubjuncta ſit, ſuas tamen rationes à rationibus Victoris ſeparatas habet, easqve ad ſui boni publici regulam legemq́; exigit, alioq; jure & legibus propriis vivit. Hæc igitur, tametſi ſit civitas ſuperioris, non tamen ei incorporata, ſed ſui juris & libera eſt. De qua ſpecie actum fuit *cap. 8. §. 12. & ſeqq.*

4. Deinde inter eas id maximè intereſt, quòd hæc civitas libera ſit: *d. §. 12.* prior autem libertate publicâ, id eſt, ſui boni publici, ſuisq; adeò legibus vivendi facultate & arbitrio deſtituta, & armis exuta; unde nec propriæ civitatis bonique ſui civilis rationes publicas ſequitur, nec ſuis legibus utitur, ſed civitatis victricis; & ad hujus ſuperioris boni publici præſidium, non propriè ut pars civitatis liberæ, ſed magis ut inſtrumentum ejus concurrit; *ſup. cap. 13. §. 11.* nec populi victi res eſt talis civitas victa, ſed victo-

victoris; *d. cap. 13. §. 12.* nec adeò ſui boni publici beneficio, ſed ſuperioris civitatis fortunâ ac felicitate animatur; & illius magis quàm proprium ſpiritum animumque ducit: quæ omnia in hac altera ſecus ſunt. Verbo: illa in ſervitute publica vivit; hæc in libertate.

5. Igitur prima & tertia ſpecies ſunt civitates liberæ; altera non libera: liberæ ſuis legibus, ſeu, ut è re ſua videtur, vivunt; non libera, ut è re ſuperioris, & ipſius legibus. Rurſus duæ priores ſpecies ſunt immediatæ, *cap. 8. §. 4. & 7. cap. 9. §. 8. cap. 13. §. 4.* & utraq; una reſp. & civitas: prima ſcil. una per ſe & ſuâ naturâ, *ſupr. cap. 9. §. 5.* altera verò armis vel pactis ad unitatem redacta; *cap. 13. §. 3.* hæc tertia autem mediata, *d. cap. 8. §. 16. & ſup. §. 31.* & duplex. *§. præc.* Et hujus mediæ conditionis rationes hic & *in ſeqq. cap.* præcipuè & pleniùs excutiendæ ſunt.

6. In hac igitur civitate mediatâ diſtinguenda ſunt triplicia jura & negotia: *Alia* ipſius propria & peculiaria, & quæ adeò ad ſuæ provinciæ rationes ſpectant; *Alia* propria ſuperioris ſeu victoris: *Alia* utriq; civitati coṁunia, & quæ ad univerſitatē totius Regni, & rationes omniū communes reſpiciunt. Illa moderatur ipſe populus victus, ejusve Magiſtratus, vi autonomiæ ſuæ, è re ſuæ provinciæ, ſuorumque civium, & ſuis legibus: Iſta Victor, è re ſui Regni vel populi; atqve adeò ut ſuæ reip expedit: Hæc idem Vi-

ctor; ſed principaliter, ut ſuæ reip. conſequenter verò ut & provinciis liberis, ſalvo harum jure, quàm optimè cautum atque proſpectum ſit.

7. Equidem ſummus Magiſtratus proſpicit quoqve, ut dictum, *cap. 13.* §. *11.* provinciis non liberis; ſed ſui, non earum cauſâ; & qvia ſuâ intereſt eas vigere & proſperâ fortunâ uti, rerumqve copiâ & ubertate affluere; cùm in iſta provinciarum copia & ubertate robur maximè civitatis ſuperioris, ſeu Victoris, ſitum, ejusqve iſta ſint & munimenta & ornamenta: *ſupr. cap. 8.* §. *10.* quæ tuendo ſuæ ille rei conſulit, ut in re privata, dominus ſervis. At provinciis liberis mutuo quodam jure proviſum eſt. Victa enim vel inferior civitas, ſed *αὐτόνομος*, tanquam fœdere quodam inæquali, ejusq; formulâ, Majeſtatem ſuperioris comiter obſervare ſeu conſervare tenetur: quæ clauſula, de qua latè Cicero, *pro L. Corn. Balb. in med.* ipſam formulam fidelitatis feudalis, ejusqve capita, *2. F. 6. & 7.* complectitur. Et econtrario ſuperior civitas inferiores liberas atq; hact. ſocias, earumq; jura, & ipſam adeò autonomiam ipſorum, ſeu libertatem, & bonum illud eorum publicum ac proprium, ſuo ſalvo, (quippe quod ſemper exceptum intelligitur. *2. F. 28. in fin. 2. F. 55. in fin.*) mutuò tuetur. *2. F. 6. in fin. Vid. ſup. cap. 8.* §. *10.* Eſt igitur inter Victorem & victum populum *αὐτόνομον* ſimilis nexus ut inter dominos & Vaſal-

fallos; non αὐτόνομος autem ex forma ſervitutis publicæ, ſalvâ planè libertate ſingulorum, curatoqve, ita ut dictum eſt, omnium quoqve bono communi, regitur ac temperatur. *ſup. cap. 13. §. 10. & 11.*

8. Hinc ſponte ſuâ promanant omnia illa jura effectusq; hujusmodi civitatis mediatæ, *de quibus cap. 8. §. 13. & ſeqq.* ut, quòd ſuis legibus vivat, proprioque Comitiorum jure gaudeat. *d. §. 13.* Quòd victor autonomiam ejus tueri debeat. *d. c. 8. §. 14. & 17. & ſup. §. 6. & 7.* Quòd Comitiorum in ſuperiore particeps non ſit &c. *d. c. 8. §. 15. &c.* Quæ proinde hic repetere hoc magis ſupervacuum eſt, quòd jam progreſſus fiat ad tractatum ipſius autonomiæ, ex qua, ut capite ſuo, omnia fluunt & jure gentium obtinent.

Cap. XV.

De Autonomiâ, ejusqve partibus, effectibus, & vario inter Gentes uſu.

SUMMARIA.

1. *Triplicis diſcriminis Civitatum conſpectus denuò proponitur.*

2. *Aſſumitur tertia ſpecies, de Civitatibus ſcil. bello victis, & tamen liberis, ac*

ac mediatis, ex autonomia.

3. *Autonomiæ tria capita: Primum, legibus ſuis uti, quæ propriè autonomia.*

4. *Alterum, autocratia, ſuis magiſtratibus ac judiciis uti.*

5. *Tertium, ſuo ærario uti licere.*

6. *Hæc tria capita accuratè diſtincta à Thucydide.*

7. *Ea tamen non ſemper neceſſariò concurrere. Quod exponitur.*

8. *Et illuſtratur notabili facto Cæſaris.*

9. *Oſtenditur porrò, hanc autonomiam conſtituere libertatem mediatarum civitatum.*

10. *Illuſtratur ex ſententia Conventus Græcorum.*

11. *Et interpretatione Ottonis I. & ex Sigon.*

12. *Confirmatur uſu & ſententiis plurium Gentium.*

13. *Ex pace Perſarum & Athenienſium, ac Dionyſii.*

14. *Proponitur funeſta lis, quo ſenſu Carthago libera dicta fuerit, quæ illius exitio & incendio finita, non deciſa eſt. Quàm hìc à verò abierant, & in Romanos iniqui fuerint Grotius & ejus Interpp.*

15. *Exponitur vera ſententia ex traditis hactenus fontibus.*

16. *Alii libertatis gradus in regibus, P. R. ſociis.*

17. *Nihil ad autonomiam pertinere Jurisdictionem Municipiorum.*

18. *Notatur Heigius, qui ea confundit.*

19. *Qualis ſit Jurisdictio & poteſtas Municipiorum.*

20. *Municipiorum jus ſtatuta condendi non eſſe ab autonomia.*

21. *Quale id ſit.*

§. I.

§. 1.

Hactenus expoſitæ ſunt civitates immediatæ; & demonſtratum, duas earum ſpecies eſſe; Originarias, vel hisce bello ſubjectas; illas liberas eſſe, has non liberas, etſi utræqve eidem v. g. Regi ejusqve legibus immediatè pareant: idqve inde eſſe, quia illæ legibus iſtis, ut ſuis, utuntur, qvippe é ſua re, ſuoqve adeò voto; hæ, ut alienis, quippe é re & ſententiâ, non populi devicti, ſed Victoris, latis. Prius, libertatis eſt; alterum ſervitutis publicæ. Nec intereſſe, rem civitatis ipſe populus, an Senatus, an Rex gubernet, legesqve ferat; ſed id ſolùm quæritur, cujus cauſâ, ſeu in cujus rem, & conſeqventer ex cujus voto imperium & legislatio exerceatur, ſcil. populi victoris, non victi. Ille ergo legibus iſtis, ut ſuis, & ſuâ cauſa latis adeoqve in libertate; hic, ut alienis, & alterius gratiâ latis, atque in ſervitute vivit.

2. Sequitur nunc tertia ſpecies; qvæ eſt civitatum mediatarū; qvibus, etſi & illæ bello alteri civitati ſubjecta ſunt, tamen αὐτονομία, ſeu ſuis legibus vivendi facultas conceſſa eſt, qvæ res eas & mediatas & liberas facit. *Mediatas*, qvia legibus regni immediatè non parent, ſed propriis legibus, ex autonomiâ utuntur; *Vid. cap. 2.* §. *7. & cap. 14.* adeoqve & *liberas*; qvia id ipſum eſt libertas publica, ſuis legibus vivere. Et qvemadmd

modum igitur regni cives, & inſitæ ei civitates ideò liberæ ſunt, qvia ſuis legibus vivunt, qualiſcunqve regiminis forma ſit, ut latè oſtenſum eſt; ita & provinciæ ei ſubjectæ, qvæ autonomiæ beneficio donatæ ſunt, & ſuis proinde pariter legibus ſpiritum ducunt, liberæ ſunt.

3. De hac igitur autonomia, quæ civitatem, etſi bello victam, tamen mediatam & liberam facit, videndum, quænam ejus ſint partes. Et palmarium qvidem eſt, ut provinciæ iſtius devictæ cives ſuis legibus vivere, & qvod é re provinciæ ſuæ videtur, decernere poſſint, qvod propriè *αὐτονομίας* nomine venit. Et nec hic refert, qvis ſit provinciæ ſtatus; utrùm ipſe populus rem ejus publicam gerat, ut olim in Saxonia; an Princeps, veluti Dux, Marchio, Comes &c. ut in Bavaria, aliiſqve terris: quia tamen Provinciales his legibus utuntur ut ſuis, utpote non regni, ſed provinciæ ſuæ cauſâ, & in rem ſuam, atqve exſuo adeò voto latis. Nam & horum commune votum eſt, leges ita ferri, ut ſibi & provinciæ maximè expedit; etſi, quid magis expediat, judicio unius Principis, vel Senatùs definiri tutius & conſultius exiſtimetur: & *paſſ.* De quo plenius *ſup. cap. 3.* jam actum eſt.

4. Sub hac autonomia ferè comprehenditur etiam *αὐτοκρατεία*, & *αὐτοδικία*, ſeu proprio magiſtratu, propriiſqve judiciis utendi poteſtas. Vix enim eſt, ut ſuis legibus uti videantur, niſi

niſi & ſuo magiſtratu; quia leges à Magiſtratibus conſtituuntur vel rogantur. *l. 2. §. 13. ff. de Orig. Jur.* atque ideò, ſi populo conceſſum eſt ſuo jure, id eſt, ad ſuam & ſuæ provinciæ utilitatem, atque ita ex ſuo voto jus ſtatuere, id vix fieret, ſi non & licitum eſſet, in id Magiſtratum quoqve talem ſibi facere, qui legibus ferendis rationes, non Regni, ſed provinciæ ſequatur; atque ad hujus ſalutem & rem tuendam officium gerere teneatur; ſive ea poteſtas ſit penes populum ipſum, ſive penes ejus Senatum, ſive penes Ducem: *ſupr. §. 3.* cùm Magiſtratus Regius potiùs é re regni, quàm provinciæ jus ferret & diceret. Ideò autonomiæ regulariter & ſuâ naturâ conjuncta eſt autocratia, & ut ſuis legibus, ita & ſuis magiſtratibus, ſuisqve judiciis utendi licentia. Ita Annibal Campanis conceſſit, *ut ſuæ leges ſuiqve Magiſtratus illis eſſent. Liv. lib. 23. cap. 7.* Et Cicero, utramqve poteſtatem ſub *autonomiæ* verbo conjungit, *lib. 6. ad Attic. epiſt. 2.* ubi cùm alia à ſe geſta effert & laudat, tum ita maximè gloriatur: *Omnes civitates ſuis legibus & judiciis uſæ, αὐτονομίαν adeptæ, revixerunt.*

5. Sed & tertiò, ad autonomiam accedere ſolet αὐτοτέλεια, ſeu proprio ærario utendi poteſtas: ad ſuſtinenda ſcil. αὐτονομίας & αὐτοκρατείας onera; quæ cùm ſint onera publica, quorum ferendorum cauſâreditus publici conſtituuntur, hinc Magiſtratus, quibus illa incum-

 bunt,

bunt, etiam hos percipere fas videtur: neqve enim collegium publicum, nedum civitas, ejusqve Magiſtratus ſine ærario aliquo rem publicam curare poteſt. Neqve tamen id impedit, quò minùs, etſi provinciæ reditus ad ipſam pertinere permiſſum ſit, inde Superiori quoqve cenſus aliquis ſolvendus ſit; niſi & ille remiſſus fuerit. Sic Perſarum Rex Ageſilao pacem obtulit hac lege: Τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις, αὐτόμους ὄσας, τὸν ἀρχαῖον δασμὸν αὐτῷ ἀποφέρειν. *Ut Græcæ in Aſia civitates, ſuis legibus viventes, vetus tributum ei ſolverent. apud Xenoph.* Ἑλληνικ. *lib. 3. propè fin.* Sed Carolus M. eum Saxoniæ ſpecialiter remiſit, eámque omni debito cenſu liberam & immunem eſſe juſſit. *Vid. Jur. publ. cap. 3. §. 39.*

6. Atqve hæc tria mediatæ libertatis capita, αὐτονομίαν, αὐτοκρατείαν, καὶ αὐτοτέλειαν, accuratè admodum conjunxit Thucydides, *lib. 5. Hiſt. c. 171.* cùm pace inter Athenienſes & Lacedæmonios factâ, placuiſſe refert, Δελφὺς αὐτονόμυς εἶναι καὶ αὐτοδίκυς, καὶ αὐτοτελεῖς, καὶ αὐτῶν. *Delphos ſuis legibus, ſuis judiciis, ſuis vectigalibus uti, & ſui juris fore.* Qvomodo & Polybius illud expreſſit, *lib. 5. Hiſtor. c. 77.* ubi id vocat, *populum* ὑφ' ἑαυτὸν ποιεῖν, *ſui juris facere.*

7. Equidem, triplicem hanc facultatem in omni *autonomia* concurrere, non videtur ſemper neceſſarium eſſe. Nam & in ipſo regno fieri poſſe, ut invitus populus, fortè bello aut fœdere

in

inferior, à ſuperiore Regem accipere cogatur, & tamen ſuis illum legibus uti, & in libertate, non ſervitute vivere, vidimus jam *ſup. cap. 3. §. 13.* Pariter ergo fieri poteſt, ut Provincia, Magiſtratum à ſuperiore qvidem accipiat; ſed ita ut ille eam non ex Regni, ſed ex ſuis legibus ac rationibus adminiſtret, & ex re, utilitate, adeoqve ex ſententia provinciæ Jura & leges ferat; qvibus tum illa ut ſuis, non ut regni legibus, adeoque ex libertate utitur, & ſalva eſt autonomia. *Vid. ſup. cap. 3. & paſſ.* Enim verò in poteſtate Victoris vel ſuperioris eſſe conſtat, vel plenam libertatem, ſeu αὐτονομίαν cum omnibus ſuis partibus ac juribus provinciæ reddere, vel reſtrictam aut diviſam concedere. Poteſt itaqve αὐτονομία variè permitti populo, & vel ita, ut magiſtratum tamen accipiat à Superiore, & proinde ſine autocratia; vel, ut ipſa qvidem ſibi magiſtratus eligere poſſit, ſed quorum confirmatio à ſuperiore petenda ſit; vel, ut plena qvidem autocratia indulta ſit, verùm Superior qvoque Præfectos mittat: qvod Romanis ſolenne fuit, qvi Proconſules, Præſides, vel Præfectos ſuos in provincias quoqve ſuo jure utentes, mittebant, ut ex ipſo Jure Rom. liqvet: ſed & hujusmodi Miſſorum freqvens in Francorum legibus & annalibus occurrit mentio: & de Weſtphalia in Append. dicetur.

8. Neqve verò iſta libertas ſeu αὐτονομία impedit ſummam poteſtatem & majus Imperium Superi-

perioris, ſed id operatur, ut provincia immediatè ſuo Magiſtratui; mediatè verò Regno ſubjecta intelligatur. Rectè igitur & ordine proceſſit Cæſar, in cauſâ qvam ipſe refert *lib. 7. de Bell. Gall. cap. 6.* Cùm enim Galliæ bello victæ ſuis legibus uti permiſſum, ſed lis de Magiſtratu inter duos Principes Æduorum, Convictolitanem & Cotum, per ſtudia factionum, electos, exarſiſſet; ea verò lex Æduorum eſſet, ne iis, qvi ſummum Magiſtratum obtinerent, excedere finibus liceret, Cæſar arbitrium litis & cauſæ recepit; ſed, ne qvid contra Legem & *αὐτονομίαν* committeret, non evocavit ad ſe litigantes extra fines ſuos, ſed ipſe ad Eos profectus litem ſecundùm Convictolitanem decídit; prout ipſe id recenſet *d. cap. 6* atqve hoc exemplo vera imago ac conditio *αὐτονομίας*, ſeu mediatæ civitatis, ac libertatis, expreſſa eſt.

9. Hæc itaqve Autonomia eſt, in qva libertas civitatum mediatarum, etſi bello devictarum, & ingens adeò momentum conſiſtit, ut mirum non ſit, tot de ea contentiones inter Gentes naturà libertatis avidas fuiſſe, *de quo inf. cap. ſeq.* prout illa & Gentium uſu & ſenſu ſic intelligitur & appellatur. Nam ita manifeſtè Strabo, *lib. 12. cap. 6.* de Cappadocibus ait: Οἱ Ῥωμαῖοι συνεχώρουν αὐτοῖς αὐτονομεῖσθαι. *Romani conceſſerunt eis ſuis legibus agere.* Et, cùm eam autonomiæ conditionem Cappadoces aſpernarentur, ita porrò inqvit: Τὴν ἐλευθερίαν παρῃτοῦντο. *libertatem depre-*

deprecati ſunt. Atqve ita Pax Carthaginienſibus & libertas à Romanis per autonomiam ſic reddita dicitur: *Ut liberi ſuis legibus viverent. Liv. lib. 30. cap. 37.* Unde, cùm Plinius *lib. 10. epiſt. 93.* ad Trajanum ſcriberet, *Amiſenorum civitatem liberam & fœderatam beneficio Principis legibus uti;* noluit Trajanus, eam libertatem facii è permitti, & ideò reſcripſit, *epiſt. 94. In cæteris civitatibus, quæ Romano jure obſtrictæ ſunt, rem hujusmodi prohibendam eſſe.*

10. Exactè verò ea de re diſceptatum fuit, Spartæ in congreſſu Græcorum, *apud Xenoph.* Ἑλληνικ. *lib. 6. pag.* (mihi) *402.* ubi, cùm Rex Perſarum civitates Græciæ αὐτονόμους, *liberas* pronunciâſſet, vitio Spartanis datum fuit, qvòd ipſi maximè eam αὐτονομίαν & libertatem violâſſent, occupatâ arce Cadmea ſeu Thebanâ; cùm Ipſimet aliter contra Thebanos ſtatuiſſent, contra hanc αὐτονομίαν ſcil. facturos, εἰ μὴ ἐάσαιεν οἱ Θηβαῖοι, ἑκάστην τῶν πόλεων ἄρχειν τε ἑαυτὴν, καὶ οἷς ἂν βούληται νόμοις χρῆσθαι: *niſi Thebani permitterent, quamlibet Urbium imperium in ſe ipſam exercere, & quibus luberet legibus uti.* Sed & alia ibi exprobantur Spartanis qvæ cum hac autonomia pugnare Græci contra eos contendebant, qvia cum libertate pugnabant.

11. Qvod & optimè interpretatus ita eſt Otto I. cùm poſt Carolum M. denuò Italiam vindicaret Imperio Germanico. Ait enim Sigonius, *de Regn. Ital. lib. 7. poſt ann. 973. fol. 185. Ipſum Italiam*

am liberam eſſe voluiſſe. Et addit: *Libertatem verò in eo poſuit, ut leges, conſuetudines, Jurisdictionem, Magiſtratus, vectigalia ſui fermè Juris atqve arbitrii haberent; Regibus tamen ſacramentum dicerent.*

12. Atqve hæc eadem ſignificatio & verbi uſus invaluit apud Gentes qvoqve antiquiſſimas, qvæ, cùm devictæ civitati libertatem reddere decreviſſent, promiſcuè eam *liberam eſſe*, aut, *ſuis legibus vivere* dixère: fuitqve ea quaſi ſolennis & perpetua formula in fœderibus, Pacis tabulis, & monumentis publicis. Sic victo Philippo Rege Macedoniæ Pax in has leges data dicitur: *Ut omnes Græcorum civitates, quæ in Europa, quæqve in Aſia eſſent, libertatem ac leges ſuas haberent. Liv. lib. 33. cap. 16.* ubi latiùs refert: *Græcis expectatione erectis, qui deinde ſtatus futurus Græciæ, quæ ſua fortuna eſſet*, voce Præconis, ſolenni carmine, indicto ſpectaculo, hoc populi R. edictum ſic promulgatum fuiſſe: *Senatus Romanus & T. Quinctius Imp. Philippo Rege Macedonibusque devictis, liberos, immunes, ſuis legibus eſſe jubet Corinthios, Phocenſes &c. Liv. d. lib. 33. c. 18.* ubi & refert: Præconem *percenſuiſſe omnes Gentes quæ ſub ditione Philippi Regis fuerant:* &, quàm incredibile gaudiū id fuerit Græcis. *c. 16. §. 2.* Quod idem edictum refert quoque Plutarchus *in vita Flaminii, cap. 17.* & longo poſt tempore renovavit Nero, qui *denuò Græcos liberos, ſuisque legibus deinceps uſuros pronunciavit. Plut. d. loc. cap. 22.* Ita Cæſar *de Bell. Gall. lib. 1. cap. 10. in fin. LIBERAM*

RAM, ait, *debere eſſe Galliam, quam bello victam ſuis legibus uti voluit Senatus.* Et Critognatus Arvernus, ut irritaret populares ſuos in Romanos, inquit: *Depopulatâ Galliâ Cimbros JURA, LEGES, agros, LIBERTATEM, ei reliquiſſe; Romanos contrâ Galliam in provinciam redactam, JURE ET LEGIBUS immutatis, perpetuâ premere SERVITUTE.* Apud Cæſ. *de Bell. Gall. lib. 7. cap. 14.* Et de hoc uſu P. R. teſtatur quoque Roſin. *de Antiq. Rom. lib. 10. cap. 22. in fin. Quòd victis Populis aut ignoverit, aut in provinciæ formam eos redegerit. Prius, cùm LIBEROS reliquit, & SUIS UTI LEGIBUS, ſuosque creare more patrio Magiſtratus permiſit: alterum, cùm ademtis aut immutatis legibus eos Magiſtratui Romano ſubjecit.*

13. Idem ab antiquisſimis temporibus mos traductus ad nos fuit. Pace Perſarum cum Athenienſibus factâ omnibus Græciæ civitatibus in Aſia conceſſum dicitur, Αὐτονόμυς ἐιναι; *libertate & jure ſuo uti:* apud *Diod. Sic. lib. 12. cap. 4.* Et ſimiliter inter Carthaginenſes & Dionyſium Siciliæ Tyrannum, Pax ita concepta fuit, ut, ſeparatis Siciliæ populis qui Carthaginenſibus parerent, qui liberi forent, qui denique Dionyſio ſubjecti, tres claſſes fierent, & trium unâ civitatum exempla confluerent: cum in prima claſſe fuerint immediati & non liberi; in altera mediati & liberi; in tertia immediati & liberi. Nam primæ claſsi ſaltem conceſſum fuit habitare in urbibus muro non munitis, ἐν ἀτειχίστοις ταῖς πολε-

πόλεσιν, & Carthaginenſibus vectigales eſſe. In alterâ de Leontinis, Meſſeniis, denique de omnibus Siculis dicitur, αὐτονόμους εἶναι, *ſuis legibus liberè vivere*: In tertia, Syracuſanos Dionyſio, ut Regi ſuo, adeoque immediatè ſubjectos fore, etſi invitum acceperint. *cap. 10. §. 13.*

14. Ex his in proclivi erit, funeſtam quæſtionis decantatisſimæ litem decidere, quæ olim maximis ſtudiis & motibus, atqve in exitium Carthaginis, inter Romanos & Carthaginienſes agitata fuit, de clauſula Paci in altero bello Punico adjectâ, *Carthaginem liberam fore*. Quâ non obſtante poſtea, cùm Pœni res novas moliri denuò viſi eſſent, fiduciâ maximè vicini maris, Romani juſſere, ut aliam urbem, ubi vellent, ſed 10000 paſſuum à mari remotã extruerent. Quæſitum eſt, an id clauſulæ Pacis, *Urbem liberam fore*, repugnet. Grotius *de J. B. & P. lib. 2. cap. 16. §. 15.* putat, captionem fuiſſe in voce, *liberam fore*. Sequitur eum pro more D. Puffend. *lib. 5. cap. 12. §. 16.* ubi ait: *Sanè quòd perfidiam plus quam Punicam tum adhibuerint Romani, in aprico eſt.* Nimis temerè. Mitius ſtatuit Dn. Henniges *ad d. cap. 16. §. 15. in non odioſis extendenda eſſe verba*: & in fine addit: *Romanos hac ſola occulta fraude dignos eſſe contra quos fiat interpretatio*. Qvæ ratio à favore vel odio eſt meri juris poſitivi, qvod vocant; & hoc ipſum quæritur, an Romani fraudem occultam admiſerint. Quod non apparet, & per ſummam Juris Gentium imperitiam hæc judicia præcipitata fuiſſe jam patebit. 15.

15. Scil. Carthago ſub poteſtate & Imperio P. R. fuit, bello victa; cùm Annibal ipſe in Senatu faſſus eſſet, *ſe non prælio modò ſed bello victum. Liv. lib. 30. c. 35. in fin.* Arma quoque ipſis ademta, certumque adeò fuit, ſubjectos eos fuiſſe Romanis: Nec quicquam ipſis relictum fuit quàm αὐτονομία, ſeu, ut ſuis legibus liberi eſſent. Idque ipſi agnoſcunt, ſed putant, urbem ſuam non poſſe videri αὐτόνομον, ſi deſtruatur. Ita enim ad Romanos arguunt apud Appian. *Bell. Pun.* Εἰ θέμις ὑμῖν ἐςιν, ἀνελεῖν τὴν Καρχηδόνα, πῶς ἐλευθέραν ἔτι ἀφήσετε, ἢ αὐτόνομον, ὡς λέγετε. *Si fas vobis eſt, deſtruere Carthaginem, quomodo liberam adhuc ſeu legibus ſuis utentem relinquetis ut dicitis.* Quod ſanè nimis ἀνακόλουθον, & manifeſtè inſulſa rerum inconſequentia eſt. Civitas manet liberrima, etſi nullam urbem habeat; uti familia, etſi nullam domum. Helvetii apud Cæſ. *lib. 1. de Bell. Gall. c. 1.* domos omnes pagosq; ſuos exuſſerant, & tamen, ipſo ſolo quoqve in perpetuum derelicto, atque in expeditione ipſa manſere civitas liberrima: & ſecum libertatem ac αὐτονομίαν ſuam circumtulerunt. Quod & de aliis populis ac civitatibus, qvæ ſedes non habebant, ſed quærebant, conſtat. Quin diu genus humanum ſine urbibus vixit in ſumma libertate, & poſt diviſionem civitatum plurimæ eò majore libertate fuêre, quò magis ſine urbibus; quod & recentior Scytharum &c. memoria firmat. Quantò verius & ſa-

nius igitur quod Romani regeſſerunt. *Καρχηδόνα γὰρ ὑμᾶς, ὃ τὸ ἔδαφος, ἡγούμεθα. Carthaginem enim Vos*, (populum ſcil. & civitatem Carthaginenſem) *non ſolum*, (ſeu pavimentum eique affixos lapides & muros) *eſſe exiſtimamus.* Isqve & ſenſus & mos loquendi ubique gentium ſibi conſtat: Sic Nicias apud Thucyd. *lib. 7. c. 260. Ἄνδρες γὰρ πόλις, καὶ οὐ τείχη. Viri ſunt civitas, non muri.* Et Themiſtocles apud Juſt. *lib. 2. c. 12. Patriam municipes eſſe, non mœnia: civitatemque non in ædificiis, ſed in civibus poſitam.* Ut mirari liceat judicium D. Puffend. & aliorum in hac cauſa; ſed pronum eſt labi eos, qvi jura gentium arbitrio fingunt, non à capite ſuo ducunt nedum oſtendunt!

16. Poſſunt verò & alii gradus libertatis conſtitui, pro varietate pactorū: nam & dari illa poteſt cum Majeſtate & poteſtate Regia, ut tamen non ſit ſumma vel abſoluta. Ita enim Reges, qvos P. R. ſocios dixit, & quibus devictis regna reſtituit, regià dignitate, & ſic libertate quodammodo ſummâ utebantur; ſed non omnibus ejus gradibus & partibus: nam res Romana fœdere ſuperior erat; nec ſuis Illi auſpiciis bella gerere ſine Duce vel conſenſu P. R. ne qvidem pro Romanis, poterant, Liv. *lib. 2. cap. 53. in fin.* & tenebantur rem Romanam & P. R. Majeſtatem comiter ſervare, *Cic. pro L. Corn. Balb. in med.* & ſequi ad bella: misſique ſunt Legati ad viſitandum Regna ſociorum: Juſtin. *lib.*

lib. 31. c. 9. &, quod ſummum eſt, Romam inde evocari, atq; ibi rei fieri poterant: *l. 7. §. 1. & §. fin. ff. de Capt. & poſtl.* & ſimilia, quæ aliàs ſubjectionis argumenta ſunt. Hinc, cùm Ptolemæus & Cleopatra de regno Ægypti contenderent, Cæſar, (ut ipſe refert *lib. 3. de Bell. civ. cap. 20.*) *controverſias Regum ad P. R. & ad Se, quòd eſſet Conſul, pertinere exiſtimans, oſtendit, Sibi placere, Regem Ptolemæum atque Sororem ejus Cleopatram, exercitus, quos haberent, dimittere, & de controverſiis jure potiùs quàm inter Se armis diſceptare.* de quo & Lucan. *Pharſal. lib. 10.*

17. Cavendum autem eſt quàm maximè ab iis qui hanc αὐτονομίαν confundunt cùm civitatum Municipalium Juriſdictione, eique nonnunquam conjuncta poteſtate condendi Statuta: cùm inprimis diſtinguenda ſit poteſtas, quæ jure proprio & ſuo nomine competit, ab ea, quæ nudo jure vicario vel adminiſtratorio: hæc enim miniſteriũ tantùm præſtat iſti autonomiæ, quam Princeps aut populus exercet, vel per ſe vel per alios miniſtros; miniſtri non exercent. *arg. l. 18. princ. ff. de Adq. poſſ. l. 15. ff. de Pec. conſt.* de quo actum *in Jur. publ. cap. 15. Conſ. §. 20. inf.*

18. Hæc & alia confundere videtur Doctiſſ. ICtus Petrus Heigius, *l. 1, quæſt. 73. n. 20. & ſeqq.* Etſi enim verum ſit, quod ex Sigonio & aliis refert; *Provincias ſervitutem hanc ſuſtinuiſſe, quòd Legibus ſuis & Magiſtratibus ſpoliata,* Romanorum ju-

gum ſuſcipere coactæ ſint: nec rationi ejus, licèt, nimis generalis videri poſſet, adverſari velim; quòd *in provinciæ formam redigere, ſit, legis domeſticas adimere, & Romanas cum Magiſtratu dare: quemadmodum liberæ provinciæ fiebant, cùm ſuo Juri ſuisque legibus relictæ eſſent:* cùm Ipſemet veram exceptionem ita ſubjungat: *Excepto unico caſu, quo Victor victis gentibus ignovit, liberas reliquit, ac ſuis legibus uti, ſuosque Magiſtratus creare permiſit.* Quæ omnia ex his, quà hact. dicta ſunt, ultro patent: attamen facere cum Ipſo non poſſum, cùm autonomiæ quæſtionem ad municipia & colonias transfert, & inde controverſias de potestate condendi Statuta decidere voluit.

19. Etenim Municipiis nunquam competit autonomia, ſed mera ſaltem Jurisdictio cum adminiſtratione rerum Municipalium. *l. 26. ff. Ad Municip. rubr. & tot. tit. ff. de Adm. rer. ad civ. pert.* quæ nihil commune habet cum autonomia: Aliud enim eſt jus dicere ſeu judicare; aliud leges facere. Judicis eſt, ſequi & ſervare leges, non facere. Municipes igitur jus dicunt ſecundùm leges, non ipſi dant leges. Legislatoris, ex autonomia, eſt arbitrium condendi leges; Judicis, ex Jurisdictione, necesſitas obſervandi; uti ſubditi & civis, parendi. Ille autor; iſte miniſter; hic reus eſt legis.

20. Quamobrem, licèt municipio conceſſa ſit facultas condendi ſtatuta, non tamen ab autonomia

nomia illa eſt, quæ jure proprio competit; ſed adminiſtratoria poteſtas Jurisdictioni Municipali annexa: nam & Prætor & Ædiles Romæ jura & edicta proponebant, §. 7. *de Jur. nat. gent. l. 7. l. 8. l. pen. verſ. Prætor. ff. de Juſt. & Jur.* quorum tamen mera ſaltem Jurisdictio in urbe, & ne quidem imperiū merum, ſed hoc Præfectorum Urbi fuit *l. 1. §. ult. l. 2. ff. de Suſp. tut. l. 1. pr. §. 4. & paſſ. ff. de Off. Præf. urb. l. 2. §. 1. l. 8. §. 5. ff. de Pœn. l. 6. §. 1. de Interd. & rel.* Multò minùs Magiſtratui municipali competit autonomia, ſeu poteſtas propria, ſed miniſterialis, ſeu merum officium. Nam Princeps, vel cujus eſt propria poteſtas, eam, ut dictum, exercet vel per ſe vel per Magiſtratus, ut Adminiſtros, qui miniſterium illi præbent, cùm in urbe, tum maximè in municipiis. *de quo in Jur. publ. cap. 15. §. 4. & ſeqq. & ſup. §. 17.*

21. Hoc igitur jus ſtatuta faciendi Magiſtratui Municipali conceſſum, cohæret Jurisdictioni ſeu rerum civitatis adminiſtrationi, idq; vel tacitè, quoad ea ſine quibus illa explicari non poteſt; *arg. l. 2. ff. de Jurisdict.* vel expreſsè, quomodo latior quoq;, quin latisſima ſtatuendi poteſtas municipio indulgeri poteſt. Atque inde pendet deciſio quæſtionis, de Statutis civitatum Municipalium.

CAP. XVI.

Ubi hoc diſcrimen civitatis immediatæ & mediatæ ſeu liberæ, quod ab autonomia eſt, apud omnes Gentes celebratiſſimum ſemper fuiſſe oſtenditur.

SUMMARIA.

1. *AUtonomia ingens ſolamen & beneficium devictorum.*
2. *Quàm ejus deſiderio flagraverint Gentes.*
3. *Uſus ejus inter Perſas & Romanos.*
4. *Alia exempla Græcorum, Alexandri M. & Hannibalis.*
5. *Exempla Romanorum: Horum ſubditi, quadruplici jure diſtincti, fuere juris vel Romani, vel Latini, vel Italici, vel Provincialis.*
6. *Quibus populis autonomia ab ipſis conceſſa.*
7. *Alia exempla.*
8. *Ottonis I. & Danià.*
9. *Clodovæi M. qui Bavariæ; & Caroli M. qui Saxoniæ devictæ eam reddidit.*

§. I.

SAtis jam actum eſt de Autonomiæ indole, quæ civitates armis ſubjugatas, liberas efficit & mediatas, & utràqve hac conditione â cæteris bello victis diſtinguit; & de ejus inſigni

gni utilitate in Imperio; qvæ durat, etſi æquatâ propemodum libertate; *de quo inf.* Nunc, quàm diſcriminis hujus ab omni memoria inter gentes ſolennis, & celebratisſimus, ac latè patens uſus ſit, diſpiciemus. Viſum enim hoc fuit ingens ſolamen, & beneficium civitatum bello devictarum, & alienæ poteſtati ſubjugatarum: & meritò; cùm *cap. 6. ſupr.* demonſtratum ſit, hac clauſula dari libertatem, & ſuis legibus, ſuoqve voto, & é re ſua utendi copiam. Hac igitur clauſulâ, & quaſi libertatis illice, Gentibus curæ fuit delinire victos, eosqve quodam pignore ſive præmio ſibi devincire ac conciliare.

2. Unde incredibile dictu eſt, quanti id Gentibus devictis viſum fuerit, *ſuis legibus uti.* Quòd ſcitè exponit *Joſeph. lib. 16. Antiq. cap. 4.* ubi querelas, quas Judæi Jonici contra Indigenas ad Romanos detulerunt, refert, quòd ſuis ſe Legibus vivere non ſinerent, ſed inæſtimabile hoc beneficium, quo & Jones ipſi benignitate Romanorum fruerentur, eripere ſibi vellent; ne ſub Romanis in *libertate* feliciſſimam vitam agere liceret. &c. Sed omniũ inſtar eſſe poteſt, quod *c. 15. §. 12.* ex Liv. *lib. 33. c. 18.* recitatum, quæ Græciæ lætitia, quæ feſtivitas, quæ exultatio fuerit, cùm voce Præconis Romani, autore Quintio Conſule, proclamatum eſſet, *Corinthios &c. liberos ſuis legibus eſſe debere.* quàm vix auribus ſuis credere vel animis fidere: re verò cognitâ,

quæ exultatio & publica deprædicatio: *Eſſe aliquam in terris Gentem, quæ ſuâ impenſâ, ſuo labore ac periculo, bella gerat pro aliorum libertate &c.* Quod idem *Plut. in Quint. Flamin. cap. 17. c. 20. c. 25.* refert, & lætitiam Græcorum incredibilem ex beneficio ſuis legibus vivendi conceptam & publicè teſtatam non minùs copioſè recenſet. Unde Romani Oreſtis quoqve, Macedoniæ populo, leges ſuas reddidiſſe dicuntur, quaſi inſigne beneficium ac præmium, *quòd primi à Rege ſuo Philippo defeciſſent. Liv. lib. 33. cap. 20.* Et tanti id creditum eſt hoc beneficium, ut inciſum fuerit in vetuſtis marmoribus, & Aſiæ Græciæqve civitatum nummis, uti docet *Perill. Spanhem. de Uſu numiſm. diſſ. 9.* ubi & illa civitatum monumenta exhibet, quibus *libertas* aſſerta inſcriptaqve eſt, *pag. 783.* & illa, quibus autonomia; *pag. 789.* quippe quæ utraqve ejusdem rei, libertatis ſcil. effigiem gerunt. Unde & ex iſtis monumentis publicis agnoſci τὸ Φιλελεύθερον, ex Polybio arguit.

3. Cum verò valde illuſtria hujus rei apud Gentes exempla paſſim occurrant, haud pigebit præcipua exhibere. Jam enim inter Perſas & Græcos ſub veteri Perſarum Imperio hujus diſcriminis uſus frequens & inſignis, atqve beneficii hujus, ut ſuis legibus vivere liceat, quippe libertatis cujusdam, eximia inprimis cura fuit. Nihil celebrius eſt illa victoriâ Cimonis, Ducis Athenienſium, quâ uno die gemino prælio,

lio, altero terreſtri altero navali, Perſas profligavit; Plut. *in Cimon. cap. 26. & 27.* & Pace illam ſecutâ, quâ omnibus Græcis civitatibus, quæ in Aſia & ſub Perſico Imperio erant, hæc αὐτονομία, & ſuis legibus vivendi libertas, extorta & obtenta fuit. *Diod. Sicul. lib. 12. cap. 4.* quem locum jam retuli *ſup. cap. 3.* Idem impetrarunt deinde Lacedæmonii, cùm aliquo pòſt tempore, Ageſilaus, Rex eorum, in Aſia bellum gereret; nam & tum Rex Perſarum idem beneficium libertatis obtulit, ut civitates Græcæ in Aſia αὐτόνομοι eſſent, & legibus ſuis ſub lege vectigali viverent. Xenoph. Ἑλληνικ. *lib. 3. pag. m. 342.* (quem locum exhibui *ſup. c. 15. §. 5.*) Atq; eò deinde provocat eorum ad Perſas legatus Antalcides, apud eund. Xenoph. *d. tract. lib. 4. pag. m. 366.* Pariter inter Athenienſes & Thebanos pax ita concluſa, ut Delphi unâ cum fano Apollinis eſſent αὐτόνομοι, αὐτόδικοι, αὐτοτελεῖς. *Vid. ſup. c. 15. §. 5.* Et paria jam in pace Carthaginienſium cum Dionyſio Tyranno, ex Diod. Sic. *lib. 13. in fin.* vidimus *ſup. cap. 15. §. 13.*

4. Sed alia ſunt plurima hujus diſcriminis & beneficii monumenta. Ita cùm Bæoti ab imperio Athenienſium deſciviſſent, & bello petiti, victores extitiſſent, tranſactum eſt, ut eorum profugi reverſi, & alii omnes, ſui juris eſſent; quod ita refertur, πάντες αὐτόνομοι πάλιν ἐγένοντο. *omnes iterum liberi ſeu ſui juris facti. Thucyd. lib. 1. pag. m. 74.* Idem de parte Thracum re-

 fert,

& quaſi jus dominans fuit. *Vid. Sigon. de Jur. antiq. civ. Rom. d. tom. 1.* (2) Jus Latinum quod etiā liberi populi Jus fuit, ſed Quiritario inferius. *Cicer. pro Domo ſua ad Pontif.* Latini enim ſociorum Jure habiti ſunt à Romanis, & ideò Latini ſocii paſſim dicti. Vid. Sigon. *de Jur. ant. Ital. lib. 1. cap. 2. d. tom. 2.* Quod poſtea imminutum fuit, cùm Latini defeciſſent, & bello ſociali ad deditionem compulſi eſſent; unde jus dedititium. *Vid. §. 3. de Libertin. l. pen. C. de Lat. lib. toll. Ulpian. in fragm. paſſ.* (3) Jus Italicum; quod eſt Jus municipale, quo uſæ ſunt civitates Italiæ, P. R. ſubjectæ immediatè: Hoc verò jus non ex autonomia Municipiorum fuit; nec Municipes illud ſibi, ſed P. R. municipiis conſtituit, vel poteſtatem ſtatuta condendi, Jurisdictioni annexam indulſit. *Vid. ſup. cap. 3. §. 9. & ſeqq. & Gell. N. A. lib. 16. c. 13.* (4) Jus provinciale, quo extra Italiam Provinciæ utebantur; & iis crebro conceſſa fuit autonomia, quæ mediatam reddit civitatem: de qua nunc agimus.

6. Hoc itaque beneficium autonomiæ à Romanis conceſſum ſint Syracuſis; *Liv. lib. 25. cap. 23.* Carthaginenſibus; *Liv. lib. 30. cap. 37.* Oreſtis, quorum ſupra jam mentio facta ex *Liv. lib. 33. cap. 20.* Ambracienſibus; *Liv. lib. 38. c. 42. 44.* & aliis. Similiter devictâ Galliâ, voluit Senatus eam legibus ſuis uti. *Cæſ. de Bell. Gall. lib. 1. cap. 10. in fin.* Ita Atrebatum civitatem

tem Cæſar *immunem eſſe juſſit, & jura legesque reddidit Caſ. lib. 7. cap. 14.* Hinc apud *Plin. lib. 4. Hiſt. nat. cap. 17.* recenſentur populi liberi Galliæ: *Britanni &c. liberi. Veromandui &c. liberi. Tungri &c. liberi. Treviri liberi* &c. Et ita alii. *Plin. d. lib. 4. c. 18. 19.*

7. Similiter devicto Philippo Macedonum Rege, pax à Romanis data, ſed Græcia ei ademta, & ſimul cautum eſt, ut omnes Græcorum civitates, quæ in Europa, quæque in Aſia eſſent, libertatem & leges ſuas haberent. *Liv. lib. 33. cap. 16. Plut. in vita Flamin. cap. 14.* ſed & aliis populis id indultum vel reſervatum eadem pace fuit. *d. c. 16.* Quomodo verò ſtato die feſto Iſthmiorum voce Præconis hoc carmen, quo Senatus *ſuis legibus eſſe juſſit Corinthios, Locros, Phocenſes, Eubæos, Achæos, Phthiotas, Magnetas, Theſſalos, Perrhœbios,* proclamatum; quomodo eâdem Præconis formulâ, & quàm effusè, Græci lætati fuerint: & quam longo poſt tempore in eadem Urbe Corinthi, & ſimiliter in feſtivitate Iſthmiorum id repetierit Nero, vidimus *ſup. §. 2. & c. 15. §. 12.* Neq; tamen tam Græci hoc gaudio ſuo, quàm Judæi calamitatibus & ſuppliciis, quæ ideò ſuſtinuêre, teſtati ſunt, quanti hoc beneficium inter Gentes precii fuerit. *de quo cap. ſeq.* Macedoniæ autem deinde in provinciam redactæ, partem tantùm liberam fuiſſe, teſtatur Cæſar *lib. 3. de Bell. civ. cap. 7. in fin.* quia pars tantùm legibus ſuis relicta fuit.

8. Por

8. Porrò, Otto M. Italiâ Imperio Germanico denuò aſſertâ, ejus civitates eſſe liberas, ſeu ſuis legibus, Judiciis & Magiſtratibus uti conceſſit; Vid. *J. publ. c. 6. §. 20.* Sed & in Dania, cùm Nobilitas Danica conſpiraret cum Suecis, Holſatis, & Megapolitanis, contra Regem Woldemarum III. & in eventum victoriæ terras inter ſe diviſiſſent, unâ tamen convenêrunt, *ut devictis ſuo jure legibusque vivere concederetur.* Joh. Meurſ. *Hiſt. Dan. part. 2. lib. 4. ad ann. 1368.*

9. Deniqve Autonomiam Clodovæum M. Bavariæ, & Carolum M. Saxoniæ reddidiſſe demonſtratum jam eſt & ſæpius dictum, eoqve id actum eſt, ut illæ eſſent & mediatæ & liberæ. Quam utriusq; populi hiſtoriam Vid. in *Jur. publ. cap. 3. Sect. 1. & 3.*

CAPUT XVII.

De Autonomia Judæorum in ſpecie.

SUMMARIA.

1. MAximè interfuiſſe Judæorum, ſuis legibus vivere; & quantarum calamitatum cauſa ipſis fuerit autonomiæ privatio.

2. Nec

2. Nec à Cyro, nec à Dario ipſis jus civitatis, & libertatem redditam fuiſſe; ſed edicto Artaxerxis: & hinc adeò initium Oraculi Danielis.
3. Alexandrum M. Autonomiam iis permiſiſſe.
4. Hujus ſucceſſores iterum ipſis eam eripuiſſe; unde perſecutiones & bella.
5. Ipſos verò ſuo Marte aſſeruiſſe eam ſibi ſingulari conſtantiâ & virtute.
6. Eandem retinuiſſe ſub Romanis.
7. Herode M. mortuo, & regno ſublato, ſalvam ipſis fuiſſe Autonomiam ſub Tetrarchiis.
8. Præſides Syriæ & Procuratores Judææ, cùm per vim injuſtam & Tyrannicam eos libertate ſuâ ſeu legibus ſpoliarent, cauſam bello dediſſe.
9. Non tamen injuſtum fuiſſe belli exitum, ſed Judæis pœnalem. remiſſ.
10. Concluſio: Sceptrum Judæ obitu Herodis; autonomiam bello Romano omnem civitatis formam captâ Hieroſolymâ, expiràſſe.

§. I.

IN primis autem magni momenti hoc beneficium legibus ſuis vivendi inter Judæos, tantoqve majoris fuit, quò magis illi ab omnium hominum Juribus recederent. Unde in aliorum poteſtatem bello redacti, & libertate ſeu Jure ſuo privati, in ſævisſimas calamitatum & miſeriarum Charibdes, ex eo demerſi, & tantùm non ſubmerſi ſunt, quòd in peregrinarum legum obſervationem ſub Antio-

tiocho, & deinde ſub Romanis adigerentur; quod omnium ipſis triſtiſſimum fuit.

2. A captivitate Babylonica Cyrus iis non niſi reditum in terram ſacram & natalem ſuam, cum poteſtate ædificandi templum decrevit. *Eſdr. 1. v. 2. & ſeqq.* Quo proinde edicto conſtat nondum ipſis indultam fuiſſe autonomiam ſeu jus liberæ civitatis. Nec plus indulſit Darius; *Eſdr. 6. v. 3. & ſeqq.* nec ex prædictionibus vatum, Aggæi & Zachariæ, promiſſum plus fuit. *Eſdr. 5. v. 2.* Primus omniũ verò Artaxerxes autonomiam & ſuis legibus ac judiciis utendi copiam iis conceſſit. *Eſdr. cap. 7. verſ. 25. & 26.* nec aliud extat edictum ullum de reſtituenda civitate Hieroſolymitana, cujus forma non conſiſtit in lapidib9, ſed legibus & judiciis. *ſup. c. 15. §. 15. & paſſ. Jur. publ. cap. 17.* Inde ergo certum initium civitatis & reparatæ reip. Judaicæ ac vaticinii Danielis repetendum eſt: Jus muniendi deinde Nehemiæ precibus acceſſit. *Neh. 1.* Quibus rebus quàm omnia mirificè conveniant, alii loco reſervamus. Hac ratione itaque Judæi ex immediato ſervitutis ſtatu in libertatem ſeu mediatam civitatem & remp. autonomiâ reſtituti ſunt.

3. Judæâ deinde, unà cum Perſis devictis, in poteſtatem Macedonum immediatam rurſus redactâ, Alexander M. ſingulari gratià denuò Judæis autonomiam & legibus ſuis uteudi licentiam reddidit, teſte Joſepho; *lib. 11. Antiq. cap. 8.* qui latiùs recenſet, *ut permittente Pontifici Re-*

ge

ge petere quod lubuerit, autonomiam ſeu legibus ſuis vivendi libertatem petierit; Cui cùm Rex annuiſſet, Pontificem, pergit, *ulteriùs rogaſſe, ut Judæis in Babylonia & Media quoq; eodem jure uti liceret: & id ipſum quoque Regem indulſiſſe, unà cum immunitate ſeptimi anni.* quod itidem Judæi petebant legis ſuæ ſervandæ causâ. *Levit. 25. v. 3. & ſeqq.*

4. Hoc jus, ab ipſo Victore Judæis conceſſum, & exinde optimo maximo jure Gentium quæſitum, cùm ejus in Syriam Succeſſor, Antiochus, per ſummam injuriam ac Tyrannidis ſævitiam eripere Ipſis vellet, bellum inde natum eſt, quod Judæis initio quidem, ſanctiſſimo Numinis conſilio, luctuoſum, at eventu lætum, & hoſtibus exitiale fuit. Ejus enim belli, quod Ducibus Aſſamonæis ſeu Macchabæis geſtum eſt cum Antiocho & Succeſſoribus ejus, unica cauſa fuit edictum Antiochi, *ut omnis populus eisdem legibus viveret, & ſuas quiſque relinqueret;* quod extat *1. Macchab. c. 1. v. 43.* Quod & agnovit Dux Ipſius Lyſias, *1. Macch. cap. 6. v. 58. 59.* cum Regem ac Principes ita alloquitur: *Faciamus pacem cum hoc populo, eique permittamus legem ſuam ſervare; ſicut & antè: non enim aliâ de cauſa in nos excandeſcunt, & nobiſcum dimicant, quàm quia Legem ipſorum abolere ediximus.* Hoc ergo edictum cùm crudeliter exequerentur Rex & Miniſtri ejus, *d. c. l. v. 46. & ſeqq.* & plurimi Judæorum metu parērent, *Macch. 2. v. 15. & ſeqq.* unus primariorũ ſacerdotum Matthathias, cum ſuis ſe oppo-

oppoſuit, quos plurimi ſecuti, vi armatâ animadverterunt in violatores legum: *d. cap. 2. §. 41. & ſeqq.* atqve ita dicuntur, *obtinuiſſe legem de manibus Gentium & de manibus Regum. d. c. 2. v. 48.*

5. Quæ animi conſtantia, profligatis Antiochi ducibus, & Rege mortuo, filii ipſius, Antiochi Eupatoris, expugnavit animum, ut autore Lyſiâ conſentiret in Judæorum autonomiam, legibusque ſuis uti ipſis permitteret. *Machab. lib. 1. c. 6. v. 58. & ſeqq. & lib. 2. c. 11. v. 14. & ſeqq. v. 22. v. 25. v. 27. & omnino v. 31,* ubi Rex litteris firmavit poteſtatem *legibus ſuis utendi ſicut & priùs.* Sed cùm Demetrius occiſo Antiocho Syriam occupâſſet, recruduit bellum ſcelere eorum qui ad hoſtes deſciverant, &, cùm cæſo Judæorum duce Judâ, in ejus locum frater Jonathan Dux electus eſſet, ille denuo fugato hoſte, pacem Demetrio extorſit, quâ Juri ſuo Judæi redditi ſunt. *Macchab. 1. c. 9. in fin. Joſeph. lib. 13. Antiq. c. 2. Sulpit. Sev. Hiſt. ſacr. lib. 2. pag. 124.* Tum verò, quando jam ipſi hoſtes inter ſe bello contenderent, utraque pars certatim Jonathæ non ſaltem autonomiam obtulit; ſed & jus armorum, purpuræ, aliaque beneficia, & inſignia propè regia; adeò ut quisq;, veluti licitando amicitiam Judæorum, precio non minùs quàm armis ſuperare hoſtem contenderet, ut pluribus refertur *1. Macchab. 10. & 11.* Jonathane mortuo frater ejus Simon, non modò Dux belli, ſed & Princeps terræ, & ſummus ſacerdos à

R popu-

populo conſtituitur, & à Rege firmatur: de cujus felicitate *vid. Macch. 1. cap. 13. & ſeqq.* quæ ita continuavit, ut tandem diſſolutis regum Syriæ viribus, Aſſamonæl, poſt annos 481. à reditu, denuò Judæorum populo regnum, & ſibi regiam dignitatem vindicaverint. Joſeph. *Ant. lib. 13. cap. 19.*

6. Tandem verò ceſſere in poteſtatem Romanorum, ſalvis non tantùm legibus ſuis, ſed & ſalvâ ſummâ & Regiâ poteſtate: more Romanorum, qui Regibus devictis regna ſua reſtituere ſolebant, eâ formulâ, ut Majeſtatem P. R. comiter conſervarent. de quo *in l. 5. §. 1. ff. de Capt. & poſtl. & apud Cic. Orat. pro Balb. circ. med.* Igitur pro amicis & ſociis ſeu confœderatis Reges iſti habiti ſunt. Quod vel ex reſponſo Auguſti patet: qui, cùm Herodes apud Ipſum graviſſimorum criminum reus poſtularetur, minatus ei eſt, *ſe hactenus eo uſum ut Amico, poſthac habiturum pro Subjecto.* Joſeph. *l. 16. Antiq. cap. 15.*

7. Herode verò mortuo, Archelaus filius quidem non ſucceſſit in ſceptrum Iudæ, ut expoſitum eſt *ſup. cap. 11. §. 3.* ſuis tamen adhuc legibus vixerunt Judæi ſub Tetrarchis ſuis, Herodis filiis. *d. c. 11. §. 5, Tacit. Hiſt. lib. 5. c. 9.* &, quanquam filiis iſtis Tetrarchis vel mortuis vel relegatis, Judæa in provinciæ formam rejecta, & Syriæ adjuncta, quin & jus gladii ademtum ei eſſet, nondum tamen apparet, autonomiam Ipſis pariter

ter ereptam fuiſſe: Nam & Pilatus ipſe provocat ad legem Judæorum, atqve ad illam eos remittit. *Joh. 18. v. 31.* Quin adeò rebus eorum favit Claudius Imp. ut omnibus Judæis ſub Imperio Romano degentibꝰ poteſtatem legibus ſuis vivendi, ad preces Regum Agrippæ & Herodis, indulſerit, quæ extant apud *Joſ. lib. 19. Antiq. cap. 4.*

8. Verùm, qui ſucceſſêre Procuratores Judææ & Præſides Syriæ, cum Præfecturam ſuam nimis avarè, ſuperbè, & crudeliter in Judæos geſſerunt, tum legibus ſuis eos vivere paſſi non ſunt. Quæ res cauſam deniqve dedit funeſtiſſimo iſti bello, quo à Romanis reſp. Judæorum cum metropoli & templo funditus deleta fuit: Ejus enim belli cauſam unicè fuiſſe, quòd jure ſuo liberè uti Judæis permiſſum à Præfectis Romanis non fuerit, ipſe Rex Agrippa docet, qvi oratione ſua ad Judæos ita loquitur: *Una ſiquidem nunc vobis intentio eſt, ne quid de patriis inſtitutis ſolvatur &c. Joſeph. lib. 2. de Bell. Jud. c. 16. circa fin.*

9. Neqve verò ideò credi oportet injuſtum belli exitum fuiſſe, cùm victoria à partibus populi R. atqve adeò ab injuſta belli cauſâ ſteterit. Etſi enim Præfecti Romani injuriâ in Judæos ſævirent, eosq; Jure ſuo ac legibus, quas jure defendebant, ſpoliarent, tamen Judæi jure ita puniti, &, licèt à Romanis injuſto bello peterentur, tamen juſto Dei judicio, in pœnam execrando-

rum facinorum everſi ſunt: ut pluribus demonſtratum *in Diſp. Generoſisſimi Juvenis, Dn. W. F. de Danckelman. de Iuſt. præl. exit. ſect. 5.*

10. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, Judæos, amiſſo licèt morte Herodis regno proprio & ſceptro Regio, autonomiâ tamen & ſuis legibus usq; ad novisſimum bellum uſos, eoqve Romanis mediatè ſubjectos fuiſſe: & regnum adeò, ſeu ſceptrum Judææ, Herodis obitu; autonomiam, ſubſecuto bello Romano; omnem civitatis ſpeciem occupatâ & deſtructâ Hieroſolymâ, quaſi inducto aratro, expirâſſe.

Caput XVIII.

Applicatio generalis ad Regnum Germaniæ. Ubì de diſcrimine nationis juris Germanici & aliarum nationum: De numero Provinciarum: De Regno Auſtraſiæ ſeu Franciæ orientalis, ejusqve geminâ provinciâ &c.

SUMMARIA.

1. *Brevis conſpectus eorum, quæ in prioribus 7. capitibus:*

2. *Et eorum quæ porrò hactenus tractata.*

3. *Ho-*

3. *Horum applicatio ad rationes Imperii Germ.*

4. *Exponitur diſcrimen, (etſi Juris peritis notisſimum) inter cives & peregrinos. Id eſſe ex jure gentium.*

5. *Nec tantùm ad privatos pertinere, ſed & ad Reges & populos.*

6. *An, & quando Rex extraneus electus jus ſuum priſtinum amittat.*

7. *Excluſione peregrinorum à Juribus civium propriis, nemini hominum injuriam fieri, nec ullum populum eo offendi.*

8. *Sereniſſ. Reges Boh. olim non ambiviſſe jus Germanicæ civitatis, ſed magis ei repugnâſſe. Hodie vero utrinque, & magno utriusq; regni ornamento, aliud placuiſſe, & quâ ratione.*

9. *Deinde demonſtratur numerus Provinciarum Germaniæ & nationis Germanicæ; & proponitur ſtatus quæſtionis.*

10. *Oſtenditur Bavaros, Suevos, Francos, & Saxones impleſſe continentibus ſedibus univerſam Germaniam, usque ad terras Slavicæ nationis, nullibi interruptâ ſerie.*

11. *Reliquum Germaniæ, præter Cimbricam Cherſoneſum, tenuiſſe Slavicæ nationis populos, in ſeptentrionem Venedos, in ortum Moravos. Ita ab omni memoriâ non niſi ſex populos Germaniæ fuiſſe.*

12. *Probatur, Thuringiæ regno ſucceſiſſe Saxonum populum, nec, ex quo à Francis victa fuit, eam fuiſſe peculiarem provinciam ſeu populum, ſed partem Saxoniæ; quæ tum acceſſit Franciæ, & deinde iterum Saxoniæ aſſerta eſt.*

13. *Quàm inſignia hinc jura in J. publ. detecta ſint, quæ antea in obſcuro latuêre.*

14. *Thuringiam inde non fuiſſe provinciam à Saxonia & Francia ſeparatam, ſed vel hujus vel illius partem.*

15. *At in ripa Rheni Gallica quoque fuiſſe Germaniam, ſuperiorem & inferiorem; quæ, ex quo Francia unita fuit, ſeptima acceſſit Germaniæ provincia.*

16. *Ut differant hæ duæ Germaniæ, à duabus Belgicis: & de initiis Auſtraſiæ.*

17. *Belgas antiquitus é Germania, hoc nomine nondum cognito, tranſiiſſe in Galliam Belgicam; deinde alios conſediſſe ad ripam Rheni, eamqve Germaniam primùm vocâſſe.*

18. *Hanc Germaniam fuiſſe in Gallia Belgica; quæ ſub Auguſto in 4. partes diviſa fuit.*

19. *In hac Gallia Belgica Francos Germanos primùm occupâſſe Germaniam inferiorem; eique à prælio Tolbiaco acceſſiſſe ſuperiorem.*

20. *Quod autoritatibus porrò probatur.*

21. *Hanc Germaniam accreviſſe Franciæ trans Rhenum, & per eam Germaniæ & Germanicæ nationi.*

22. *Eam fuiſſe deinde vocatam Auſtraſiam, & unde?*

23. *Hinc ſolenne diſcrimen inter Auſtraſiam & Weſtraſiam.*

24. *Quod illuſtratur & probatur.*

25. *Auſtraſia regnum illud ipſum eſſe quod ex Francia Germanica & terra Rhenenſi coaluit. & præcipuum fuit.*

26. *Quod pluribus probatur.*

27. *Regnum Auſtraſiæ, etſi reliquæ Germaniæ provinciæ ei bello ſubjectæ*

jecta fuerint, ab iis tamen diſcerni.
28. *Hinc fluere 5. provincias Teutonicæ nationis.*
29. *Quod plenius demonſtratur.*
30. *Etiam ex hiſtoria* der vier Landen.
31. 32. *Quomodo inde fluat quinqve provinciarum numerus.*
33. *Et hodie 6. Circulorum. Hos omnino à Maxim. I. & neutiquam ab Henrico I. inſtitutos fuiſſe.*

§. I.

HIs ita quaſi à ſtirpe ſua excitatis, evidens eſt, caput omnium bonorum, quin omnis juris, privati & publici, eſſe libertatem, prouti ea jure definita eſt; *Vid. ſup. cap. 2. & 3.* ejusque verbi compendio concluſam eſſe univerſam felicitatem ac beatitudinem civilem, ſeu ſummum illud bonum, vel ſingulorum, quæ privata; vel civitatum, quæ publica eſt libertas; atqve hinc illam eſſe commune omnium hominum; hanc omnium populorum, votum, ſummamque omnino omnis voti humani; non quidem prout eſt, ſed prout cuiqve apparet. *ſup. cap. 4.* Unde & oſtendi debuit, quàm homines, & quibus ex cauſis à linea & meta ſummi hujus boni, & felicitatis civilis aberraverint, vel deſciverint, atqve ad ſenſum ejus, obliteratis ſocietatis ſeu civitatis humanæ veſtigiis, propemodum obbrutuerint: quanta item fuerit hujus corrupti ſtatûs

 hu-

humani infelicitas. *ſup. cap. 5.* Quàm proinde neceſſarium fuerit, reduci homines ad ſummum bonum civile, atque ita ad ſtatum humanitatis, nec aliam rationem fuiſſe reparandi inter eos, invitos quoqve, ſummi ſui boni civilis facultatem. Nec tamen ideò verum iſtud bonum deſinere eſſe commune omnium, etiam adverſantium, votum ac ſtudium; & nec ideò minùs ſalvam ac integram eſſe omnium libertatem, privatam & publicam; eâqve comprehenſam veram felicitatem ſeu bonum ſummum civile, ſcopum omnium civitatum. *ſup. cap. 7.* Quam ob cauſam inprimis neceſſe fuit evolvi latiùs, & cùm ex vero capite ſuo, tum ex Platonis & Veterum Sapientum, quos & JCti Romani, & primævi Chriſtiani ſecuti ſunt, ſententiâ, VOLUNTARII & INVITI rationes, Ariſtotelis & Sectatorum diſputatione maximè turbatas.

2. Quibus ita prolixiùs evictis, de civitatum triplici diſcrimine ex jure Gentium, & de cujusq; populi ad ſummum ſuum bonum, civile vel publicum, relatione in genere primùm actum: *ſup. cap. 8.* deinde ſpecialiter & evidentiùs oculis ferè omnium expoſita eſt genuina civitatis imago & facies, & demonſtratum, ejus ſcopum unicè eſſe LIBERTATEM, & hanc eſſe ſummum illius civile bonum publicum & IMMEDIATUM. *ſup. cap. 9.* Tum porrò, eandem libertatem, boniqve civilis rationem eſſe in Regno,

gno quocunque, (ſecus ac Romani ſenſère) & aliàs non fore Regnum, ſed rem privatam & monſtrum regni. Atq; iſta omnia,quæ ad primam civitatum ſpeciem, liberam & immediatam, pertinent, latiùs exequi operæ precium viſum eſt.

3. Inde ad alteram ſpeciem, immediatam & non liberam, progreſſi, oſtendimus, tolli libertatem publicam civitatis victæ, ſeu facultatem comparandi ex ſuo voto boni publici civilis, adeoqve de eo in ſuis Comitiis deliberandi ac ſtatuendi, ſed hoc immediatè conſtitui arbitrio & Comitiis Superioris. Reſtitutâ autem Victis *Autonomiâ*, reddi ipſis libertatem publicam cum facultate Sibi ipſis, ex ſuo voto, adeoque ſuis Comitiis *immediatè* procurandi boni publici ſuæ civitatis; at bonum publicum ſuperioris participare *mediatè*; atque adeò, cum corpus civitatis ſit membrum ſuperioris immediatum, ut alii cives & ſubditi ejus immediati, ſingulos non niſi mediatè tales intelligi poſſe. Unde hæc autonomia, quâ uſu & jure gentium intelligitur libertas publica, & tota reip. mediatæ gubernatio, *ſup. c. 15. §. 4.* inprimis diligenter explicanda fuit.

4. Ex his fontibus, eorumqve quæ latè hactenus expoſita ſunt, conſpectu, ultrò manant omnia quæ de diſcrimine civitatum Imperii, liberarum & non liberarum, mediatarum & immediatarum, cùm *in Jure publ. cap. 3. & paſſ. tractata;*

ctata; tum *ſup. cap. 1.* in compendium coacta ſunt: quæ tamen applicare ſaltem adhuc Imperii noſtri rationibus viſum eſt. Etſi verò, illis intellectis & expenſis, nullum dubium ampliùs Juris peritis ſubnaſci posſit, cùm tamen & alii in hæc jura involaverint, & pasſim involent, paucis pro majore evidentia, etſi certi ea juris, & extra controverſiam poſita ſint, præmittemus.

5. Primò itaqve omnium minimè in dubium vocari poteſt illud in vulgus quoqve notisſimum tritisſimumqve diſcrimen, quòd in civitate alii ſint cives, alii peregrini, quos, etſi in civitate commorentur, jus tamen civitatis & beneficia civium propria non habere, ſed *ἀπόλιδας* videri, nedum jura publica Imperii ſeu Comitiorum in illa civitate participare, conſtat: §. *1.* §. *2. de Jur. nat. l. 9. ff. de Juſt. & Jur. &c.* nam & alius Romæ Magiſtratus fuit civium, alius peregrinorum; *l. 2.* §. *28. ff. de Orig. jur.* quibus ex jure Gentium tantùm jus dictum fuit. Quod ſi itaqve ne illi quidem peregrini, qvi in civitate ſunt, jura propria civitatis illius privata vel publica habent, nedum extranei habebunt; niſi ſpecialiter id illis indultum fuerit.

6. Nec tantùm de privatis id verũ eſt, ſed multò magis de extraneis civitatibus & populis, qui alià civitate ejusqve juribus ab altera diſtincti ac ſeparati ſunt, nec ejus juris compotes fiunt, niſi beneficio ſingulari id ipſis quoqve conceſſum,

ſum, & in jus alterius civitatis illi recepti ſint. Quod jus civitatis ſemper & neceſſariò Regi iſti datum intelligitur, & competere oportet, qui aliunde in regnum adſcitus & electus eſt; nec fieri poteſt ne jus civitatis habeat qui civitatis caput eſt. Atque ita Chriſtophorus Oldenburgicus, in Regem Daniæ; Carolus Guſtavus in Regem Sueciæ; Henricus III. in Regem Poloniæ; Glorioſiſſimus Wilhelmus Princeps Arauſionenſis, in Regém Angliæ, adſumti; eo ipſo, & ut tales, jus & civitatem regni ſui nacti ſunt; uti Alphonſus Arragonius, & Richardus Anglus, Imperatores electi, jus Germanicum ſeu Francicum; & Sereniſſimi Auſtriaci regno Bohemiæ acquiſito, jus Slavicúm. Hoc enim jus totius regni, quod Capite & membris conſtat, adeoque & Regis eſt & Civium collectim ſumtorum: & ideò, quoties de Rege ut tali, ſeu ut rege iſtius regni, ſermo eſt, non aliud jus ille habet quàm jus iſtius regni, quippe quod tum repræſentat. Quod planiſſimè ita & diſertè ſcriptum eſt in utroq; Speculo, Regem electum, *undecunque ſit oriundus, gaudere debere jure Francico*: Er ſoll haben Fränckiſch Recht / er ſey von welcher Gebuhrt er ſeye. *Spec. Sax. lib. 3. art. 54. verſ.* der König ſoll haben ꝛc. *Spec. Suev. lib. 1. art. 22. §. 2.* Unde Germanus in Regem alterius Regni ac juris electus, dicitur pariter in utroqve Speculo, **daß er nicht Teutſch ſeye.** *Spec. Sax. d. lib. 3. art. 57. §. 2.*

Weich-

Weichbild Magd. art. 13. S. Lehn-R. *cap. 6. & Spec. Suev. lib. 1. cap. 29. §. 2.* Vid. *J. publ. cap. 1. §. ult. & cap. 12. §. 15.*

7. An autem tum jus priſtinum originis amiſiſſe videatur, quæri poteſt? Quod quidem aſſeritur in *d. cap. 22. §. 2.* von welcher Gebuhrt er gebohren iſt / das Recht hat er auch verlohren. eſtqve id rationi juris conſentaneum, quâ mutato translatoqve domicilio prius amittitur. *l. 5. l. 27. §. 2. in fin. ff. Ad. Municip.* Sed & eodem jure id limitatur, niſi alia voluntas, ſeu animus prioris unâ retinendi appareat, atqve ibi quoq; habitet. *l. 6. §. 2. d. l. 27. §. eod. tit.* Quodſi igitur Rex in loco originis habeat Principatus, territoria, &c. uti Carolus V. in Hiſpania quoq; jure regni, jus Hiſpanicum habuit; in Germaniâ, jure Principatuum ſuorum, Teutonicum, retinet omninò utrobiqve jus civitatis. Ubi erga populus, ejusve Princeps, jus civitatis non habet, eo loci nec ad honores, nec ad Comitia admittitur. Eſtqve id conſequens juris Gentium, quin illius diviſionis, quâ genus humanum diſceſſit in plures civitates; eâ enim id effectum eſt, ut cujusq; civitatis imperium & beneficia penes illius Cives perinde eſſent, uti antè fuerant penes omnes homines. *ſup. cap. 9. §. 3. & ſeqq.*

8. Unde patet, eâ excluſione nemini ulli hominum vel populorum quicquam præjudicii fieri, quia id jus mutuum & æquale ac commune omnium eſt, quo reciprocè in invicem utun-

utuntur; ut quæq; civitas de ſuo bono & re publica ſtatuat, legemque dicat, alios autem inde arceat, uti ex hactenus dictis ſatis liquet. Non magis igitur civitates vel Principes juris Hiſpanici, Gallici, Arelatenſis, Slavici, aut cujusque alterius nationis, ægrè ferunt, qvòd non admittantur ad Comitia Germaniæ, quàm Germani, quòd non ad illorum Curias vel Parlamenta, ut vocant. Nec magis illos offendit, quòd negentur eſſe ſtatus regni Germanici; quàm Germanos, quod negentur eſſe ſtatus Hiſpaniæ, Galliæ &c. offenderet fortè vel hos vel illos, ſi alterum aſſereretur: maximè cùm onus quoq; conjunctum ſit. *Vid. J. publ. cap. 19. §. 10.*

9. Illuſtre regnum Bohemiæ eſſe Juris Slavici nemo negavit, nec negabit, niſi qui ſolem; nec Glorioſiſſima natio Slavonica, cujus progenies tot regna ſunt ac Principatus, quæque ſatis ſui nominis gloriâ ſplendet, jus Germanicum ambivit. Quin Ferdinandus I. tantum abeſt ut affectaverit, ut acerrimè etiam contradixerit, & ad Carolum V. fratrem de terris Bohemiæ ita ſcripſerit: **Sie weren von dem Reich Teutſcher *Nation* in ein ander beſonder Reich und *nation* vor Alters her abgeſondert/ u. demſelbē nicht *incorpo*riret**; Et excipit inde ſaltē etliche Land Teutſcher Sprach und Zungen. *Vid. J. publ. c. 6. §. 6. & 7.* At res tota jam publicè definita, &, quæ magna & mutua Germaniæ ac Bohemiæ gloria eſt, hæc in illius ſocietatem pleno Comi-

Comitiorum jure *d. 7. Sept. 1708.* recepta fuit. Nec refert ex quo capite: ſive rerum Juris Germanici communio agnita; ſive id jus priſtini Electoratùs acceſſio viſum, ſive recens conſtitutum fuerit. Potuit enim vel tale jus dari (prout aliis Juris Slavici terris id datum fuit. *J. publ. c. 3. Sect. 5. in fin.*) vel, quaſi olim jam datum, reſtitui: & primæ Friderici I. conceſſionis ea interpretatio lege Imperii fieri, ut pro plena habenda, non autem ad actum illum electionis reſtringenda ſit: idque vel qvòd Jura iſta Archi-Officiorum à primâ ſuâ fundatione cohærerent; neqve Archi Pincernatum iis porrò mutilari é re Imperii videretur: vel quia eam mentem quoq; primi Autoris fuiſſe, & ſic intelligendam eſſe decretum fuit: ita ut beneficium Imperatoris plenum quidem videretur, etſi Regni Bohemici rationes fortè non tulerint, ut plenè tum reciperetur, cùm, ut dictum, onera quoq; contineantur; quæ nunc unâ ſuſcepta ſunt. Qualiscunqve autem ratio inita fuerit, valet jam ex SSta Imperii lege & autoritate, nec adeò indiget privati calami aut ratiuncularum præſidiis; nihilqve inanius videtur, quàm ex eo, quòd quis aliquando ad Comitia vocatus fuerit, vel in iis comparuerit, ad perpetuū jus ſedendi, ſuffragiū ferendi, & de rebus Imperii deliberandi ac concludendi arguere; cùm conſtet, ſæpiſſimè etiam planè extraneos, eorumve legatos & miniſtros, quin merè privatos ad ea vocari, invitari, andiri,

cum

cum iis conferri & negotia agi &c. quod nihil commune habet cum ordinario & perpetuo jure Comitiorum. Et ipſe Ferdinandus I. iterum in contrarium teſtatus eſt; daß ein König in Böhmen zu einigem Reichs-Tag nicht beſchrieben wurde/ auch weder Stand noch Stimm im Reichs-Raht hätte. *d. cap. 19. §. 10.* At nunc, ut dictum, aliud placuit, mutuo ornamento Imperii & Regni; cui utriq; inde ſplendor inſignis acceſſit, ſummumq; decus utrinq; inde datum & acceptum, quod ſubmiſſè venerari oportet, non diſceptare.

9. Alterum quod præmittere viſum fuit, eſt de numero populorum Germaniæ: quem tam evidenter exhibitum puto *in J. publ. cap. 3. per tot. & paſſ. alibi.* ut mirari ſubeat, non tam qvòd adeò varient, & alii tres ſaltem, alii multò plures recenſeant, quàm quòd dubitent; cùm nulla in re magis conſpiret ac ſibi conſtet fides & ratio Annalium: adeò ut ne cauſam quidem de qua agitur, ſatis aſſecuti videantur. Id enim quæritur: Quot in Germania tum, cùm à Francis ſubigi armis cœpit, & tandem ſubacta eſt, fuerint integræ provinciæ, ſeu populi qui integram civitatem propriam & ab aliis civitatibus ſeparatam habuere; non verò de iis, qui portio tantum alterius populi ſeu provinciæ fuere, ut pars reſidua veteris Thuringiæ. Cùm enim quæſtio ſit de populis, qui jure belli acceſſerunt Regno Franciæ, non poteſt id intelligi niſi de populis inter quos jus belli fuit, ſcil.

ſcil. qui tempore ſubjectionis fuère ſui juris, ſeu cum ſumma poteſtate: aut tales ſaltem, quæ propriam & peculiarem civitatem habuere: non autem de ſingulis provinciarũ terris & particulis, quæ ſub ipſis, non ſeorſim, & bis numerantur.

10. Quid verò jam certius, quàm tempore Clodovæi M. (à quo cœpit Monarchia regni Francici) fuiſſe primùm intra fines Germaniæ Bavaros & Suevos ſeu Alemannos; cum quibus prælio Tolbiaco Clodovæus M. Francè conflixit. Hos conſtat impleviſſe totum latus Germaniæ meridionale, & Bavaros quidem compreheuſis terris Auſtriacis usque ad terminos Hungariæ & Curpaticos montres; Suevos comprehensâ Helvetiâ, usque ad terminos Galliæ, & montem Jura vel Rhenum habitaſſe, inter ſe autem confines ac Lyco fluvio diviſos fuiſſe: *Ursperg. Chron. fol. 127. in vit. Caroli M.* Cum Suevia deinde continuâſſe Franciam: (de quo *Auſon. Edyll. 8. Francia mixta Süevis.* Vid. *Guillim. in Helvet. lib. 2, cap. 9. p. 232.*) cum Francia Saxoniam, ut Hieronymus dixit *in vita Hilar. Inter Alemannos & Saxones gens, non tam lata quàm valida, Francia vocatur.* Vid. *Aimoin. lib. 2. cap. 10. Gobelin. at. 1. cap. 5. Ad. Brem. lib. 1. cap. 8.* Atque ita hi quatuor primùm populi continentibus terris occupant totum latus Germaniæ meridionale & occidentale: illud, verſus Alpes, Bavari & Suevi; hoc, verſus Galliam ſeu Rhenum, Franci & Saxones; ut *Amm. Marcell. lib. 27. cap. 8.*

in.

inqvit: *Francos & Saxones Gallicanis tractibus confines fuiſſe.* Saxonia autem verſus Septentrionem usqve ad Normannos protenſa, & ab iis Eidorâ fluvio diremta fuit. *A. Brem. lib. 10. c. 4. Ursperg. fol. 148.*

11. Quod reliquum eſt Germaniæ, præter Cimbricam Cherſoneſum, quam Dani inſident, tenuère Nationis Slavicæ populi, diviſi in duo genera: alii enim ſunt orientales, quorum terræ olim fuère Marcomannorum, ſeu Moravorum: Alii Septentrionales, ubi olim Vandalia fuit. *Vid. J. publ. cap. 3. ſect. 4. & 5.* Illi latus orientale clauſère, verſùs meridiem Bavaris finitimi; hi ſeptentrionale, ubi Saxonibus contigui, & Albi fluvio ab iis ſubmoti ſunt. *A. Brem. lib. 1. cap. 2. in fin. & lib. 2. cap. 13. Gobelin. æt. 1. cap. 5. Helmold. lib. 1. cap. 2. Crantz. Vandal. l. 2. c. 19. Vid. J. publ. cap. 3. ſect. 5. §. 69.* A tergo autem hi populi Slavicæ nationis junguntur Francis & Saxonibus, à quibus ſeparantur Albi, Salâ & & montibus usqve ad Bavaros. Vid. *d. §. 69. Æn. Piccol. de Stat. Eur. ſub. Frid. III. cap. 31. Ursperg. Chron. fol. 128.* Franci ergo & Saxones ad occaſum Rheno; ad ortum populis inclutæ nationis Slavicæ; verſus meridiem verò Franci Bavaris & Suevis, Saxones verò Francis contermini ſunt. Atqve ita iſti ſex populi omnia undiqve latera continuâ ſerie claudunt, & ab altera parte invicem pariter contingunt.

S   12. Ut

12. Ut proinde conſtet, intra hos limites Germaniæ non alios fuiſſe populos liberos, ſeu immediatè regno Germaniæ ſubjectos, quàm Bavaros, Suevos, Francos, Saxones, Vandalos, & Moravici regni populos; finesqve eorum ita invicem cùm à fronte tum à tergo continuari & mutuò contingere, ut in toto hoc corpore nullus populus liber intermedius continentiam dividat, aut ſeriem indivulſam eorum interſecet. Neqve adduci in contrarium posſunt Turingi, quorum potens in Germania regnum fuit. Nihil enim notius & vulgatius eſt, quàm illud regnum cum Hermenfrido, à Francis occiſo, debellatum, ſubjugatum & extinctum fuiſſe; ut *in Geſt. Franc. epitom. cap. 33.* dicitur: *Ipſe,* (Ermenfridus) *à Theudeberto, filio Theuderici* (Auſtraſiæ Regis) *interfectus eſt. Regnum Thoringorum ditioni Francorum ſubactum eſt.* Quæ tamen terra ex lege fœderis inter Saxones, quorum ope victa erat Thuringia, & Francos, ita partita fuit, ut terræ Turingorum Saxonibus ceſſerint, & jam Saxonia ſit quod antè regnum Turingiæ; pars autem iſta, in quam reliquiæ belli confluxère, & hodie nomine *Thüringia* venit, antiquo Germanorum more (Vid. *J. publ. cap. 4. §. 5.*) vicinæ provinciæ, ſcil. Franciæ, acceſſio facta ſit. Hæc quis neſcit? Sigfr. Presb. *lib. 1.* inquit: *Erat terra Thuringiæ ſpacioſa, quæ à Natione Francorum protendebatur usque ad Oceanum contra Septentrionem:* Et illam à Saxonibus occupatam

tam refert; quòd & latè recenſent *Witichind. lib. 1. Gobelin. æt. 5. cap. 11. Alb. Stad. ad ann. 917. Urſperg. fol. 146. &c.* Add. *Joh. Maur. Guden. in Hiſt. Erfurt. lib. 1. cap. 2. in med.* Et A. Brem. *lib. 1. cap. 3. in fin.* ait: *Altera pars* (Saxonum) *Thuringiam oppugnans tenuit eam regionem.* Unde & *d. l. 1. cap. 7.* tanquam rem promiſcuam, ſive Saxoniam ſive Thuringiam dicas, inquit: *Thuringi* NB. VEL *Saxones ex antiquo Francis tributarii leguntur.*

13. Ex quo in *J. publ. cap. 15. §. 17. & ſeqq.* in cauſa Comitum Palatii, deteximus quòd adeò involutum fuit, Palatium Thuringiæ & Saxoniæ unum idemqve intelligi, nec unquam duplex fuiſſe; & inſignia quoque convenire. Quemadmodùm inde & illud de nocte ſua eruimus, quod in utroqve Speculo dicitur: Dieſe 4. Landen (inter quas Saxonia nominatur) waren hievor alle Königreiche/ quod de populo Saxonum falſisſimum eſt, ſed de Thuringis verum. *J. publ. d. §. 17. & ſeqq.* Senſus ergo jam patet, quòd terra Saxonica regnum olim fuerit, nempe ſub Thuringis. Saxonia itaqve ſucceſſit in locum regni & populi Thuringici, nec ſimul duplex populus liber fuit, ſed ſucceſſivè vel ſurrogationis jure unus: Quod autem Thuringorum reſiduum fuit, & hodie Thuringia vocatur, Franciæ ſubjunctum, atque ex lege ac fœdere partitionis, ſub hac primùm provincia fuiſſe, eamqve Reges Auſtraſiæ cum Fran-

cia ſua orientali poſſediſſe conſtat. *Greg. Tur. lib. 3. c. 7. & 8.* Vid. *Annal. Fuld. ad ann. 719. & ad ann. 774. Aimoin. lib. 2. cap. 9. Gobelin. æt. I. cap. 5. & æt. 6. cap. 29.* adeò ut Pipinus, diviſo inter duos filios regno, Majori, cum Auſtraſia ſeu Francia orientali, Turingiam dederit. *Fredeg. Schol. Chron. cap. 110.* etſi aliquoties Saxoniæ rurſus adhæſerit, ut pluribus memorat *Joh. Maur. Guden. in Hiſt. Erfurt. lib. 1. cap. 2. in med. & cap. 4.*

14. Nunquam ergo iſta Thuringia fuit provincia à Franciâ & Saxoniâ diſcreta, ſed modò illius, modò hujus portio ſeu acceſſio: cui tandem Henricus I. pulſis Franciæ Ducibus, eam aſſeruit, & Dux Saxonum & Turingorum dictus fuit; non quod Saxonia tum in duas pari jure provincias ſeu Ducatus diviſa, ſed quòd Thuringia alia à Saxoniâ terra, & recens quæſita fuerit: uti & antè, cùm ſub Francis eſſet, Thuringi à Francis diſtincti, ſed Franciæ acceſſio fuêre. Quod & clariùs apparet *ex J. publ. cap. 3. §. 31. & cap. 15. §. 18.* & ex porro jam dicendis.

15. Etſi autem non fuerint intra fines Germaniæ magnæ niſi ſex iſti populi liberi, §. 11. recenſiti; attamen trans Rhenum quoq; quædam fuit Germania, quæ & ipſa diviſa fuit in Germaniam ſuperiorem & inferiorem, ſeu, ex formula Romana, & eodem ſenſu, in primam & ſecundam. Ita *D. Caſſ. Hiſt. lib. 53. poſt princ.* ait:

ait: Κελτῶν τινὲς, οὓς δὲ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες, Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν· τὴν μὲν ἄνω, τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς, τὴν δὲ κάτω, τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. *Celtarum quidam, quos Germanos vocamus, occupatâ totâ ad Rhenum Celticâ, eam Germaniam vocari fecerunt: & quidem ſuperiorem illam, quæ verſus fluvii* (Rheni) *fontes; inferiorem verò illam, quæ usque ad Oceanum Britannicum eſt.* Et *Amm. Marcell. lib. 15. c. 11. Superiorem & inferiorem Germaniam Belgasque duæ Jurisdictiones iisdem rexêre temporibus.* Hujus diviſionis Germaniæ cis-Rhenanæ in ſuperiorem & inferiorem ſæpe quoque meminit Tac. *Ann. lib. 4. c. 73. & Hiſt. lib. 1. c. 52. 53. & 61.* Item *d. l. 1. c. 55. lib. 2. c. 93. lib. 4. c. 19. Conf. lib. 3. Ann. c. 41. lib. 6. c. 30. & lib. 1. Hiſt. cap. 8. 9. & 50.* quæ loca omnia agunt de Germania cis-Rhenanâ, Romanorum provinciâ & limite, in ripa Rheni Gallica, quam Romani caſtellis obſeptam, & legionibus ſuis inſeſſam, ad Rheni cuſtodiam tenebant. *Flor. lib. 4. Hiſt. c. 12. in med. Panegyr. Conſtantino dictus in princ. Rhenum Tu quidem toto limite diſpoſitis exercitibus tutum reliqueras.* Unde duplex eorum ibi exercitus, ſuperioris & inferioris Germaniæ, de quibus *Tac. dd. ll.* Pari ſenſu dividitur in Germaniam I. & II. Vid. *Amm. Marcell. lib. 15. cap. 11. Pontan. Orig. Franc. lib. 1. c. 4. B. Rhenan. Rer. Germ. lib. 1. rubr. Germania I. & Germ. II. & rubr. Franci in Germ. II. D. Obrecht. in Prodr. Alſat. cap 4.*

 16.

16. Sed unde ergo duæ Germaniæ, & duæ Belgicæ ab invicẽ ſeparatæ? Nam & Belgæ Germani fuère, teſtibus *Cæſ. de B. G. lib. 2. c. 1. in fin. Tac. de M. G. c. 28. & 29. Plin. lib. 4. c. 13. in fin. & c. 17.* Nec res caret ſcrupulo, quem & movit Henr. Valleſius *in notis ad Amm. Marc. d. c. 11.* ſed non exemit. Vid. *Dn. Obrecht in Prodr. Alſ. vol. 1. c. 4.* qui tamen nec ipſe ſolvit: & mirum plane videtur, Belgicam I. & Germaniam II. ita invicem permixtas, & ferè confuſas eſſe. Ut igitur hinc evincamus Auſtraſiam noſtram, & appareat, eam eſſe ipſum illud regnum Franciæ, cujus matrix & terra primigenia quaſi eſt *Francia Germanica*, ſeu *Franconia*, Vid. *Obrecht d. tract. cap. 5. p. 30. & ſeqq.* cui deinde transmiſſo Rheno ſub Merovæo acceſſit pars Belgicæ ſeu Germaniæ cis-Rhenanæ, quæ Auſtraſia dicta, atque ita regnum illud ex gemina hac provincia, ſub nomine Auſtraſiæ conſtitutum fuit, ut oſtendimus *in J. publ. cap. 3. ſect. 6. & 7.* operæ omnino precium eſt, rem paucis evolvi.

17. Primum igitur certum planè eſt, Belgas eſſe Germanos, *per all. ſup.* §. *13. in princ.* quos à Chattis oriundos ait Tacitus, *d. c. 29.* Verùm illi dudum antè traducti ſunt in Galliam, adeò ut jam Cæſaris ætate id ANTIQUITUS factum dicatur; *Cæſ. d. c. 1. in fin.* cùm Germanorum nomen, quod tum novum adhuc fuit, *Tac. de M. G. c. 2. v. 8.* nondum innotuiſſet. Ab illis itaqve tertia pars Galliæ, quam Belgarum gentes

tes inter ſe permixtæ, usqve ad mare Britannicum inſederant, *D. Caſſ. Hiſt. lib. 39. in princ.* Belgica dicta, *Cæſ. de B.G. lib. 1. c. 1.* & tum Sequanâ, Matronâ, Rhenô & Oceano concluſa fuit. Cum verò deinde, & recentiùs, alii quoque Germaniæ populi Rhenô trajectô in Galliam migrarent, ad proximã Rheni ripam illi conſederunt, & totam occupârunt, eamque Germaniam dixerunt, quæ diviſa deinde fuit in *ſuperiorem & inferiorem,* ſeu *primam & ſecundam*; ut *ſup. §. 15.* ex loco maximè Dionis, vidimus, qui expreſſè ait, *Germanos occupaſſe totam NB. ad Rhenum Celticam,* (id eſt, Galliam, *Cæſ. d. l. 1. c. 1.* quâ ad ripam Rheni ſita eſt) *eamque Germaniam dixiſſe.* Cui mirificè ſuffragatur Tacitus *de M. G. c. 28. Ipſam Rheni ripam haut dubie Germanorum populi colunt. & Plin. l. 4. c. 17. in f.*

17. Hæc itaqve Germania fuit in Gallia Belgica, partim tamen etiam, ex veteri recenſione, in Lugdunenſi: Quo ſenſu verè dixit Ammianus, *d. cap. 11.* iis temporibus duas Juriſdictiones has terras, ſcil. *Germaniam cis-Rhenanam utramqve, & Belgicam rexiſſe;* etſi Valleſius id improbet. Deinde verò ab Auguſto, qui dividi provincias conſultum duxit, mutati ſunt fines Belgicæ, & ad ſuperiorem quoqve Rheni ripam prolati, ac Lugdunenſi detracti. Vid. *Cluver. lib. 2. Introd. cap. 10. §. 1. & 2.* Tum in quatuor partes Gallia Belgica diviſa fuit, ſcil. in duas Belgicas & duas Germanias; & ſic hoc quoqve computu, Germania illa in Gallia Belgica ſita, ejusqve pars eſt: quo modo & Ptolomæus *lib. 2.*

Geogr. cap. 9. eam Belgicæ rectè adſcribit, etſi ſecus viſum fuerit Dn. Obrechto. *d. tract. c. 4.* Atq; ita Gallia Belgica retinet nomen ſuum, & utraq; protenſa eſt ſecundũ longitudinem Galliæ ab occaſu in ortum, ſeu ab Oceano usqve ad Rhenum; Germania autem illa, ſecundùm latitudinem Galliæ, à ſeptentrione in meridiem, per corpus Galliæ Belgicæ, & latus ejus orientale tranſiit, ac omnem Rheni ripam complexa eſt, Vid. *Itin. Anton. Aug. p. 83.* ubi hæc rubr. *A Lugduno, NB. capite Germaniarum, Argentoratum.*

18. In hac jam Gallia Belgica Franci Germani, quorum tum regnum Franciæ Orientale unicè in provincia Franciæ Germanicæ fuit, *J. publ. c. 3. ſect. 6.* terram primùm, quæ Rhenum & Moſam interjacet, & Germaniam II. ſeu inferiorem cum parte Belgicæ I. complectitur, Rege Merovæo, occupârunt, atqve in ea ſolium & primariam ſedem regni ſui fixerunt. *B. Rhenan. lib. 1. rubr. Franci in Germ. II. & utriusque Belg. partem. pag. 112. Thuan. lib. 11. ad ann. 1552. in Reb. Germ. & Metenſ. Maſſon. Annal. lib. 1. in vita Merov. in fin.* Germaniam autem I. ſeu ſuperiorem, Alemanni, ſeu Suevi, Rheno ſimiliter ſuperato, ſui juris fecerant. Atqve ita duo hi populi Germaniæ, invicem vicini, omnem Germaniam cis-Rhenanam tum tenebant, Franci inferiorem, Alemanni ſuperiorem. Verùm prælio Tolbiaco victis Alemannis hæc victori Franco ceſſit; atq; hâc proinde victoriâ tota ripa Rheni Gallica, ſeu tota terra Rhenenſis, id eſt, utraqve Ger-

ma-

mania cis-Rhenana, ſuperior & inferior, quæ fuit in ſolo Gallico, cum parte Belgicæ I. Regno Francorum primitivo, quod nullibi niſi in ſolo Germanico erat, tanquam matrici, ſubjuncta fuit. Etenim id certâ Annalium fide proditum, Francos in Germania magna regnum jam Pharamundo rege facto conſtituiſſe, cùm nondum latum pedem terræ in ſolo Gallico posſiderent: nec ante Meroveum firmam ſedem in Galliâ habuiſſe. Nam Pharamundi Succeſſor, Clodio, ſedem regni Duisburgi, in finibus Thuringorum, habuit, & ex eo loco primus in Galliam tranſiit. Vid. *J. publ. cap. 3. §. 81. & ibi alleg.* Idem refert *Ivo Carnot. in Chron. Reg. Franc. Clodio de Thuringiorum finibus egreſſus Rhenum tranſiit.* Et in *Geſt. Franc. epit. Clodio miſit exploratores de Diſpargo, Caſtello Toringorum, ipſe poſtea Rhenum tranſiens:* Et in *Epit. Greg. c. 9. Clodio, qui reſidebat in termino Toringorum, miſſis exploratoribus ipſe ſequitur.* Sed cùm ipſe ab Aetio iterum expulſus fuerit, filius ipſius, Meroveus, demùm *primus firmam ſedem* ibi fixit, & hinc Galli ab eo Reges, qui in Gallia ſederunt, numerant. *Guillim. Helv. lib. 2. c. 9. in fin. pag. 232. Rhenan. lib. 1. p. 115.* Quicquid igitur in Gallia, & ubicunqve, bello Francis quæſitum eſt, regno ipſorum primigenio ceſſit; quippe cujus armis, opibus, atq; auſpiciis ea victa, ſubacta, & acqviſita ſunt, totumqve adeò in jus & nomen *Franciæ Germanicæ* ſeu *Auſtraſiæ*, (de qua mox) tranſiit.

19. Hæc perſpicua quoqve brevitate Guillimannus ita docet: *Ab hoc ſanè tempore, & interfecto etiam Valentiniano III. Imp.* (quod fuit ipſum illud tempus Merovei Regis Francorum, quem primum firmam ſedem in Gallia fixiſſe diximus.) *easdem quoqve provincias & urbes* (Germaniæ cis-Rhenanæ) *retinuêre, inferiores Franci: Alemanni ſuperiores. Poſtremò, parte ſua haut contenti Franci & Alemannos apud Tolbiacum debellârunt, &., NB. quicquid obtinuerant, ſuo imperio ſubjecêre:* apud *D. Obrecht. in Prodr. cap. 5. pag. 29.* qui & ipſe, cùm ex Greg. Tur. recenſuiſſet quæ Franci in Gallia armis acqviſiverant, addit *pag. 33. Quæ omnia avito Franciæ Trans-Rhenanæ ſive Germanicæ dominatui acceſſerunt.* Ita B. Rhenan. *lib. 1. d. rubr. Franci in German. pag. 113.* ait: *Alemanni, qui Germaniam I. Elbecenſem tractum, & Maximam Sequanorum occcupârant, in jus & nomen Francorum conceſſere.* Et *pag. 114. Alemanniam novam & cis-Rhenanam in nomen & jus Franciæ Germanicæ ceſſiſſe.* Et *rubr. ſeq. pag. 117. Alemannia cis-Rhenana in jus & nomen Franciæ Germanicæ conceſſit.*

20. Iſthæc itaq; terra Rhenenſis pars vera Germaniæ eſt, etſi in ſolo Gallico ſita, & omnino Juris Germanici. Nam, non tantùm populi ejus fuêre Germani; ſed & perpetuò appellata illa fuit Germania, ſuperior & inferior. *ſup. §. 15.* Quin eâ parte, ultra Rhenum, cœpit omnium primò nomen Germaniæ: *Tac. de M. G. c. 2.* ubi primos Tungros, victores hujus terræ, nomen Germaniæ ei intuliſſe, & mox reliquos quoqve Germa-

manos omnes hoc invento nomine vocatos fuiſſe, teſtatur. Et Cæſar *de B. G. lib. 2. in fin.* de his ipſis populis, qui primi in hanc terram deſcenderunt, Eburonibus &c. inquit: *Eos uno nomine Germanos appellatos.* Quomodo & D. Casſius *lib. 53.* tradit: *Celtarum quidam, quos Germanos vocamus, omni Galliâ, quæ ad Rhenum eſt, occupatâ, feciſſe eam Germaniam vocari*: *Quem locum integrum vid. ſup.* §. *15.* Sed & in hac terra linguam ſuam Germanicam conſervârunt, cùm ultra Moſam, etiam in Belgica, Gallicè ferè loquerentur; teſtibus Thuano, Rhenano, Pontano, & aliis. *inf.* §. *24.* & *26.* Quo conſtat, hos populos migrando in Galliam non habuiſſe animũ deſerendi juris ſui Germanici, ſed retinendi: quod & liberum ipſis fuit. *l. 12.* §. *9. ff. de Capt. & poſtl.* Hac ratione ergo ſeptima Provincia Germaniæ accesſit, &, à Romanis mox occupata, á Francis poſtliminio ei, & ſcil. ſuo regno Franciæ Germanicæ, reſtituta atq; unita fuit; adeò ut ſedem quoque primariam & Archiſolium regni ſui in ea conſtituerint.

21. Atque hæc jam terra eſt, quæ poſtea Auſtraſia, id eſt, terra Orientalis dicta fuit. Quod notatu dignum eſt; quippe quo demonſtratur, *Regnum Franciæ Orientalis, & regnum Auſtraſiæ*, unum idemque prorſus regnum fuiſſe, & geminâ hâc provinciâ, Franconiâ & terrâ Rhenenſi, quæ utraqve Auſtraſiæ nomine dicta & comprehenſa fuit, conſtitiſſe; & Fran-

cos

cos adeò huic regno ſuo Orientali, quod originarium & primitivum in ſolo Germanico fuit, reliqua regna, & Imperii Romani jura adjunxiſſe.

22. Ita n. Thuanus quoq; *d. loc.* inquit: *Conſtat, Francos, qui circa A. C. 420. in Galliam deſcenderunt,* (quorum regnum tum Francia orientalis in Germania magna, & Rex ejus Meroveus fuit) *iis in locis* (loquitur de terris inter Moſam & Rhenum ſitis) *primum conſediſſe, ac ſub Merovingis, qui Francorum regnum condiderunt, tota ea regio ſub Auſtraſiæ nomine Francici juris fuit.* Cum enim Franci deinceps quod verſus Occidentem reliquum fuit in Gallia Belgica, & partem Lugdunenſis Galliæ uſque ad Ligerim, excepto tamen tum adhuc regno Burgundiæ, armis pariter obtinuiſſent, eum tractum Weſtraſiam, ſeu *terram Occidentalem* dixêre. Atq; hinc duo regna famoſiſſima nata ſunt. *Auſtraſia* vel *Auſtria*; id eſt, regnũ Franciæ Orientale; & *Weſtraſia* ſeu *Weſtria*, (corruptè, *Neuſtria*) id eſt, regnum Franciæ Occidentale; ita dicta, â ventis vel à ſitu verſus Oſten & Weſten: Et ab utroque diſtincta adhuc fuêre, retento priſtino nomine, regnum Burgundiæ & Aquitaniæ: Quæ inprimis perſpicuè explicat *Aimoin. lib. 1. c. 5. in fin. Has,* inquiens, *omnes provincias* (Galliæ Belgicæ) *dum Franci occupaſſent, in duas tantummodò partes dividentes, eam, quæ inter Moſam & Rhenum eſt, Auſtriam, illam verò, quæ à Moſa ad Ligerim pertingit.*

tingit, NEUSTRIAM *vocaverunt. Pars tamen Lugdunenſis Galliæ, quam Burgundiones occupaverant*, BURGUNDIÆ *nomen retinuit.* AQUITANIA *queq; avitum non eſt dignata nomen mutare.*

23. Hæc ergo ſolennis illa & rerum Francicarum Autoribus adeò familiaris diviſio fuit, in *Auſtraſiam & Neuſtriam. Vid. Fredeg. Scholaſt. cap. 42. cap. 56. c. 74. c. 76. c. 90. c. 110. & paſſ. ubi, pro ævi barbarie, illum regnum in* AUSTER, *hanc in* NEUSTER *ſæpe vocat. Conf. Geſt. Franc. Epitom. paſſ. & reliquos vetuſtos Franciæ Scriptores;* quæ non fuit totius Galliæ diviſio, ſed Belgicæ cum aliqua parte Celticæ verſus mare, quod Burgundia non occupavit, ita ut trans Moſam in occaſum Neuſtria ſeu Weſtraſia; cis Moſam, verſus ortum, Auſtria ſeu Auſtraſia eſſet: illa *Francia Romana, vel Francia* ſimpliciter; hæc *Francia Teutonica* dicta fuit: Quod & teſtatur Luitpr. Tic. *de Reb. Imp. lib. 1. c. 6.* ubi ſæpius *Widonem*, ait, *ingreſſum Franciam, quam Romanam dicunt: & lib. 2. c. 1.* alteram Teutonicam, *Orientalem Franciam* vocat.

24. Longum eſſet, omnes autoritates cumulare, quarum compendium habet Doctiſſ. Rhenan. *d. l. 1. rubr. Franci in Germ. pag. 113.* ubi ait: *Germania II. & utriusque Belgicæ pars, ubi conſedêre Franci cum uxoribus & liberis, appellata eſt FRANCIA TEUTONICA, quod Franci Teutones eſſent, id eſt, Germani, Teutonicéqve loquerentur. Idem nomen Germaniam I. poſtea complecti cœpit.* Et mox

mox *pag. 114. Interior verò Gallia, cujus dominium indies auctum eſt, FRANCIA ROMANA dicebatur, quòd homines Romanè ibi loquerentur, id eſt, Gallicè. Hæc vocabula reperimus apud Luitprandum Ticinenſem. TEUTONICA FRANCIA AUSTRASIÆ quoque nomen habuit. Quod vocabulum Gallicani ſcribæ effinxerunt, quum à Francis ipſis dubio procul* OSTRICH *vocaretur, id eſt, Orientale regnum. Sicut & FRANCIA ROMANA, hoc eſt, Gallica,* WESTRICH *dicebatur, id eſt, Occidentale regnum. Pro Weſtria neſcio an Galli Neuſtriam uſurpârint: à ventis hæc nomina ſunt deducta &c.* Quibus gemina ſunt, quæ tradit Pontan. *Orig. Franc. lib. 5. cap. 7.* cujus locum vid. §. 26. *inf.* Hæſitat quidem Rhenanus in verbo *Neuſtriæ*, num dictum fuerit pro *Weſtria*; nam magis ſonare Neuſtria videtur *novam Franciam.* Quod & aſſerit Albericus *in Chron. ad ann. 644.* ſcil. eâ voce indigitari *novam Franciam*: Ita enim in loco, quem adducit *D. Obrecht. in Prodr. cap. 5. pag. 37.* ait: IN NEUSTRIA, *id eſt*, NOVA FRANCIA. Sed nihil refert, quia certum eſt, per Neuſtriam intelligi Franciam Gallicam, ſeu occidentalem: quippe quæ omnino nova Francia fuit. *Vid. Pontan. d. c. 1.* Atqve hæc diſtinctio inter *regnum Franciæ Occidentale, & regnum Franciæ Orientale;* ſeu *Weſtraſiam* & *Auſtraſiam*, conſtanter obſervata deinde ſub Carolingis in tabulis diviſionum fuit, quam ex idoneis autoribus recenſet *D. Obrecht d. tract cap. 6.* Nos miſſâ Weſtriâ, Auſtraſiam noſtram proſequemur. **25.**

25. Eam verò jam ſtabilivimus in ripa Rheni Gallica, ejusq; natales invénimus in ſua Germania inferiore, quæ pars eſt Galliæ Belgicæ: *per* § *22.* & *23.* Vidimus porrò, quomodo mox Germania ſuperior, victis Alemannis, qui eam tum tenebant, huic Auſtraſiæ acceſſerit, & in idem jus ac nomen unita fuerit, *ſup.* §. *19.* & §. *21.* Sed & vidimus, qualiter Franci Moſam transgreſſi, ſubjugatâ armis reliquâ Galliâ Belgicâ, ſcil. Belgicâ II. & parte Lugdunenſis, extra regnũ Burgundiæ, aliud & peculiare regnum ibi inſtituerint, idqve *Weſtraſiam* dixerint, & hoc nomine à ſuo regno *Auſtraſia* perpetuò diſtinxexerint. Vidimus deniqve, Francos, qui hanc in ſolo Gallico Germaniam, ſeu Auſtraſiam, in poteſtatem ſuam armis redegêre, habuiſſe tum regnum ſuum in Francia orientali Germaniæ magnæ, quod proinde fuit regnum Franciæ Orientale, ſeu regnum Auſtraſiæ primitivum, cui Auſtraſia, ſeu terra orientalis ſoli Gallici acceſſit. Atqve ita regnum Auſtraſiæ nullum aliud eſt, quàm quod ex duplici iſta Provincia, Franconia & terra Rhenenſi, coaluit. Quod, etſi ex hactenus traditis ſatis jam conſtet, aliis tamen monumentis illuſtrabimus.

26. Inprimis igitur Celeberrimus Francicarum rerum Autor, Hadrianus Valeſius, *Rer. Francic. lib. 7.* prout locum eum exhibet D. Obrecht *in Prodr. Vol. 1. cap. 5. pag. 34.* ita loqvitur: *Tum*

Tum primùm (mortuo Clodovæo) *nova nomina ab Francis excogitata ſunt & Galliarum provinciis impoſita. Auſtriam vel Auſtraſiam appellavêre Franci partem Galliæ ad Orientem ſolem meridiemque ſpectantem, quæ Rheno & Moſa fluminibus continetur;* (quæ eſt Germania inferior, quam Franci ſub Merovæo Rege primùm occupârunt, & in ea ſedem regni Francici Orientalis ſeu Auſtraſiæ, conſtituerunt, *ſup.* §. *19. & ſeqq.*) NB. *cum Trans-Rhenanis gentibus Francicæ ditionis: partem ad ſeptentriones occaſumque ſolis vergentem, quæ inter Moſam & Ligerim interjacet, Neuſtriam vel Neuſtraſiam, nonnunquam Neptricum vel Neptriam vocavêre. Burgundiæ & Aquitaniæ ſua nomina reliquêre. Et Franci quidem, qui Neuſtriam incolebant, Neuſtraſii, qui Auſtriam habitabant, Auſtraſii ſunt dicti.* Hactenus Valeſius; cui reliqui conſentanea tradunt; ex quibus Maſſon. *Annal. lib. 1. in Clotar. II.* inquit: *Theodericus regnum Mediatricum* (ſeu Auſtraſiæ) *habuit, quod à Moſella ad Rhenum, NB. atque inde ad Albin longèlateque procurrebat.* A Moſella ſcil. ad Rhenum fuit terra Rhenenſis, ſeu Auſtraſia cis-Rhenana; à Rheno ad Albim, trans-Rhenana. Et Pontan: *Orig. Franc. lib. 5. c. 7.* hæc habet: *Hinc* (poſt Clodovæum M.) *Auſtraſia Weſtraſiaque in Galliis nomina regnaque enata.* Ex mox: *Ea,* (Francia) *quæ Rheno quàm proxima erat, non Auſtraſia ſolùm, & populi Auſtraſii, ſed & Teutonica ſubinde Francia dicebatur, quod ibi ut plurimùm Teutonicè loquerentur Indigenæ; Romana verò Francia, quic-*

quicquid interioris erat Galliæ: quòd ibi loquerentur Romanè, hoc eſt, Romano in Gallicam Germanicamque phraſin detorto idiomate. Adeò ut Neuſtria, vel, ut mediæ ætatis Scriptores rectiùs habent, à Weſtrich *formato nomine, Weſtraſia, continuerit quicquid inter Ligerim & Sequanam ad Oceanum pœne usque terrarum jacet. Auſtraſiorum verò territorium, cujus Metropolis erant Mediomatrices, NB. tam latè patuit, atqve ipſa Teutonica Francia; nam in hac non tantùm erat ſuperior illa dicta Germania; ſed inferior quoqve, quæ præter cæteros complectebatur Brabantos, Gelros, Juliacenſes & Batavos.*

27. Equidem regno Auſtraſiæ continentur in genere omnes populi ei ſubjecti, ut apud *Gotofr. Viterb. Chron. part. 17. ad ann. 981. fol. 545.* ubi ait: *Arnolphus totam Orientalem Franciam* (i.e. Auſtrâſiam) *quæ hodie Teuthonicum regnum vocatur, id eſt, Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Phryſiam & Lotharingiam rexit, & totum Rhenum.* Aliàs amplexu regni cujusque omnes ei ſubjecti venire ſolent, & v. g. nomine Imperii Romani omnes per Europam, Aſiam, Africam, ſubjugati populi: quo ſenſu & Pontanus plures recenſet. *d. l.* Verum tamen in tali regno diſtinguitur ſemper & ſpecialiter Populus princeps & imperans, v. g. Victor, à populis victis, ſeu qui ei parent; & regnum à provinciis ei ſubjectis. Etſi igitur ad regnum Auſtraſiæ ſeu Franciæ Orientalis pertinerent quoque cùm Thuringi, qui acceſſio erant pro-

vinciæ Saxonicæ, tùm Suevi, Bavari &c. qui peculiarem provinciam fecêre: tamen illi à regno Auſtraſiæ, ſeu Franciæ Teutonicæ, diſtincti, ſeorſimque nominati ſunt Auſtraſii, Thuringii, Suevi &c. Ita *in Annal. Fuld. ad ann. 719. Legatus Germanicus Papæ in Franciam miſſus multos populos, Thuringorum videl. Heſſiorum, & NB. Auſtraſiorum convertiſſe, ac Monaſteria prima in partibus Germaniæ inſtituiſſe,* dicitur. Et *ad ann. 840. de* Ludovico Pii filio, refertur, *quòd Orientales Francos,* (ſive Auſtraſios) *Alamannos, Saxones, & Thuringios ſibi fidelitatis jure confirmaverit.* Item, cùm Carolus Martellus, Major domùs Franciæ, hunc Majoratum divideret inter filios, Majori dicitur *Auſtriam & Sueviam atque Thoringiam tradidiſſe: Juniorem verò Burgundiæ, & Neuſtraſiæ, & Provinciæ præfeciſſe. Fredegar. Chron. cap. 110.* Eadem ita recenſet *Rob. Gaguin. de Geſt. Franc. lib. 3. in Car. Martel. pag. 48. Diſtribuit* (inquit) *Carolomanno Auſtraſiam, Sueviam, Alemaniamq; & Thoringiam: Pipino Franciam relinquens;* id eſt, Neuſtriam, quæ Francia nova, vel Francia ſimpliciter dicta eſt. Paria referunt *Otto Friſing. lib. 5. cap. 20. & Urſperg. Chron. fol. 121. in annis Pip. & Carolom.* Quomodo deinde Carolus M. cum fratre regnum ipſum quoque pariter partitus eſt. *Urſp. d. loc. fol. 125.* Manifeſtum igitur omnino eſt, Auſtraſiæ regnum fuiſſe Franciam orientalem cum terra Rhenenſi, cui reliquæ provinciæ armis adjunctæ, atque ab eo diſtinctæ fuerunt. Huc faciunt inprimis quæ D. Obrecht. *in Prodr. cap. 5.*

pag. 33. ex Valeſio ſic refert: *Eadem trans-Rhenana, hoc eſt, Germanica & primigenia Francia, NB. cum cis-Rhenanis* (ſeu Gallicis) *aliquot provinciis, partim pridem acquiſitis, partim bello Alemannico, & poſt illud, recens adjectis, regnum Auſtraſiæ vetus compoſuit, cùm primùm, & quoties illud à Neuſtraſiæ regno diſtinctum eſt.* Et magis adhuc præclara illa Diſputatio inter Caſſanum, (qui Lotharingiam regi Galliæ aſſerere volebat) & Blondellum; quam *d. cap. 5. p. 35. & 36.* exhibet, ſed quæ & hic legi digna eſt, & ita ſe habet: Cùm Caſſanus ſcripſiſſet; *Lotharingia antea regni Metenſis & Auſtraſiæ titulo inſignita eſt:* annotat Blondellus: *Metenſe regnum, ſive Auſtraſia, Lotharienſi regno longè amplius fuit: Auſtraſia veteris portio non fuit, ſed ex parte tantùm.* Caſſanus: *Auſtraſia à Moſa ad Rhenum usque extendebatur.* Blondellus: *Ab oriente NB. ultra Rhenum, quicquid à Clodovéo & Poſteris Francico regno adjunctum eſt, Auſtraſiæ ſeu regno Francorum Orientali acceſſit: Ab occidentali Moſæ ripa, Rhemenſe & Catalaunenſe territoria, quæ Lotharingica nunquam fuerunt, Auſtraſia ſeu Metenſe regnum complexum eſt: ut & Moguntinam, Wormacienſem & Spirenſem diœceſes: quas regno trans-Rhenano anno 843. junctas, Lothariorum nemo poſſedit.* Caſſanus: *Dagobertus anno 645. Sigebertum primogenitum Lotharingiæ ſive Auſtraſiæ Regem ſalutavit.* Blondellus: *Auſtraſia à Lotharingia nunquam non diſcrepavit: Imò ſtatum mutaverat, & ad ripam Occidentalem Rheni jacére deſierat quo tempore Lotharingia exorta eſt.* Et ſanè, Caſſani aſſertionem manifeſtò falſam & impudentem

eſſe, vel ex jam traditis ſequitur. Enimverò, cùm regna Auſtraſiæ & Neuſtraſiæ ſubMeròvingis florerent, nomen Lotharingiæ in rerũ natura nondum fuit; exortum autem deinde, partem Auſtraſiæ & partem Neuſtraſiæ occupavit. Sed de his ſatis.

28. Ex his autem jam omni luce clariùs apparet, quot numerentur populi ſeu provinciæ regni quod Germanicæ nationis dicitur: (das H. R. Reich Teutſcher Nation.) Cùm enim ſex intra fines Germaniæ magnæ ſint & ſemper fuerint, *ſup.§.9 & ſqq. Vid. J. publ. cap. 3. per tot.* quibus ſeptima, Germania trans-Rhenana, (die Rhein-Landen) accesſit, evidenter intelligitur, in univerſum quinque ſupereſſe populos ſeu provincias nationis Teutonicæ: 1. Franciam, 2. Terram Rhenenſem. 3 Bavariam. 4. Sueviam. 5. Saxoniam: quia duæ reliquæ, ſcil. Vandaliæ, & veteris Moraviæ terræ, fuêre nationis Slavicæ, & tùm nondum in civitatem Teutonicam ejusque jura receptæ.

29. En jam quinque hos Juris Germanici populos olim liberos, ex ipſoGermaniæ ſtatu ac ſitu ab ultimâ rerum memoria enatos atque productos, quos eosdem, eodem numero, iisdemque nominibus, mirifico conſenſu, recenſent & celebrant, non annales tantùm, ſed & leges antiquæ Germanorum. Hi enim iidem 5. populi ita recenſentur à Luidprando Ticin. *de Reb. Imper. l. 2. c. 7. in princ.* Sigeberto Gembl. *ad ann. 914.* Con-

Conrado Urſpergenſi, *Chron. ad ann. 913. in Hiſt. Conradi I. fol. 144.* Lehmanno *Chron. Spir. lib. 2. cap. 16.* his verbis: *Sub quo* (Conrado I.) *Potentisſimi Principes, Arnoldus in BAVARIA: Burchardus in SUEVIA: Eberardus Comes Potentisſimus in FRANCIA: Giſelbertus Dux in LOTHARINGIA* (quem tum Belgicam, in qua Aquis-granum, ſedes Auſtraſiæ, fuit, posſediſſe conſtat, & docet *Witech. lib. 2. pr. & Viterb. part. 17. pag. 551. erat*: *quos inter Henricus, SAXONUM & Thoringorum* (qui vel Saxoniæ vel Franciæ pars fuêre. §. *12. & ſqq.*) *Dux prapotens clarebat.* Nec plures Duces tum in terris Teutonicis fuiſſe, addit *Lehm. d. l.* Eosdem hos quinq; populos Germaniæ nominat, & ad electionem Regis conveniſſe refert Wippo, *in Conrado II. rubr. de Elect. Reg.* his verbis: *Ibi* (ad Rhenum) *convenêre ex parte Germaniæ, Saxones: Franci Orientales: Norici:* (ſeu Bavari) *Alemanni.* (ſeu Suevi) *De Gallia verò Franci, qui ſuper Rhenum habitant, Ripuarii, Lotharingii*, id eſt, populi terræ Rhenenſis, quam quintam provinciam efficere diximus. Et mox: *d. loc. Vota conſenſus Francorum, Lotharingorum,* (ſeu Rhenenſium) *Saxonum, Noricorum, Alemannorum ad nos conferebant.* Similiter *Lamb. Schaffnab. Annal. ad ann. 1076. fol. 530.* has quinque Germaniæ provincias nominat, earumque Duces ad conventum Regni generalem convocatos fuiſſe, ita refert: *Hoc Suevia, hoc Bojaria, hoc Saxonia, hoc Lutheringia, hoc Francia Teutonica Principibus denunciârunt.* Quod & luculenter probat Conring. *Exerc. Acad. 4.* §. *19.* ubi ait:

Germania, NB. ut eam diſtinxeris à terris, quas Venedi inhabitârunt, quinque habuit Ducatus: Bojoaricum, Suevicum, Francicum, Lotharingicum, Saxonicum.

30. Et quis neſcit illud, quod in ſolennis propè carminis conſuetudinem abiit, de quatuor illis regni Germanici populis ſeu terris, von den vier Landen / Sachſen / Bäiern / Francken / Schwaben: quæ olim regna fuiſſe dicuntur; & in quas univerſam terram Teutonicam diviſam fuiſſe omnia antiqua Germaniæ jura docent: Nam & in Speculo Jur. Saxonici *lib. 3. art. 53. §. 1.* dicitur: *Qualibet provincia Teutonica terra ſuum habet Palansgravionatum:* & inde illæ ita nominantur: *Saxonia, Bavaria, Francia & Suevia.* Et ſimiliter in *Weichbild. Magdeb. art. 7. §. ult.* dicitur: *Hæ provinciæ fuêre Saxonia, Bavaria, Suevia & Francia:* ſeu, ut in textu vernaculo & authentico: Der Landen was Sachſen-Land das eine / Bäiern das andere / Schwaben das dritte / und Francken das vierte. Quin in Speculo Juris Alemannici, quod reliquis populis Germaniæ extra Saxoniam commune fuit, ſpecialis quoqve rubrica concepta eſt, *lib. 1. tit. 20.* von den vier Landen. ubi verba: In Teutſchen Landen / hat JEDES LAND (quævis provincia) ſeinen Pfalz-Graffen; Sachſen hat einẽ / Bäiern hat einen / Francken hat einen / Schwabẽ hat einẽ. Dieſe VJER Land waren hievor alle Königreiche. Nec minùs ille numerus der vier Landen / celebratur in antiquis Germaniæ Annalibus, uſusque ejus in rebus Regni maximus, ac

ac norma rerum domi militiæque gerendarum, quin caput ferè juris publici Germanici fuit, ut patet ex iis, quæ tradita ſunt *in J. publ. cap. 12. §. 2. & ſeqq cap. 15. ſect. 2. & alibi pasſim.*

31. Atqui ſub hac appellatione d' vier teutſchē Landen continetur evidenter quinari9 iſte populorũ ſeu provinciarũ Teutonicæ Nationis numer9 quē hacten9 adſtruxim9, *Vid.* §. *29.* & qui hinc mirũ in modũ confirmatur; quia additur: *omnes illas provincias olim fuiſſe regna.* Ergo nomine Franciæ indigitatur règnũ Franciæ orientalis, ſeu Auſtraſiæ, quod geminam provinciam complexum fuit, cis & trans Rhenũ, ut invictis rationibus jam demonſtratum eſt. Atque ita planè ſibi conſtat illa regnorum ratio: nam & Saxonia regnum Thuringiæ fuit, & Bavariæ Sueviaq́; regna prælio Tolbiaco deſierunt, & Franci regnum ſuum Auſtraſiæ ſeu Orientalis Franciæ ſtabiliverunt duabus trans & cis Rhenum, ſeu ab utraque Rheni ripa, provinciis Germanici juris. Unde quot regna, tot quoque Palatia ſeu Salas Regias, ubi cujusq; regni curiæ vel conventus publici fuerunt, earumq; adeò Comites ſeu Præfectos fuiſſe neceſſe eſt, qui Salæ, Curiæ vel Palatio præfuerunt, & Francis Majores domûs Regiæ, ſeu Præfecti Palatii Regii dicti ſunt, de quo *Maſſon. lib. 1. in Clotar. III. & alii.* Vid. Fredegar. *Chron. cap. 84.* ibi; *Major domus Palatii Clodovei efficitur.* & *cap. 88.* ubi ait: *Gradus honoris Majoris domûs in Palatio Sigoberti: & omni regno Auſtraſiorum in manu Grimoaldi confirmatus eſt.* Et *cap. 99. cap. 101.*

a. 104. & paſſ. Sic *in Geſt. Franc. epit. cap. 47. in Corp. Hiſt. Franc. fol. 13. & paſſ. alibi,* dicitur *Major domus in Palatio.* Quo patet, Majorem, Comitem, ſeu Præfectum domus, curiæ, Palatii, Salæ, paria eſſe; & inprimis nomen *Sala* vernaculum, quo maximè uſi ſunt, & hodieq; in terris ad Rhenum; & alibi, ubi extructa ſunt Palatia Regia, SALÆ dicuntur. Atq; hinc non tantùm Proceres Francorum Palatini ſeu Salici dicti, ſed & ipſi Franci, leges, terræ &c. in hoc nomen tranſiêre. Quæ tam perſpicua, & perſpicuè *in J. publ. cap. 3. Sect. 7. §. 11. & ſeqq.* evicta ſunt, ut in dubitationem rapi poſſe non exiſtimem. Cæterum eſto ſuus cuique ſenſus, ſed qui valebit, quo ad uſque eum probaverit.

32. Aliquando & quatuor populi ſeu provinciæ recenſentur, Baiern / Schwaben / Francken / und die Rheinlanden / omiſſis Saxonibus, uti in lite de Haſtiludiis, quam illi contra Saxones moverunt, *Vid. J. publ. cap. 12. §. 3.* Et apud *Henr. Rebdorff. ad ann. 145. fol. 433.* ubi de Ludovico IV. ait: Generalem pacem *in Alemannia fecit, in Suevia, Bavaria, Franconia & circa Rhenum.* Ubi Alemanniæ nomine comprehenduntur reliquæ Provinciæ Regni extra Saxoniam, quæ tum quieta erat: quemadmodum & aliàs vox illa ita accipi ſolet; ut ſpeculum ſeu Jus Alemannicum continet 4. illos populos & diſtinguitur à Saxonico. *arg. A. B. tit. 5.* Quibus omnibus firmatur ille quinarius populorum Germani-

manici Juris numerus: unde tot Jura & diſcrimina illuſtria è tenebris ſuis eluceſcunt; & omnis ratio Provinciarum, Archiofficiorum, Judiciorum Imperialium, Comitiorum, & quæ alia quam plurima ſunt, ducitur.

33. Inprimis autem hinc ſibi jam conſtat numerus ſex circulorum, qui hodie vocantur: ex diviſione enim Saxoniæ in Oſt- & Weſtfaliam, ad quinarium acceſſit ſextus, atq; ita fiunt inde ſex Circuli. Hos verò falſiſſimum eſt ab Henrico Aucupe inſtitutos fuiſſe: Ille verò nec numerum 5. populorum (quippe qui ab omni memoria fuit) nedum 6. Circulorum induxit. Quis enim adeò deſiperet contra rei evidentiam, & certiſſima Imperii oracula; quibus id Maximiliano I. veriſſimè tribuitur? Verùm hic non turbavit ſtatum provinciarum & civitatum, neque unitatem earum rupit ac divulſit, ſed retinuit, earumque ſtatum, qualis tempore Conradi I. & Henrici I. erat, prudentiſſimè conſervavit, atque unumquemque populum in circulum ſuum collegit, non diſcerpſit. Secus ac ſpuria illa & ineptiſſima diviſio, quæ vulgò Albertina dicitur, & per medios populos atq; provincias, lineam, prout viſum eſt, duxit. Illud verò non eſt diſtinguere, ſed ſecare; non dividere, ſed lacerare civitates, earumque jura communia, neceſſitudines, familiarum relationes, & cujusq; populi ſtatum propriũ ac peculiaribus Actis publicis, juribus, & rationibus inter

ſe connexum, atque à reliquis diſtinctum. Tam febrilis itaque ingenii, & rerum ac jurium imperiti hominis fœtus, etſi Alberto oblatus fuiſſet, quod non apparet, certè probatus non fuit, nedum receptus. Saxonia verò jam antè diſtincta, & Viſurgi disjuncta, cùm & ſeparatæ cujusq; rationes eſſent, nullo præjudicio dividi; & in terra quoq; Rhenenſi, alibique, fines, ubi vel obliterati vel dubii, vel alias quoque variati fuère, prout è rep. viſum fuit, conſtitui à Maximiliano I. potuère. Hinc igitur non antiquam illam Provinciarum diviſionem fecit, (ut dixi *J. P. c. 12. §. 2.*) ſed illam retinendo, circulorum formam omnino primus conſtituit. Progredimur nunc ad ſingularum provinciarum ſtatum & conditionem.

CAP. XIX.

De vulgata & in Imperio receptâ diſtinctione inter ſubditos mediatos & immediatos, planè diverſa ab alterâ, quæ juris gentium eſt, inter terras ſeu civitates mediatas & immediatas.

SUMMARIA,

1. Brevis recapitulatio præmiſſi duplicis membri, de Albinagio regni, & de numero populorum juris Germanici.

2. Tertiò præmittitur alia

alia & vulgaris diſtinctio Subditorum mediatorum & immediatorum, ab altera, ex jure Gent. hactenus expoſitâ, planè diverſa.

3. *Subjectionem mediatam non eſſe à jure gentium vel Naturæ.*

4. *Illius, & feudorum, Autores fuiſſe Germanos, & inprimis Francos.*

5. *A feudis natam videri mediatam ſubjectionem.*

6. *Etſi Vaſallus tuus extraneus non ſit tuus ſubditus, nec ejus Vaſallus tuus Vaſallus, tamen terrâ ei cum Jurisdictione in Feudum datâ, eſſe tuum ſubditum mediatum.*

7. *Hanc ſubjectionem mediatam ſenſim extenſam quoque fuiſſe ad alodia.*

8. *Hinc manâſſe illam diſtinctionem ſubditorum mediatorum & immediatorum.*

9. *Hujus diſtinctionis, inter ſubditos mediatos & immediatos, aliam longè ſpeciem, ſententiam, & cauſam eſſe ab altera, quæ eſt inter civitates mediatas & immediatas.*

10. *Nomine civitatis ſemper intelligi & magiſtratum & ſubditos, ut membra totius corporis, qualiscunqve ſit civitas.*

11. *Monetur, civitatem ſeu populum imperantem (Magiſtratum ac ſubditos) nobis civitatem* ſuperiorem *dici; reliquas omnes ſub ea comprehenſas,* inferiores.

12. *Omnem civitatem juris bonique publici tuendi cauſâ in unum corpus congregatam eſſe.*

13. *Id fieri non poſſe, niſi inſtituto Magiſtratu.*

14. *Magiſtratum in civitate dupliciter ſpectari; Ut membrum, & ut caput.*

15. *Hinc aliam eſſe diſtinctionē civitatis mediatæ*

ata & immediata, aliam ſubditorum mediatorum & immediatorum.

16. 17. 18. *Recenſentur per indicem quadam utriusqve capitis differentia: qua omnes inde maximè fluunt, quòd prioris capitis quaſtio ſit inter duas civitates, ſeu corpora, qua ſuis ſingula magiſtratibus & ſubditis conſtant; de eo, ad quos publicum civitatis bonum, ut membra totius corporis pertineant: Poſterioris verò, inter ejusdem civitatis Magiſtratus & ſubditos, proprióne an adminiſtratorio jure, ille bono huic publico, & ſibi & ſubditis tuendo, praſit.*

19 *Notatur, evidentia gratiâ, duas has diſcriminum cauſas, in caput prius & poſterius nos diſtincturos.*

20. *Prioris quaſtionem eſſe, An civitas? Poſterioris, An ſubjectio ſit mediata? &c.*

§. I.

LAtiùs fortè quàm par fuit, evagata eſt ſuperioris quoque capitis tractatio: cujus duo membra fuêre: alterum de diſcrimine populorum, qui Teutonici Juris ſeu Germanicæ nationis ſunt, & eorum, qui alterius juris vel nationis: alterum, de numero populorum Germanici Juris vel Nationis. Prius tam pervulgatum eſt inter gentes, tamque jure æquè communi, ac veteri Teutonico protritum, & religioſè obſervatum, ut, niſi per ſummam Juris imperitiam, negari aut negligi non poſſit; cùm ſit ipſamet differentia inter Cives & Peregrinos, in primis Juris elementis

cx-

explicatiſſimè tradita, & ſub nomine Albinagii, plebeculæ quoque decantata. Poſterius autem, cùm de eo doctiſſimi quoque Viri varient aut hæſitent, unde tamen potiſſima pars Juris publici ducitur, & quod adeò inprimis ſtabiliri debuit, â dubiis ſuis abſolvi maximé è re viſum fuit.

2. Et necdum tamen dimitti inde poſſumus; cùm, demonſtratâ jam differentiâ *civitatis* mediatæ & immediatæ, quæ ab autonomia, & juris Gentium eſt, aliud occurrat, & alterius generis ac ſententiæ diſcrimen, *ſubjectionis* mediatæ & immediatæ, quod juris civilis, ſeu, ut vocant, poſitivi, & ab inſtituto maximé populi Francorum & Germanorum eſt, quâ Imperio Romano-Germanico quidam immediatè dicuntur ſubjecti, quidam autem mediatè. Hanc ſolam illi, qui diſcrimen noſtrum in dubium traxêre, ob oculos habuerunt, & cum noſtrâ illâ, qvam planè ignorâſſe videntur, miſcuerunt. Quæ proinde diſtinctio cum primis adhuc ab omni ambiguitate ſuâ vindicanda eſt.

3. Equidem ratione naturali inſpectâ, non datur ſubjectio mediata, ſed omnis anima ſummæ poteſtati, uti ante diviſionem civitatum, ita poſtea in ſingulis, immediaté ſubjecta eſt, ut *ſup. c. 9. § 4. & ſeqq.* jam aſſertum ivimus, & ipſæſacræ literæ graviſſimis & ſeveris perquàm præceptis ſuffragantur, *Rom. 13. v. 1. & ſeqq. Tit. 3. v. 1. & 1. Pet. 2. v. 13. 14.* Etſi enim omnis Magiſtratus, qui cum ſumma poteſtate eſt, eam per admini-

miniſtros ſeu Officiales exerceat, (nec enim a-
liter ſufficeret tanto oneri, *vid. inf.* §. *11.*) h
tamen omnia agunt, non ſuo, ſed unicè ſum
mi magiſtratùs, à quo præfecti ſunt, jure ac
auſpiciis; neque aliam poteſtatem ſuo nomine
habent, ſed mera ſunt miniſteria & inſtrumen-
ta primarii agentis, per quæ hic ipſe agit: qua
& ratio eſt ipſius Apoſtoli. *d. v. 14.* Non ma-
gis igitur Regis poteſtas, quæ per miniſtros
vel officia in ſubjectos exercetur, mediata vi-
deri poteſt, quàm ſi ipſe manu ſua aliove in-
ſtrumento quid agat; quia actio non eſt inſtru
menti, ſed cauſæ; nec illud agit, ſed movetur
atqve adeò non poteſt miniſtrorum poteſtas
media videri inter Regem & ſubjectos, qua
nulla ipſorum eſt, ſed tota Regis, vel ſumm
Magiſtratùs. Ita ergo apud Romanos, & in
jure communi, omnes illæ Præfecturæ Provin
ciarum & militiæ, mera fuêre nomina officio-
rum; poteſtas ipſa autem Populi Romani
quemadmodum & ſub Merovingis & Carolingis
nomina Ducum, Comitum, &c. Quæ omnia in
confeſſo ſunt, & cùm certiſſimæ rationis, tùm
tritiſſimi juris.

4. Verùm ſpecialiter apud populos Germa-
niæ, primis, ut ego quidem arbitror, autori-
bus Francis Germanis, *Hypomn. Jur. feud. tit. 1*
§. *5.* unâ cum uſu Feudorum introductum eſt
genus quoddam poteſtatis propriæ, quæ Va-
ſalli, & intermedia eſt inter Regem & ſubje
ctos.

5

5. Ex eo enim manavit duplex illud poteſtatis ac territorii dominium; directum, quod ſuperiorDominus retinet, & utile, quod Vaſallus acquirit in terram feudalem, ejusque ſubditos. *2. F. 8. §. Rei autem. verb. ut tanquam dominus. 2. F. 43. voc. proprietatem.* Hi ergo ſubditi Vaſallo immediatè, at ſuperiori domino mediatè ſubjecti ſunt: idque non modò, cùm Vaſallus quoque eſt ſubditus Domini directi; ſed & cùm extraneus eſt, & ſolo nexu feudali domino devinctus; quia Vaſallus, ut talis, ſubditus non eſt. *Dn. Struv. Synt. Juris Feud. cap. 8. theſ. 6. in fin. & cap. 11. theſ. 2. n. 2.*

6. Etſi autem verum ſit, quod Vaſall9 quà talis non ſit ſubditus: *Dn. Struv. d. l.* item quod Vaſalli mei Vaſallus, non ſit meus Vaſallus; *Curt. Jun. de Feud. part. 4. num. 18. Andr. Kohl. tract. de ſubfeud. cap. 4. num. 3. & ſeqq.* id tamen non impedit, quò minùs terrâ cum Jurisdictione alteri non ſubdito, ſed extraneo, in feudum datâ, dominus directum dominium, & terræ & Jurisdictionis quam habuit jure directo, in cives ejus terræ retineat. Manent ergo cives iſti domino directo, ejusq; prædictæ Jurisdictioni, etſi alteri Vaſallo extraneo in feudum datæ, mediatè ſubjecti; at Vaſalli iſtius Vaſalli non fiunt Vaſalli domini directi, quia nec fidelitatem ei jurârunt, nec ab eo de feudo inveſtiti ſunt: quamvis domino honorem debeant, nec eum offendere poſſint, quin & mediatè ei ſervitia præſtent. *Dn. Struv. d. tract.*

d. tract. cap. 12. theſ. 12. n. 3. Kohl. tot. tract. de ſubfeud.

7. Ab hac ergo feudorum origine nata eſt illa ſpecies poteſtatis, quæ, etſi ſummæ ſubjecta ſit, tamen jure proprio, non meri officii miniſterio, ita competit, ut cives ſui eidem immediatè, domino directo autem mediatè, ſubjiciantur. Quod genus poteſtatis deinde paulatim latiùs ſerpſit, atque aliquo modo ac ſenſu in allodia quoq; irrepſit: nam & illi, quibus Comitatus, Baroniæ, aliaque officiorum & judiciorum nomina ac terræ in adminiſtrationem conceſſa olim fuêre, quin & civitates, ſenſim ad exemplum & imitationem feudorum, jura regalia, quæ Imperii erant, ſibi jure quodam proprio adſeruerunt. *Vid. J. publ. c. 15. §. 6. & 43.*

8. Atque hinc in Imperio profecta jam alio ſenſu eſt diſtinctio inter mediatè & immediatè Imperio ſubjectos. Etenim, cùm hodie Status omnes jure quodam proprio poteſtatem in terras ſuas, quæ nunc *Superioritatis territorialis* novo & hodie invento nomine venit, exerceant; Comites, Barones, Nobiles, qui ipſorum Landſaſſii ſunt, cæterique eorum ſubditi, hoc ſenſu mediatè Imperio ſubjecti dicuntur, quia ipſis Statibus immediatè: quemadmodum & civitates Statuum Imperio mediatè parêre, & mediatæ eſſe dicuntur.

9. Cæterum hæc ſpecies differentiæ, quæ dicitur eſſe inter ſubditos mediatos & immediatos.

tos; ſeu, quod idem, inter eos Magiſtratus inferiores, qui propriam, & eos qui alienam, & Superioris vicariam poteſtatem habent, quàm longiſſimè diſtat ab alterà illà, quam hactenus demonſtravimus, & quæ dicitur eſſe inter *civitates* ipſas earumque terras, mediatas & immediatas, liberas & non liberas.

10. Civitatis verò nomine ſemper indigitamus totum corpus, quod duobus membris, magiſtratibus & ſubditis, ceu capite & cæteris membris, conſtat. Nec tantùm primariam iſtam civitatem, quæ cum ſumma poteſtate eſt; ſed & illas omnes, quas iſta imperii ſui ambitu quàm latiſſimò complectitur. Harum tria genera jam vidimus. Primum ſunt illæ, in quas ipſa ſumma civitas immediatè diviſa eſt, & quas æquè liberas, quaſi alma mater, gremio ſuo fovet. Alterum, illæ, quas aliunde jure armorum, aut ſimili, iſta ſibi acquiſivit & adjunxit. Hæ duplices ſunt: vel enim in ſervitute publica relictæ ſunt, vel priſtina illis libertas ſeu autonomia, propriaque adeò civitas, reſtituta. Has tres itaque ſpecies nomine civitatis comprehendimus. *arg. l. 15. & ſeq. ff. de verb. ſign. &c.* Deinde ſemper eà voce intelligimus non unum civitatis membrum, ſedutrumque, ſeu totum corpus populi, ſcil. tam magiſtratum, quàm ſubditos iſtius civitatis.

11. Ne verò offendat vel implicet lectionem anceps nominum ſenſus aut varius uſus, monendum quoq; eſt, nomine *civitatis ſuperioris* intelligi à nobis totum populi imperantis, ſeu ſupremæ

civitatis, è ſubditis & Magiſtratibus formatum corpus, quod plures civitates complectitur, quæ & ipſæ ſuis ſingulæ magiſtratibus & ſubditis conſtant: Nomine *inferioris civitatis* autem omnes reliquas. In omni enim corpore civitatis ſeu populi duo perpetuò membra ſunt: caput ſcil. civitatis, & membra cætera; ſeu Magiſtratus, & reliqui cives. Atque ita populi imperantis membra ſunt omnes cives, etiam ſubditi, quia ipſorum cauſâ & in ipſorum rem imperium exercetur, perinde atque ſi apud populum eſſet *ſup. c. 9. & 10.* Quomodo è contrario inferiorum civitatum magiſtratus ſunt membra parentium; quia tota civitas ſuperiori paret.

12. Omnis præterea civitas, in unum corpus imperantium & parentium, ſeu magiſtratuum & ſubditorum, in id unicè coiit, ut tam publicum totius hujus corporis, quàm commune utriusque membri, (magiſtratûs & ſubditorum) ac ſingulorum Civium, BONUM, ſeu communis omnium ſalus, ſecuritas, & ſumma felicitas civilis communibus conſiliis, ſtudiis, opibus, procuretur & ſuffulciatur; & inprimis, ſine qua illud effici & ſtare nequit, conſtans & perpetua juſtitiæ cuſtodia, legumque ad omnium civium ſalutem, vitamque beatam ſtabiliendam, adeoque ex omnium voto latarum vel ferendarum, juſta fieri poſſit executio: de quo *cap. ſeq.* pleniùs.

13. Id verò effici neutiquam poteſt, niſi ejus rei cauſâ moderator, ſeu tutor quidam, conſtitutus

tutus ſit: quia tantæ moli ſuſtinendæ civitas per ſe non ſufficit, cùm propter multitudinem, quæ ad momenta neceſſitatum convenire in unum non poteſt; tùm maximè, quia plerosque, qui in ea vivunt, & quorum pars multò maxima eſt, ſexus, ætas, conditio, &c. inde ſummovet, & imperitia inhabiles ac oneri impares reddit.

14. Iſte igitur Moderator ſeu Magiſtratus duplicem in civitate cauſam, & geminam quaſi perſonam ſuſtinet. Primùm enim ſpectatur, ut membrum totius civitatis ſeu populi, de cujus bono publico agitur; atque hactenus par cauſa ipſius eſt, & reliqui populi; bonumque totius civitatis publicum & magiſtratibus & ſubditis veluti civitatis membris, ex æquo commune. *vid. inf. c. ſeq.* Deinde ſpectatur ut moderator, & quaſi tutor hujus boni publici, ſeu ut magiſtratus & caput civitatis, cui juris & boni publici cura incumbit ratione totius corporis, id eſt, tam ſui quam ſubditorum; ut illud & ſibi & ſubditis gubernet, curet & adminiſtret; ſive proprio ſive alieno nomine.

15. Hinc duplex ſpecies diſcriminis mediatorum & immediatorum, & duplex præcipuè quæſtio naſcitur: *Prior*, Quinam, ſive Magiſtratus ſive Subditi, ſint illius civitatis membra mediata vel immediata? ut appareat, ad quos bonum publicum totius corporis, tanquam ad ejus membra, pertineat. *Altera*, Quinam ſubditi civitatis inferioris magiſtratui ſuperioris mediatè vel immediatè ſubjecti ſint?

16. *Prior* quæſtio & diſcriminis ſpecies reſpicit totum corpus civitatis, & utrumque ejus membrum, Magiſtratus & ſubditos: & quæritur, qui ſint illi Magiſtratus & ſubditi, quibus publicum totius corporis bonum, ut illius membris, commune eſt. *Poſterior*, unum tantùm illius corporis membrum, ſcil. Magiſtratum, cujus eſt hujus boni publici civitatis ſuæ, & ſibi & ſubditis, tuendi poteſtas: & quæritur, proprio jure, an alieno nomine eam exerceat. *Prior* cauſa ſeu quæſtio vertitur inter duo civitatum corpora; ſeu inter magiſtratum & ſubditos ſimul ſumtos unius civitatis, ex una, & inter magiſtratum & ſubditos ſimul ſumtos alterius civitatis, ex altera parte. *Poſterior*, inter Magiſtratum *ex una*; & ſubditos, vel inferiorem magiſtratum, *ex altera parte.* In *priore* igitur conferuntur integra civitatum corpora; ſcil. & magiſtratus & ſubditi unius civitatis, cum magiſtratu & ſubditis alterius: in *poſteriore* verò ſola unius ejusdemque civitatis membra inter ſe; ſcil. magiſtratus *ex una*, & ſubditi, ſeu inferior magiſtratus, *ex altera parte.* Atque hinc *prior* quæſtio eſt, an corpus civitatis ſeu populus, id eſt, ejus utrumque membrum, magiſtratus & ſubditi, ſint pars mediata vel immediata alterius civitatis ſeu populi, id eſt, alterius corporis, quod utroque membro, magiſtratu & ſubditis ſuis, conſtat. *Poſterior* autem, an in una eademque civitate, in qua plures magiſtratus

tus ſunt, ſubditi ſupremo magiſtratui pareant mediatè vel immediatè?

17. Quo pariter utriuſque quæſtionis ſeu diſcriminis ſenſus diverſiſſimus intelligitur. In *priore* enim *civitas*, id eſt, (quod ſemper repetendum & memoriâ tenendum eſt,) totum corpus, ſeu utrumque ejus membrum, cùm magiſtratus tùm ſubditi, *mediata* dicitur, cum alteri civitati (id eſt, tali corpori integro, quale modò diximus, utroque membro, magiſtratu & ſubditis abſoluto, ita ſubjecta eſt, ut & ipſa tamen proprio ſuo magiſtratu, proprioque jure & arbitrio utatur; ſeu, ut ipſamet quoque per ſe libera civitas ſit, propriamque adeò & peculiarem civitatem habeat, à ſuperiore diverſam: hujus enim civitatis membra, tam magiſtratus quam ſubditi, ſunt ſuperioris civitatis, ſeu corporis aut populi ex ſuo quoque magiſtratu ſubditisq; coaliti, membra mediata: cùm enim propriam habeant civitatem, cujus utrique ſunt immediata membra, alterius vel ſuperioris civitatis & populi erunt membra ſaltem mediata. Quod ſecus eſt, cùm propriam civitatem per ſe non habent, ſed ſunt tantùm portio alterius civitatis, libera vel non libera. In *poſteriore* verò *ſubditi* dicuntur *mediati*, cùm in unâ eâdemque civitate, in qva plures Magiſtratuum ordines ſunt, inferior quoq; ipſis proprio jure ac nomine imperat; adeoque ſuperiori illius civitatis magiſtratui mediatè, ſcil. mediante

te proprio ſuo magiſtratu, parent; quia proprio huic magiſtratui ſuo immediatè, ſuperiori autem per proprium ſubſunt. Quod ſecus eſt, cùm inferior magiſtratus ipſe non ſuo ſed ſuperioris nomine præeſt, adeoque miniſterium tantùm præſtat: *arg. l. 18. princ. ff. de Adquir. poſſ.* perinde enim eſt, acſi ſuperior omnia per ſe immediatè ageret.

18. Effectibus quoque & conſequentibus plurimum intereſt. A *priore* enim pendet id quod in tota cauſa palmarium eſt, nim. ex cujus populi utilitate res publica adminiſtranda, bonumque publicum æſtimandum ſit? Cùm enim jam conſtet, civitates inſtitutas eſſe juſtitiæ tuendæ, boniq; publici curandi causâ, & cujuſque civitatis ſcopus unicus & lex ſuprema ſit, SALUS POPULI, &c. quæro, ſi ſit magna civitas libera, quæ plura civitatum vel univerſitatum corpora ſub ſe contineat, an bonum publicum ex eorum omnium, nullo excepto, utilitate, & ſalute, ac votis ponderandum, nec poſſit aliud jure ſtatui quàm quod è re omnium eſt; nec ullius rationes poſthaberi? Idque aſſerendum eſt, ſi omnia illa corpora ſint civitatis illius membra immediata & libera. *ſup. cap. 9. & 10.* At contrà, ſi ſint membra ejus immediata ſed non libera, ut civitates jure belli quæſitæ, adminiſtratur reſp. prout è re populi victoris eſt, non victi. *ſup. cap. 8. §. 9. & cap. 13.* Quodſi verò civitati victæ reſtituta eſt ſua autonomia,

ſeu

ſeu libertas, cùm duæ jam ſint civitates liberæ, unaquæque, prout è re ſua eſt, gubernatur, & ex ſuo cujusque voto boni publici leges ſtatuuntur. Utriuſque tamen civitatis victæ utilitates & ſalutem victor quoque reſpicit, ſed quat. ſuâ intereſt illas quoque florere & vigere. *ſup. cap. 8. 13. & 14.* quæ omnia fluunt ex prima quæſtione, & à capite libertatis. A *poſteriore* verò ſaltem pendet, an Magiſtratus, cui boni hujus publici tutela incumbit, proprio an alieno jure eam poteſtatem habeat: quod prioris cauſæ ſtatum nihil immutat; quia quilibet magiſtratus unicè bono civitatis ſuæ publico cùm ſibi tum ſubditis tuendo, præfectus eſt, nec intereſt, quo jure. *de quo cap. ſeq.*

19. Cùm igitur duo hæc diſcriminis inter mediatos & immediatos genera adeò ab invicem diſcrepent, & utriuſque diſtinctiſſimæ cauſæ & quæſtiones ſint, quas tamen vocum ſimilitudo haut parum involvit, operæ precium videtur, hæc quæ modò enarravimus, planiùs demonſtrare & evolvere. Quæ ut expeditior ſit tractatio, nec in nominum ſalebris hæreat, duo illa diſcriminum genera, duplicemque quæſtionem, in duo CAPITA ſecernere, atque hoc verbo diverſos utriuſque cauſæ & quæſtionis ſenſus indicare & exprimere viſum eſt. PRIUS itaque CAPUT appellamus illud quo agitur de differentia *civitatum* mediatarum & immediatarum: & quæritur, quænam ſint illa civitatis

membra, ſive Magiſtratus ſive ſubditi, quorum commune eſt publicum illud totius corporis bonum, cujus causâ civitates congregatæ & magiſtratus in iis conſtituti ſunt. POSTERIUS CAPUT dicemus, quo continetur vulgatum illud diſcrimen, non *civitatum*, ſed *ſubditorum* mediatorũ & iṁediatorũ, & quæritur, Magiſtratus, cujus eſt hoc bonũ publicũ & ſibi & ſubditis tueri, proprio, an adminiſtratorio nomine, præſit; quod, ut dictum & mox amplius demonſtrabitur, ſtatũ prioris capitis ac diſcriminis nullâ re mutat.

20. Hinc & utriuſque capitis quæſtiones formulis ſuis diſtingvendæ ſunt, & *prioris* capitis quæſtio ita concipienda: *Quanam terra vel civitates* (comprehenſo utroque earum membro, magiſtratibus & ſubditis cujuſque) *ſint mediata vel immediata. Poſterioris* ita: *Quinam ſubditi ſint mediati vel immediati.* Quemadmodum jam *ſup.* §. *11.* notavimus, quid per civitatem ſuperiorem intelligendum. Cùm verò prius caput totum juris Gentium ſit, & ab autonomia & boni publici rationibus pendeat, viſum fuit pleniùs adhuc demonſtrare, tum quantum momenti ſit in hoc bono publico, quod civitatum ſcopus eſt; tum quàm unanimiter de eo, ejuſque cauſis & principiis, Gentes & Gentium Philoſophi cum ſacris literis conſenſerint, quippe quod præcipuè applicationi ſequenti lucem allaturum exiſtimamus.

CAP.

CAP. XX.

Quo demonſtratur conſenſus Gentium & ſacri Codicis, voce boni publici contineri ſummum utriusq; vitæ bonum. A quibus, & quorum causâ in quaque civitate id procuretur? Et quam nihil huc faciat mediata vel immediata ſubjectio, &c.

SUMMARIA.

1 *Vulgo ferè voce boni publici temporalia bona accipi.*

2. *Quod refutatur.*

3. *Probatur, Gentes ſenſiſſe de bono vero & perpetuo utriuſque vitæ.*

4. *Et nec ſola bona hujus vitæ pro ſcopo habuiſſe, nec ab eo iſta excluſiſſe.*

5. *Quatuor boni publici* capita *proponuntur: de quibus conſenſus gentium & ſacrarum literarum demonſtrabitur, additâ cauſâ, cur ex intervallo demum de eo agatur.*

6. Primum *caput eſt, Gentium æquè Prudentes ac ſacros Autores ſtatuiſſe DEum omnis boni ideam & cauſam: & hominem ad ejus imaginem factum. Unde Gentes id hauſerint?*

7. *Utroſque ſenſiſſe, hominem eſſe animum ſuum, & hunc DEO ſimilem.*

8. *Hanc ſimilitudinem abſolvi conformatione noſtra cum divina volūtate.*

9. *Oſtenditur, quàm accuratè utriq; de eo conſentiāt.*

 10. *Ve-*

10. *Voluntas DEI ſpectatur vel ut Domini, vel ut Entis ſummè boni. Ex priore oritur Juſtitia ſpecialiter accepta, & juris obligatio: ex altero, virtus in genere.*

11. *Hinc probatur, utroſque Autores optimè ſum̃um bonum, ſeu cauſam omnis felicitatis, ad duo referre; juſtitiam, & pietatem.*

12. Alterũ *demonſtrationis caput. Ubi notatur 1. Bonum de rebus relatè dici, de perſonis abſolutè. 2. Virum bonum à bonô morali dici, non à reliquis bonis. 3. Bonum & de cauſa felicitatis ſeu virtute, & de ipſa felicitate dici.*

13. *Bona vel perpetua eſſe vel caduca & hujus vitæ propria. Utraque neceſſarió ſequi èx cauſa divinæ imaginis ſeu obſequii Divini.*

14. *Quomodo utrique æterna bona adumbraverint.*

15. *Ipſam cauſam hujus felicitatis eſſe quoque pro felicitate.*

16. *Bona hujus vitæ quo ſenſu æternis quoque accenſeri poſſint.*

17. *Bona caduca quoque non poſſe non ſequi ex DEI obſequio, quo imago ejus effingitur.*

18. *Quod latiùs probatur ex conſentanea Gentium & Sacrorum doctrina.*

19. *Et è contrario infertur ex ejus aſpernatione nullum non mali genus, pari omnium conſenſu.*

20. *Hinc pro ſupremo principio & æterna regula ponitur:* Juſtos ſequitur certa & perpetua utriuſq; vitæ felicitas; injuſtos, certum & perpetuũ malum. *de quo pariter gentium & ſacrorum conſenſus docetur.*

21. Sel-

21. *Solvitur, ex eodem conſenſu, objectio, malos ferè in civitate florere; bonos premi.*

22. Tertiũ *demonſtrationis caput. Ubi exponitur lapſus hominis, quo deperditum eſt maximũ hoc bonum cum divina imagine, & accerſitum agmen omnium malorum; idque ita & Gentibus compertum agnitumque fuiſſe.*

23. *Unde notantur conſectaria. I. Ex hoc conflictu voluntatem victam deſiiſſe eſſe liberam & ſanam, & ſervire carni ejuſque cupiditatibus: & utroſque Autores id ſtatuere ſervitutem, morbum ac dementiam voluntatis.*

24. *II. Utroſque quod homo rectè agere intendit, voluntatis; quod contrà, carnis motibus tribuere, & ita loqui ſolere.*

25. *III. Utroſque ſentire, naturaliter voluntatis libertatem non tolli nec mutari eo, quòd homo cupiditatibus ſuis mancipatus iis ſerviat. Et ideò, etſi omnes cives mali et pœnis ſubigendi eſſent, tamẽ liberam eſſe civitatem, & judicia intelligi omnium voluntate fieri.*

26. *IV. Hominem ſuis viribus ab hoc malo eluctari non poſſe, impotentiâ morali: quæ è communi conſenſu explicatur diſtinctione inter actiones noſtras & paſſiones.*

27. Quartũ *caput demonſtrationis. Ubi ex præmiſſis oſtenditur, hujus ſummi boni amiſſi reparationem, & reductionem ad primævum ſtatum communi Gentium ſuffragio eſſe ſcopum & finem civitatum, Magiſtratuum, & Legum.*

28. *Cur plenaria reſtauratio priſtinæ hominum Naturæ & imaginis fieri jam*

jam non poſſit? Et quid hunc defectum ſuppleat? remiſſ.

29. Uti duabus de cauſis homines à tramite boni ſui deficiunt; 1. errore, 2. vitio mentis: ita ad eundem reducendos eſſe, cauſis aberrandi ſublatis. Errorẽ corrigi diſciplinâ; vitia moralia, etiam juriſdictione. Neque id fieri poſſe, niſi per civitates.

30. Hoc perpetuum bonum propoſitum eſſe cum civitati, tum ejus membris, ſcil. & magiſtratui & ſubditis.

31. Curam verò & tutelam ſummi hujus boni incumbere magiſtratui.

32. Nec intereſſe, qualis ſit magiſtratus, & quo jure præſit, ſeu, ſit ne ſubjectio mediata an immediata.

33. Hoc diſcrimẽ nihil huc facere, & ſubjectionem mediatam nec unitatem, nec libertatem, nec immedietatem civitatis mutare; quod iterum illuſtratur exemplo Franciæ.

34. Nec immedietatem hanc mutari, etſi duæ ſint civitates, quarum altera in jus alterius bello tranſiit, & cujus proinde magiſtratus æquè ac ſubditi privati & pares ſunt.

35. Sed ſi victæ civitati libertas reddita, & permiſſum eſt ſuo magiſtratu & jure uti, eam fieri mediatam & liberam, & propriam habere civitatem, magiſtratus, & leges.

36. Explicatur, quo ſenſu Gentes dixerint, ſuo magiſtratu ac jure uti? *Et diſtingvitur duplex magiſtratus munus; 1. Imperium in ſubditos; 2. Cura & tutela boni publici civitatis ſuæ.*

37. Prius competere omni magiſtratui in omnes ſubditos, etiam non liberos, &

& cujuscunque civitatis, ex lege Naturæ.

38. *Alterum, ſeu bonum publicum, ejuſque curam, unicè pertinere ad illam civitatem, cujus causâ, ſeu in cujus rem magiſtratus & leges conſtitutæ ſunt, & ad ejus cives liberos, cùm ſubditos tum magiſtratus ipſos: atque hos demum dici ſuo magiſtratu & jure uti.*

39. *Hinc civitates bello victas non uti ſuo magiſtratu & jure, adeoque ſuo bono publico, etſi magiſtratus ſuperioris imperio ſubjectæ ſint.*

40. *Si vero iis autonomia reſtituta ſit, utriuſque Magiſtratus, & ſuperioris & ſui, imperio ſubjectas eſſe, ſed inferiore ſolo uti ut ſuo; quemadmodum ſuperiore ſola ſuperior, ut ſuo utitur: ſalvo cuique ſuo jure, illi, autonomiâ, huic ſummo imperio.*

41. *Applicatur ad formulã autonomiæ juris Gent.*

42. *In hoc ſenſu magiſtratus & ſubditos à pari intelligi ut ejuſdem civitatis membra; & illum non ſubditorum ſaltem, ſed totius corporis, & hact. ſuâ quoque causâ, conſtitutum eſſe.*

43. *Idemque eſſe, etſi magiſtratus ille á victore ſit conſtitutus, modò in rem victi.*

44. *Hinc in ſummam contrahuntur differentiæ mediatæ* civitatis *& mediatæ* ſubjectionis.

45. *Et porro infertur, bonum publicum, quod ſummum, & ideò tam anxiè à Gentibus quæſitum fuit, non eſſe comune, niſi 1. ejusdem civitatis civibus 2. liberis. & 3. imediatis.*

46. *Horum civium alios eſſe indigenas, alios aſſumtos.*

47. *Hos vel honoris tantùm causâ aſſumi, vel alia*

alia beneficia, ut jus comitiorum &c. adjungi:

48. Vel pleno jure civium recipi; tum quoad honores tum quoad onera.

49. Sequuntur aliæ ſpecies: Cum quis non recipitur in civitatem, ſed alteri civitati vel ejus civi jus civitatis conceditur. Si civi, iſte duarum civitatum erit civis immediatus; ſuæ originarius, novæ honorarius.

50. Nec novæ obſtringitur quoad onera, niſi & in ea habitet.

51. Si civitati detur, honorarium jus eſt pro modo conceſſionis, qui variat.

52. Si duæ civitates mutuo invicem jus civitatis tribuunt, quæ dicitur combourgeoſie, quid juris! His omnibus bonum publicum commune eſſe pro modo communicatæ civitatis.

53. Quibus è contrario bonum publicum civitatis commune non ſit.

54. 55. 56. Concluditur, bonum publicum civitatis eſſe in ea omnium publicarum actionum & conſultationum ſummam & cardinem.

§. I.

OMnis de Rep. ſeu civitate ſtabiliendâ, regendâ, tuendâ, & ornandâ tractatio *publici boni* mentione & contemplatione concluditur. *ſup. cap. 4. 5. 6.* &c. Quod verbum quidem protritum & in ore omnium eſt; at vis ejus incredibilis non perinde ſuo nominis pondere vulgò penſari, neq; quàm latè pateat, ex merito & Gentium ſenſu definiri videtur. Plerique enim de *Bono civili*, quod

quod vocant, & civitatum ſcopum ſeu finem faciunt, ita agunt, ut per id rerum tantùm & bonorum hujus vitæ copiam & ubertatem intellexiſſe, atque eam Gentium ſententiam diſciplinamque crediſſe videantur.

2. Eo verò quid pernicioſius in omnem humanam ſocietatem excogitari poſſet? Oſtenſum jam eſt, & judicio Gentium probatum, ipſam horum bonorum abundantiam florentiſſimis rebuſp. & imperiis perpetuò cauſam everſionis fuiſſe. *ſup. cap. 6. §. 15.* Evicimus illuſtribus rerum & exemplorum monumentis, quantâ vi bona illa, quaſi Sirenes & Syrtes, hominum cupiditates in ſe pertrahant, captoſque omnibus malis atrociſſimè mergant. *cap. 5.* Vidimus, quam bona illa homines, excuſsâ humanitate, in ferarum ingenia perverterint, atque in mutuas cædes & rapinas armaverint. *cap. 7. §. 26. & ſqq.* Quo factum, ut humanum genus ſummam felicitatem & cœleſtem eminentiam, divinæque naturæ conſortium cum fœdiſſima omnium malorum ſentina & impuriſima colluvie mutaverit.

3. Tantum igitur abeſt, ut Gentes de tali bono ſenſerint, ut è contrario, cùm is ipſe eſſet ſtatus ille hominum ferinus, ut talium bonorum corporis & fortunæ cupiditate arderent, eorumque venatio ad injuriam & perniciem ſocietatis humanæ rueret, iſtum tollere, atque ad humanitatem, & veras certi perpetui-

que

que boni rationes reducere, inſtitutis civitatibus ac legibus, laboraverint. Utique enim populi coierunt in ſuas ſinguli civitates animô pacis ac ſalutis publicæ in perpetuum tuendæ; neque adeò cogitârunt de bonô imaginario & ſpurio, nec de momentario & evanido, nedum de tali, quod, exemplo ſtatus illius ferini, qui ob oculos fuit, exitioſum ipſis futurum eſſet; ſed de bono ſuo vero, ſolido, ac perpetuo, quod ipſis *εὐδαιμονία*, vita beata, & publica ſalus audiit. Id ergo egerunt, ut in perpetuum & undiquaq; felices eſſent, & in omni vitâ, præſenſenti & futurâ, beatè viverent: alias nihil minus foret quàm felicitas, quàm beata vita, quàm bonum. Rectè Seneca *de vit. beat. d. c. 15.* ait. *Non habebit ſummum bonum ſinceritatem ſuam, ſi aliquid in ſe viderit disſimile meliori.*

4. Unde patet, Gentes neque *bonum civile publicum*, quod civitatibus & magiſtratui pro ſcopo eſt, *ſup. cap. 7. §. 36. & ſeqq.* ſtatuiſſe ſolùm in bonis corporis & fortunæ, ſeu hujus vitæ, neque tamen ea excluſiſſe à veri ac ſummi boni conſummatione: Etſi enim quidam veterum Philoſophi, quemadmodum & ipſi B. Apoſtoli &c. percognitâ origine ſuâ cœleſti, & æternæ illius beatitudinis ineffabili precio, præ ſenſu tanti boni ſpreverint reliqua ut caduca, & divinum animum corrumpentia; *ſup. cap. 6. §. 16. & ſeqq.* attamen inter omnes convènit, in hâc quidem vitâ civili nihil magni ad beneficentiam, nihil

nihil præclari ad pacem & juſtitiam civitatum: nihil eximii ad magnarum laudum & virtutum decora & faſtigia; quin, quod longè maximum eſt, nihil ad malorum furores frangendos, & vim atque audaciam debellandam, ſine horum bonorum præſidio geri atque explicari poſſe. Quemadmodum & Juvenalis dixit, *Sat. 3.*

Haut facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. - - -

Sed & eſſe ea vera & maxima bona, à DEO O. M. pro ſuo cultu ad oblectationem quoque humano generi indulta, dudum jam pervicimus. *ſup. cap. 7. §. 14. 19. & ſeqq. Add. Cic. lib. 1. Acad. quæſt. poſt exord. & Senec. integro tract. de vita beat. & ep. 92.*

5. Equidem de bono civili publico *ſup. cap. 6. 7. 8. & 9.* latè jam actum fuit, nec adeò ſine hiatu fieri videtur, idem argumentum locis tam diſſitis ſpargi. Verùm, cùm, expoſitâ utrâque ſpecie, *civitate* mediatâ ab autonomiâ, & jam quoque *ſubjectione* mediatâ, *(vid. cap. 19.)* conſtet, illi cum hac nihil commune eſſe, ſed totam pendére à rationibus boni publici; maximè verò interſit ipſius quoque humani generis, ut pariter conſtet, tum quanti id momenti ſit, tum qvàm mirificè in eo, & omnibus ejus cauſis ac principiis, gentes, ex quarum fontibus illud derivabimus, conſpiraverint cum ſacris literis, operæ precium viſum eſt, antè quàm utraque ſpecies

boni, felicitatiſque noſtræ perpetuæ procurandæ facultas, ſive publica libertas, *de qua cap. 3.* nam & ideò tam religioſe diſtinxerunt civitates liberas à non liberis; & mediatas ab immediatis: illud, ut appareret, quarum eſſet de hoc bono ſuo publico ſtatuendi facultas: hoc, inter quas civitates, civitatùmve membra, illud commune eſſet, vel non eſſet. Ut vel in oculos incurrat quàm cœci in hac materia juris Gentium fuerint, qui cum eâ vulgatâ juris publici Germanici differentiam inter ſubditos Imperio mediatè vel immediatè ſubjectos; nec minùs libertatem ac ſervitutem, cum medietate vel imedietate; publicam cum privata, ignoratione juris, quæſtionis, vocum, confundunt.

6. Ut ergò à primo capite demonſtrationis noſtræ ordiamur: manifeſtum eſt, omnes inprimis in unum convenire, *Deum eſſe ſummum bonum, & omnium bonorum cauſam, fontem, ideam. Vid. Morn. de Ver. rel. cap. 19. per tot.* qui proinde nec agit, nec vult, nec dat, niſi quod bonum eſt; unde Deum OPTIMUM MAXIMUM dixerunt: *Cic. IV. Verr. in med. & lib. 3. de Finib. propè fin. & Orat. pro dom. in fin.* cum quo adverſa fronte pugnat omne malum, perinde ut cum ente non ens. Deinde non minùs conſentiunt, *hominem ad Dei ſimilitudinem & imaginem factum eſſe.* Nam & Gentibus omnino explorata fuit animæ noſtræ cœleſtis origo, ejuſque cum divina natura ſimilitudo & cognatio. *Grot. de Ver. rel. Chriſt.*

 lib.

lib. 1. §. 16. ſub num. 6. Vid. annexa *inf. Orat. de Dign. orig.* Tanti verò myſterii receſſus quòd evolverint Gentes, atque in hæc adyta penetraverint, ipſæ præcepto maximè Delphici oraculi acceptum retulêre, ut in rebus perſcrutandis à *Se*, id eſt, à *Sui* cognitione, telam ordirentur. *Cic. de. Finib. lib. 5. ferè in med. & de Legib. lib. 1. in fin. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. c. 9.*

7. Hac viâ regiâ progreſſi antiqui Gentium Sapientes, perſpectum habuère, *Se* aliud quid à corpore ſuo, & *Se* animum ſuum eſſe. Hoc enim non minùs *Plato in Alcib. I. propè fin.* item *in Axioch. in medio, ac alibi*: & *Cicero in Somn. Scip.* aliique dixere, quàm ipſe Paulus. *Rom. 7. v. 14. & ſeqq.* Animum verò Dei imaginem, particulam, auram, &c. ac divinitatis conſortem eſſe, idem *Plat. d. loc. poſt. med. & in Hipparch.* cæterique Gentium Doctores, non minùs ac D. Petrus, *2 Pet. 1. v. 4.* & Moſes, *Gen. 1. v. 26. & ſeqq. & c. 5. v. 1. 2.* &c. aſſeruerunt. Cùm enim jam nôſſent, Deum, qui & ipſe animus eſt, animum humanum genuiſſe; *Cic. in Timæo, ſeu de Univ. in fragm.* adeoque animum ab animo, mentem à mente divina inſpiratam ſcirent, hoc ipſo apparuit, animum hominis, id eſt, hominem, eſſe imaginem animi à quo genitus, & mentem particulam mentis divinæ, quæ illam inflavit. Quod & ex textu ſacro & antiquis eruditè ita docet & illuſtrat *Aug. Zeuch. Epiſc. in Geneſ. cap. 1. fol. 103. ad verba: Ad imaginem noſtram.*

8. Cæ-

8. Cæterùm illa ſimilitudo animi humani & divini non abſolvit imaginem Dei, qui ſuâ naturâ ſummum bonum eſt, niſi & de hoc exempli ſui bono participet. Non poteſt itaque animus hominis, ſeu homo, referre imaginem Naturæ ſummè bonæ, niſi & referat bonitatem, quæ de Dei naturâ & ſubſtantiâ eſt: ſed contrà, ſi ab ea homo deficiat, deletur penitus omnis imago Dei boni, & exiſtit in contrarium imago ſummi mali: uti in malis ſpiritibus. *Vid.d. Orat. de Dign. orig.* Cùm igitur homo dicitur ad ſimilitudinem & imaginem DEI factus, ex eo concludi neceſſariò oportet, hominem ſuâ naturâ bonum, adeoque in eo & facultatem & voluntatem eſſe bene agendi: neque enim poteſt pars boni videri, niſi bonum, ut arguit Seneca *de vit. beat. cap. 15. in princ.* Omne autem bonum ad duas claſſes pertinere, *juſtitiam & pietatem*, ex utriuſque diſciplinæ præceptis, quin & ex vulgatis, mox videbimus.

9. Hinc jam irrefragabili ratione ſequitur, & utrique, cùm Gentium tum ſacri Autores, mirifico conſenſu inferunt, ſummum hominis bonum, unde omnia hujus & futuræ vitæ bona ſponte ſuâ manant, eſſe, *DEUM SEQVI*, id eſt, *velle, qvod Deus vult*, ſeu, *ejus voluntati obſequi:* quippe qui unicè eſt regula & idea omnis boni, atque ad ejus imaginem homo factus eſt; cujus proinde tota relatio in eo ſita eſt, ut archetypo ſuo adſimiletur, ſeu ejus voluntati, quæ

ſola omnis boni regula eſt, conformetur. Atque hæc demum relatio implet vicem imaginis, eamque non poteſt non ſequi omnis boni & felicitatis cumulus. *inf.* §. *24.* & *ſeqq.* Mirum verò eſt, quàm utrique, & ſacri & Gentium interpretes, eandem hanc omnis boni normam immotam & infallibilem, non pari modò ſenſu referant, ſed & iisdem propè verbis ſignificent. In ſacris tabulis illa ingeminatur paſſim hac formulâ: *Sancti eſtote, ut Deus eſt ſanctus: Iuſti, ut Deus eſt juſtus: perfecti, ut Deus:* & ſic porrò: *Vid. Lev. 11. v. 44. cap. 19. v. 2. cap. 20. v. 7. 8. Matth. 5. v. ult. 1. Petr. 1. v. 15.* atq; ita in genere: ESTOTE IMITATORES DEI. *Epheſ. 5. v. 1.* Gentes ſimili planè formula ex vetere præcepto ita id exprimũt: DEUM SEQUERE. Quod docet Sen. *de vit. beat. cap. 15. in fin.* ubi de bonis viris ait. *Eos habituros in animo illud vetus præceptum, DEUM SEQUERE.* Ita enim & Plato, *de Legib. dial. 4. poſt med.* hanc probi viri legem facit, *ut cogitet, quâ ratione ex eorum numero ſit, qui DEUM SEQUUNTUR.* Tum quærit: *Quænam igitur actio à DEO amatur, DEUMQUE SEQUITUR?* Et probat, eam conſiſtere in aſſimilatione Dei. Unde iterum, cùm *d. dial. 4. in fin.* clauderet, ait: *Se egiſſe de* SEQUENTIBUS DEOS; eoſdemque vocat, *qui Diis parent.* Idem & Lucanus, *lib. 9. v. 556.* innuit, cùm Catonem, ut virum ſanctum & divinum, laudans, ad eandẽ normam ita eum deſcribit:

Certè

Certè vita tibi ſemper directa ſupernas
Ad leges: SEQUERISQUE DEUM. &c.

Pariter quoque utrique id ita explicant: *Velle quod DEus vult;* ſeu, *Dei voluntati parere. Senec. epiſt. 74. Lipſ. Manud. ad Stoic. Phi. lib. 2. diſſ. 16. & ſeqq. Thom. ſumm. Theol. ex ſupp. part. 3. quæſt. 94. art. 2.*

10. Cæterùm, ut undiquaque ſibi hujus imaginis ratio & ſenſus conſtet, notanda inprimis & diſcernenda eſt duplex voluntatis divinæ relatio. Spectatur enim illa vel tanquam voluntas ſummi Creatoris & rerum omnium domini, cui omnes inviti quoque parére tenentur; vel ut voluntas Entis ſummè boni, atque adeò ſummè bona. *Priore* adſpectu voluntas illa eſt principium juſtitiæ ſeu omnis obligationis ac juris, quat. Ille vult. Atque ex ea voluntate Dei naſcitur JUSTITIA ſpecialiter ſic dicta, & à reliquis virtutibus diſtincta. *Vid. tract. filii, Sam. de Cocceji. Conſil. Reg. Boruſſ. intim. de Juris Nat. princ.* Non verò ab hac ſola inſpectione voluntatis divinæ formatur illa imago divinitatis, quam conformatio utriuſque voluntatis efficit: tum quia hæc juſtitia ſola non implet omnes numeros boni & perfecti, niſi & reliquæ virtutes conveniant: tum quia juris obligatio etiam eſt in malis, in quibus extincta eſt illa imago: nam etſi pareant Dei voluntati inviti & metu pœnæ, id tamen non eſt à bono & virtute voluntatis, ſed à vi cauſæ extrinſecæ compellentis: nec actio

coacti, ſed cogentis; nec voluntatis bonitas, ſed vitium & depravatio; quæ non eſt conformis, ſed quàm maximè adverſaria archetypo ſummi boni, cum quo pugnat omnis inclinatio in malum, omnemque divinæ imaginis rationem deſtruit. *Poſteriore* vero ſenſu voluntas illa Dei eſt principium omnis Sapientiæ moralis, uti expreſſe docet regius Vates, *Pſalm. CXI. v. ult.* & unica amuſsis omnis boni & perfecti: ejuſque imitatio voluntaria demum Dei in homine imaginem, quoad omnes virtutes, perficit, & continet caput, ſeu regulam, quin univerſum omnis boni & felicitatis humanæ quaſi contextũ; diciturque VIRTUS in genere. Atque ita recte Veteres ſimilitudinem Dei ſeu voluntatis divinæ, in virtute ponunt; *Plato in Phileb. & paſſ. Cic. l. 1. de Legib. poſt exord. & lib. 5. Tuſc. poſt med. Sen. (qui ex Stoicorum uſu ſapientiam vocat.) de Conſt. Sap. c. 8. &c.* & *Juſtitiam* quoque, generaliore vocis ſenſu, dicunt. Hinc intelligitur, obſequium voluntatis divinæ, Dei imaginem, & juſtitiam latè acceptam, ſeu virtutem, re idem eſſe.

11. Unde & apparet, hoc obſequium voluntatis divinæ, hanc ejus imaginem & ſupremam omnis vitæ regulam, & unicam omnis boni & felicitatis ſtirpem, ſuffragante utrâque ſcholâ, ſacrâ & Gentium, ad duo capita quàm optimè referri: JUSTITIAM, & PIETATEM, quæ & promiſcue *ſanctitatis* nomine venit, ambitumque omni-

omnium virtutum, perinde ut ipſa vox virtutis in genere, continet, & ipſam quoq; juſtitiã includit; ſicuti juſtitia latiùs ſumta omnes quoq; virtutes comprehendit, & pro virtute accipitur; at in ſpecie ſic dicta reliquis virtutibus opponitur, & propriam ſpeciem facit. quæ vel ex rudimentis Ethices nota ſunt. Hæc ſunt duo illa capita, in quorum ſummam collecta ſunt apud *Cic. in Somn. Scip.* omnia viri boni officia, virtutes, & laudes; ita ut, cùm Pater & Avus Scipionis, qui & ipſe ardebat corpore ſolvi, ad res maximas quaſi cœlitus hoc ſomnio inſtruere eum vellent, omnia in hoc compendium contraxerint, & hæc duo viam in cœlum eſſe, ita docuerint: *JUSTITIAM cole & PIETATEM: quia ea vita via eſt in cœlum.* Quo eodem ſenſu Juvenalis *Sat.* 8. ita cecinit: *Prima mihi debes animi bona, SANCTUS haberi, JUSTITIÆQUE tenax* &c. Proſus ut Zacharias, Baptiſtæ Pater, ſummam hanc facit eorum, quæ piis à Servatore redemtis incumbunt: *Ut DEO ſerviant in SANCTITATE & JUSTITIA. Luc. 1. v. 74. 75.* Quin expreſſe B. Apoſtolus his duobus præceptis abſolvit imaginem Dei, ad quam renovari nos ita jubet: *Induite novum hominem, qui SECUNDUM DEUM creatus eſt in JUSTITIA & SANCTITATE. Epheſ. 4. v. 24.* Similis ſenſus eſt *Rom. 6. v. 19. Exhibete membra veſtra ad ſerviendũ JUSTITIÆ in SANCTITATEM.* Nec aliud quid eſt vulgatiſſima illa do-

X 5 ctrina

ſtrina de Juſtitia particulari, & reliquarum virtutum complexu.

12. Atque ita demonſtratum inprimis eſt, Gentes quoque perſpexiſſe ſummum hominum ac civitatum bonum ejuſque fontem, atque illud ſtatuiſſe in imagine ſeu obſequio voluntatis divinæ; id eſt, in conſtanti juſtitiæ ſeu virtutum ſtudio. Sequitur nunc alterum, quod demonſtrandum eſt, ut pariter conſtet cùm ratio tum unanimis Gentium & ſacri Codicis conſenſus, & aſſertio, ab hoc capite fluere & pendère neceſſariò, omnia utriuſque vitæ bona, omnemque *εὐδαιμονίαν*, ſeu felicitatem humanam: atque ê contrario, obſequii hujus neglectum trahere divinæ imaginis abolitionem atque unâ quicquid eſſe poteſt malorum. Quod ut expeditius fiat, monendum eſt 1. Bonum de rebus relatè dici, quia aliis bonæ; de perſonis ſeu hominibus abſolutè, quia ipſi boni. 2. Virum bonum dici à bono morali ſeu virtute, non item à cæteris: ſed ab opibus locupletem; à viribus corporis robuſtum, & ſic porrò. 3. & inprimis, notandum, Bonum & de cauſa boni ſeu felicitatis dici, quæ eſt memorata jam conformatio noſtræ cum divina voluntate, verbo, *virtus*: & de effectu ſeu rebus, in quibus felicitas noſtra & vita beata ponitur: nam & virtus bonum eſt, §. *prac.* & perennis vitæ felicitas bonum eſt. Prius bonum eſt fons, ſeu radix, & quaſi corpus, unde alterum, *εὐδαιμονία* & felici-

& felicitas noſtra, quaſi fructus & præmium, proficiſcitur. De priore acceptione hactenus egimus; nunc de alterâ.

13. Bonorum igitur omnium duo genera eſſe conſtat: *Alia* enim ſunt perpetua & æterna; *alia* verò caduca, & hujus vitæ propria bona: utraque ſunt beneficia, præmia, ſeu fructus obſequii divini, quod nos in Dei imaginem effigiat. Æterna illa bona ſunt hominis propria, nec poſſunt ab imagine Dei abeſſe. Quemadmodum enim Deus & optimus eſt & beatiſſimus, atque ea in hoc archetypo inſeparabiliter connexa ſunt, ita & in ejus effigie ſeparari non poſſunt. Neque verò ſuſtineret homo imaginem & ſimilitudinem exempli ſui, niſi, ut participat de ejus bonitate, volendo quod ipſe (qui ſummum bonum eſt) vult, ita & pro ſuo modo & pro ſuâ naturâ, participet de beata ejus felicitate, quaſi de fructu. Quod ſi ergo & quamdiu voluntas hominis divinæ conformis eſt, atque ita in ejus imaginem & ſimilitudinem animatur, non poteſt, quin ad ideam exempli ſui, ut bonus, ita & æternùm beatus ſit.

14. Quæ verò & qualia ſint hæc bona æterna, quis verbis exprimat? Gentes ea adumbrârunt per campos Elyſios, ſeu Beatorum inſulas; *ἐν μακάρων νήσοισι. Heſiod*. Εργ. *l. 1. v. 168. Ariſt. lib. 7. Polit. c. 15.* vid. *Nat. Com. Mythol. lib.3 cap.19.* Sanè in rerũ fine nou fore ut materia in nihilum redigatur, ſed ſaltem ut im̃utetur & innovetur, conſentiunt. *Vid. Cic. lib. 2. de*

Nat

Nat. Deor. poſt med. Nam & charta ſacra myſticè per novam civitatem, novoſque cœlos & terras, *Apoc. 21. v. 2. & ſeqq.* Vid. *Euſeb. præpar. Evang. lib. 11. cap. 37.* at clarè & apertè delineat per deſcriptionem gaudii ineffabilis & incomprehenſibilis, cum perpetuâ ἀλυπία, ſeu, ſine ullo ullius luctûs contagio; idque ratione tum corporis tum animi. *1. Cor. 2. v. 9. Apoc. d. 21. v. 3. Thom. ſumm. Theol. ex ſuppl. part. 3. quæſt. 93. art. 1.* Maximè autem ea bona ſtatuūt in viſione, & quaſi fruitione ipſius Dei O. M. qui ipſe ſummum bonum eſt, quin qui ſolus omnia: prouti & Eccleſiaſticus, *cap. 43. §. 23.* & Lucanus, *lib. 9. verſ. 580.* uno veluti concentu id deprædicant.

15. Sed & ipſa hujus felicitatis cauſa, ſc. animi noſtri cum divino adſimilatio, per ſe quoque magna felicitas eſt, & bonum maximum, maximeque homini deſiderabile & exoptabile; animi ſcil. humani, id eſt, hominis, origo cœleſtis, & cum animo divino cognatio: quippe quæ ſumma humanæ naturæ poſt Deum, in ipſius quoque Dei oculis, præſtantia, ſanctitas, omniſque dignitatis faſtigium eſt. *Vid. d. Orat.*

16. Bona porrò hujus vitæ, etſi caduca, tamen homini bona atque expetibilia ſunt, tùm ad vitæ neceſſitates & commoditates, tum maximè ad ea quæ inſignioris virtutis ſunt, præclariùs exequenda. *ſup. §. 4.* Qua ratione ad alteram quoque æternorum bonorum claſſem ſuo modo referri poſſunt: quia ad virtutem quoque

que pertinent virtutis augendæ, promovendæ, & explendæ inſtrumenta & ſubſidia: &qui bonū æternum optat, etiam media ea vult, quibus ad illud perveniri poſſit. *Senec. epiſt. 67. in med.*

17. Sed & quat. hæc bona pertinent ſaltem ad hominem recreandum, exhilarandum, & oblectandum, non poteſt homo ſine iis intelligi feliciter & beatè vivere: *ſup.* §. 4. nam & optat atque expetit illa, eumque appetitum ipſa natura cum corpore nobis dedit. Quin hac ipſa de cauſa provida rerum parens animantibus omnibus cum corpore, & huic tuendo, ſenſuum quoque facultatem ingeneravit, ut, quod corpori utile vel noxium eſſet, ſentire poſſent, atque adeò illud appeterent, hoc fugerent. Dicendum igitur, ab homine ad Dei imaginem erecto, horum quoque bonorum nullum ad bene beateque vivendum abfuturum eſſe, quia plena & omnimoda εὐδαιμονία & vita beata, ut ipſi archetypo Deo individuè unita eſt, ita imagini ejus. *ſup.* §. 4. & §. 12. Accedit, quòd non tantùm Deus ſummum bonum, & omnis boni regula, ſed & omnibus aliis omnis boni cauſa eſt, ſeu, ut in ſacris dicitur, fons omniū bonorum. Idque tùm ex ipſa ſubſtantia & rationibus ſummi boni fluit, quod ſuâ naturâ eſt ſui, id eſt, boni, communicativum: tum quia hic fixus & definitus Naturæ tam animalis quàm rationa-

lis

lis ordo eſt, ut quiſque ſe maximè, & ſecundùm ſe ſui ſimiles, ſuæque naturæ conſortes & quaſi imagines, diligat ac foveat; idque tum indubitatiùs procedit, cùm eadem dilectionis cauſa eſt in imagine, ſcil. bonitas; & quàm maximè in Deo, ſummo bono, qui nec ſe diligit, niſi quia bonus, adeoque bonum eſt. Cùm ergò hoc bonum ſit id, quod vult & amat, & ideo ſe ut bonū; neceſſe quoq; eſt amare eū omnes bonos, ſui ſimiles, quibus idem bonū cōmune eſt, & qui idem, quod ipſe, bonum volunt: hoc magis, quia eorum ipſe eſt autor, parens, conditor & effector, qui ab ipſo deſcendunt & quaſi oriundi ſunt; quippe quæ naturâ ſunt cauſæ amandi, fovendi, tuendi, juvandique alios. Ut adeò non poſſint boni non eſſe in omni vita felices & beati, quos amat & diligit ille Deus, quem Cicero, *Orat. pro Domo ſua, in fin.* ait, propter beneficia hominum *Optimum*, propter vim & potentiam juvandi, *Maximum* dici; & quem proinde certum eſt, in infinitum & poſſe & velle bonis benefacere.

18. Sic utraque ſchola docet & infert. Ariſtot. *lib. 1. Eudem c. 8.* de Deo ita concludit: Τὸτε πρῶτον τῶν ἀγαθῶν, καὶ τὸ τοῖς ἄλλοις αἴτιον ἀγαθοῖς. *DEum eſſe primum bonorum, & aliis bonis boni ſui cauſam.* Paria tradit *lib. 1. Nicom. c. 2.* Et *lib. 2. Rhet. 17. Pios fortunatos eſſe* probat. Quod idem & Plautus *in Amph. act. 2. ſcen. 2. in princ.* aſſerit:

Omnia

Omnia aſſunt bona penes quem eſt virtus.
Plura *vid. inf.* §. *20.* Add. *Lipſ. Manud. ad Stoic. Phil lib. 2. diſſ. 19. & paſſ* & ita Plato ferè ubique. In ſacris verò ita ipſe Servator arguit ab hominibus, qui mali ſunt, & tamen ſuis bene volunt & benefaciunt, ad Deum bonum. *Luc. 11. v. 11. 12. 13.* Et *Matth. 6. v. pen.* de bonis hujus vitæ agens, inquit: *Quærite primùm regnum DEI & ejus juſtitiam, & omnia adjicientur vobis.* Regnum Dei quid eſt, quàm DEI voluntas? Et quid aliud ejus juſtitia? Hanc ergo ſaltem quærere & ſequi jubet, ut omnia affluant. Idem teſtatur B. Paulus *1. Tim. 4. v. 8. Pietas ad omnia proficit, promiſſionem habens NB. hujus & futuræ vitæ.* Inprimis quoque memorabile eſt, quod refertur *Deut. 10. v. 12. & 13.* ubi, cùm Deus Iſraëlitis beatisſimam terram, mutuo quodam fœdere obſequii donâſſet, in ipſo ejus conſpectu & ingreſſu Moſes eos ita affatur: *Et nunc Iſräel! quid Dominus DEus tuus petit à te, quàm cuſtodire mandata Domini, NB. ut Tibi bene ſit.* Quæ verò bonitatis divinæ exuberantia! Pro tot & tantis bonis ac beneficiis teſtatur Moſes publicè, DEum nihil aliud à populo vicisſim requirere, niſi id unum, quod & ipſum populo maximè ſalutare, ut ſuam voluntatem ſequantur, & quidem ipſorum causâ, *ut ipſis bene foret.* Nec minus quod Deus apud *Malach. c. 3. v. 10.* Judæos monet & teſtatur, *ut Se ſaltem probent, anne ſervatis legibus ipſius, omni bonorum copiâ abundaturi*

turi ſint? Quæ admiranda eſt ſummi Numinis *Φιλανθρωπία*! Atque in hac Deo obſequentium temporali quoque affluentia & felicitate decantandâ frequens eſt Regius Pſaltes; vid. *Pſ. 128. per tot. Pſ. 34. v. 8. & ſeqq. & plurimis aliis.* Quin ab hoc capite hymnos ſuos ille orditur. *Pſalm. 1.* Ex quibus abundè conſtat, obſequium illud divinæ voluntatis, quod imaginem divinitatis in nobis exprimit, eſſe principium & fontem omnis boni, omniſque felicitatis, hujus & futuræ vitæ, nec, ſtante hac causâ, ullum bonum ad feliciter vivendum defuturum eſſe.

19. Unde è contrario patet, & ab eadem ratione divinæ imaginis & divinæ bonitatis neceſſariô infertur, quòd, quemadmodum obſequium ſeu exemplar divinæ voluntatis, id eſt, *juſtitia & pietas*, fundus ſunt omnis boni & perpetuæ felicitatis corporis & animi, ita ejus adſpernatio, omnis mali, omniumque & æternarum miſeriarum. Tantundem enim de ratione ſummi boni eſt, malum, quod cum eo ſtare non poteſt, tolli, quàm bonum diffundi. Quin id ſummum bonitatis eſt, non modò malum non agere, ſed nec malum ferre aut tolerare; quin e contrario acerrimè vindicare & odiſſe: & ideo Dei præceptis & minis in ſacris, & maximè apud Moſen, creberrimè additur: *ut malum è conſpectu meo tollatur.* Unde Gentes quoque Jovem O. M. non modo opitulatorem, con-

conſervatorem, Statorem, Feretrium &c. ſed & ultorem, tonantem, fulminantem &c. coluerunt & conſecrârunt, & tot ſævisſima Numina ultricia ipſi miniſtrantia, totque horrenda ſuppliciorum apud inferos genera confinxerunt. In ſacris verò ſummus ille Deus, adeò in bonos bonus & benignus, adverſus malos ipſe ſe prædicat acerrimum vindicem, zelotem, &c. *Exod. 20. v. 5.* atque hoc nomen ſuum eſſe ait: *Deus zelotes. Exod. c. 34. v. 14.* Et *Deut. 29. v. 20.* horrendum minatur, adverſus inobedientes legi ſuæ *furorem & zelum ſuum exarſurum & fumaturum eſſe.* Sed & Moſes aſſerit, lætari eum, ut bonis benefaciendo, ita malos perdendo: *Deut. 28. v. 63.* atque ut in proborum prolem & poſteros beneficia; ita in malorum, vindictam extendere. *Exod. 20. v. 5. & 6. Lev. 26. v. 39. & 40. Deut. 30. v. 19.* verb. *& ſemen tuum.* Add. *Eſ. c. 1. v. 19. 20. c. 3. v. 10. 11. &c.* Ita & B. Apoſtolus utrumque jungit *Rom. 11. v. 22. Vide bonitatem & ſeveritatem Dei, in eos, qui ceciderunt, ſeveritatem Dei; in te bonitatem ſi in bonitate permanſeris: alioquin & tu excinderis.*

20. In tota itaque hac materia de bono publico & ſcopo civitatum, quin in omni diſciplina juſtitiæ & morum, hoc pro immoto principio & infallibili norma tenendum, & à Gentibus æquè ac in ſacris literis pro tali habitum ſtatutumque fuit: JUSTOS CERTAM ET PERPETUAM SEQUI UTRIUSQUE VITÆ

 FELI-

FELICITATEM; INJUSTOS, CERTUM & PERPETUUM MALUM ÆTERNUMQUE EXITIUM. Hoc ratione jam demonſtratum eſt. Gentium verò hanc quoque ſemper fixam fuiſſe ſententiam ac regulam, non modò inde patet, quia in hoc principio conveniunt, virtutibus nos mereri, vitiis demereri; à Deo autem, juſto rerum omnium arbitro, bona & mala pro merito diſpenſari: ſed & perſpicuè id ita exponunt Veteres: ut Heſiodus, divinus vates, *lib. 1. Ἔργων. verſ. 210. uſque ad fin.* Item Plato *de Legib. dial. 4. paulò poſt med.* ubi graviter docet, eamque jam tum antiquam ſententiam fuiſſe aſſerit, ſemper Dei vindictam premere improbos, & gratiam ac benignitatem ſequi probos, ſeu, ut mox addit, Dei ſimiles. Idem alibi paſſim inculcat; & inſignis ejus locus eſt *in Axioch. ſeu, de contemn. mort. in fin.* Unde & *Virg. 6. Æneid. verſ. 596. & ſeqq.* Phlegyam, Lapitharum regem impium, apud inferos pœnas ſcelerum dantem, acclamare advenientibus inquit:

Diſcite Juſtitiam moniti, & non temnere divos!

Sacræ verò literæ plenæ ſunt largisſimarum promisſionum, quæ Judæis, voluntati ſeu legi Dei obſequentibus; & tremendarum comminationum, quæ refragantibus factæ. Ob oculos ſunt illæ benedictionum & maledictionum viçes ac formulæ, quibus Moſes populo prolixè, non modò ut ſcirent & caverent, hæc bona bonis, & mala malis, certò eventura prædixit, & hæc

hæc mala maximè horrifico carmine intermitatus, quin imprecatus eſt; ſed & ipſum populum in verba ejus adegit; ut laté illud refertur *Lev. c. 26. per tot. & Deut. c. 27. 28. 29. & 30.* Ubi inprimis animadvertendum eſt, tum quod de Deo ſummè bono dicitur, quód gaudeat diſperdendo malos, ut gaudet benefaciendo bonis; *ſup.* §. *19.* tum quod & benedictionum & maledictionum formulis liberi quoque & poſteri comprehenſi ſint: *d.* §. *19.* quæ res utroſque, & bonos & malos, ſtimulare ſolet ad obſequium voluntatis divinæ, & abſterrere ab ejus neglectu: quia liberis non minùs, imò magis, quàm nobis metuimus, & æquè conſultum volumus. Maximè omnium movere nos, & excutere ſtuporem mortalibus debet, quod *Deut. 30. v. 15. & 19.* Deus, ut populo Hebræorum, ita cuique civitati & rei publ. proponit, & ſimpliciter populo optionem dat ſalutis vel exitii; vitæ vel mortis; boni vel mali; & cum bono vitam & benedictionem; cùm malo mortem & maledictionem individuè copulat. *Perpende* (inquit *d. v. 15.*) *quod hodie propoſuerim coram te vitam & bonum, & è contrario mortem & malum.* Et *d. v. 19.* *Teſtes invoco hodie cœlum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem; benedictionem & maledictionem. Elige ergo &c.* Alterutrum itaque ex duobus eligendum neceſſariò vobis eſt, ô Mortales: aut ſequi Deum ejuſque voluntatem; aut non ſequi. Tertium reliquum non eſt. Uno

 electo

electo, inſeparabiliter ſequetur, quæ ei cohæret, lex & conditio vitæ beatæ vel perditæ. Adeò ergo individua ſocietas & inſolubile vinculum eſt, quo felicitas utriuſque vitæ comitatur obſequentes voluntati divinæ; & pernicies, inobſequentes.

21. Equidem diu multumque homines torſit ſcrupulus iſte, qui ex eo reſedit, quòd videmus, malos plerumque in civitate florere; bonos verò affligi & ærumnis premi. Quem nodum latè proponit, & partim ſolvit Muretus, eruditâ oratione integrâ, quæ eſt tertia *in vol. 2. orat.* Enimverò rem ſalvam & expeditam eſſe, abunde dudum perſpexerunt & ſacri & profani autores: malis ſcil. bonorum iſtorum, quæ maximè animum & mores corrumpunt, copiam cedere in eorum pœnam ac interitum, *ut lapſu graviore ruant; ſup. c. 6. §. 16. & c. 7. §. 26.* bonis verò, qui & ipſi peccant, & felicitate facilè perverti poſſunt, in ſalutem. Si ergo bonorum & malorum, prout latè jam expoſita ſunt, calculus ritè ſubducatur, & bonum apparens, momentarium, umbratile, quin exitioſum, à vero, perpetuo, ſolido, & ſalutari, ſecernatur, nihil reliqui erit, quod ſcrupulum moveat. Quod argumentum præclariſſimè exequuntur è Gentibus *Senec. integro tract. de Provid. Dei. Claudian. in Ruffin. lib. 1. princ. & alii.* E ſacris Regius Vates, *Pſ. 37. & Pſ. 73. Hiob. 21. v. 7. & ſqq. Habac. c. 1. &c.* quò nos remittimus. Malis igitur

tur res ſecundæ mala & exitio ſunt, bonis res adverſæ bona & ſaluti. Malis bona ſua ſunt laquei, gladii, peſtes, & exitu ſupplicia: Bonis mala quoque ſua è contrario herbæ ſalutiferæ; vulnerum fomenta tam neceſſaria quàm proficua; quin vera & ſaluberrima panacèa, cùm ad præſervandum à corruptionis periculo animum, qui rebus ſecundis ſuccumbit; tum ad expiandum quod commiſſum eſt. Unde ubiq; beati prædicantur, & à Deo amati, quos ille caſtigat, ipſique pii Deo pro caſtigatione gratias agunt: Vid. *Job. 5. v. 17. Matth. 5. v. 10. & 11. Jacob. 1. v. 12. Proverb. 3. v. 12. Hebr. 12. v. 6. & ſeqq. Apoc. 3. v. 19. Tob. 11. v. 17.* & certum promittitur iis brabéum cùm probati fuerint. *Jacob. d. v. 12. Job. d. 5. v. 18. & ſeqq. Hebr. d. c. 12. v. 11.* quin vitæ quoque hujus felicitas. *Pſalm. 34. v. 11. 13. & ſeqq. Pſ. 112. v. 1. & ſeqq. 1. Tim. 4. v. 8. aliiſque locis innumeris.* Omne ergo malum in civitate à Deo eſt, *Amos. 3. v. 6.* ſive ex juſtitia, in pœnam & talionem: *vid. Diſp. de SS. talionis jure.* ſive ex dilectione paterna, in emendationem. *l. 20. ff. de Pœn.* adeoque bonis ſemper ad ſalutem, *Rom. 8. v 28.* malis ſemper, etiam res proſperrimæ, ad perniciem, non ſuam tantùm, ſed ſæpe etiam civium malorum, atque in pœnam. Quemadmodum Cicero *lib. 8. ad Attic. ep. 21.* felicitatem Cæſaris expendens, eam tribuit peccatis P. R. *Id*, inquiens, *quantis noſtris peccatis vitiiſque venerit, non*

poſſum ſine moleſtiâ cogitare. His igitur nihil adverſantibus, ſed è contrario, ubi de vera, conſtanti, & genuina vitæ felicitate quæritur, rem maximè firmantibus, manet lex immota & æterna: *Juſtos certam & perpetuam ſequi utriuſque vitæ felicitatem: injuſtos certam exitu & æternam perniciem:* Quod alterum fuit demonſtrationis noſtræ caput.

22. Tertium, quod adhuc demonſtrandum ſuſcepimus, eſt, quòd pariter Gentibus innotuerit, ipſiſque cum Sacris revelationibus conveniat, tum in hoc ſummæ felicitatis ſtatu homines initio vixiſſe, & ita conditos fuiſſe: tum, ab hoc ſtatu vitio ſuo defluxiſſe in deſperatisſimum. Id enim exprimit illa quatuor ætatum hiſtoria, variis quidem fabularum ſuccis tincta & velis obducta, at ſatis luculenter tamen expoſita. Iſthæc ſcil. primorum parentum felicitas beataque vita, eſt ipſa illa pöetis adeò decantata ætas aurea, quam à duobus laudant & concelebrant: primum ab hominum juſtitia ſeu innocentia: deinde à rerum ubertate ac copiâ. *Heſiod.* ἔργων. *lib. 1. verſ. 117. & ſeqq. Ovid. 1. Met. 3. & ſeqq.* Atqui hæc ſunt duo illa capita & bona, quibus vitam undiquaque lætam & beatam contineri oſtendimus. *ſup.* §. *13. & ſeqv.* PRIUS, ſcil. obſequium illud, quo componitur homo ad legem divinæ voluntatis, eoque vegetatur quaſi in ejus effigiem, eſt cauſa ſeu radix omnis felicitatis humanæ: ALTERUM, fructus, ſcil. perpetua

tua & ſolida felicitas, etiam hujus vitæ: quæ conſiſtit in rerum, quæ ad bene beateque vivendum pertinent, ubertate, *ſup.* §. *13.* Quod & Dicæarchus, antiquiſſimus & doctiſſimus autor, à Porphyrio citatus, & á Varrone *de re ruſt. lib. 1. pr. & l. 2. princ.* ita laudatus, (cujus locum Græcum exhibet *Grot. de Ver. rel. lib. 2.* §. *16. ſub n. 33.*) hoc compendio refert: *Antiquos & proxime Diis natos, & optimos naturâ fuiſſe, & pulcherrimam vitam vixiſſe, adeò ut aureum genus dictum fuerit.* Ab hac vero vita & felicitate aureâ quomodò defecerint homines, atque in omne vitiorum, & ideò unâ in omne ærumnarum genus prolapſi fuerint, per reliquas ætates tradunt. *Vid. Heſiod. & Ovid. dd. ll.* Et fuit utriuſque ſtatûs, cùm primævi illius & beatiſſimi; tum ejus, qui poſt lapſum ſucceſſit, corruptiſſimi & funeſtiſſimi, memoria apud Indos quoque conſervata, ut patet ex *Strabon. lib. 15. c. 8.* ubi, cùm Alexander M. miſiſſet ad Brachmanas, ſciſcitatum doctrinas eorum, unum, nomine Calanum, dixiſſe ait: *Olim omnia omni bonorum copiâ abundâſſe, Jovem autem ob hominum luxum & ὕβριν, ſeu contumeliam, omnia aboleviſſe, & vitam per laborem agendam ſtatuiſſe.* Quæ ſacris planè conſentanea ſunt. Quin adeò expertam Gentes habuêre hanc humanæ Naturæ perverſionem, ut homines non tantùm deletâ divinitatis imagine, ſed & humanitate exutâ atque abjectâ, quaſi in ſaxa, in ſtipites, in feras, mu-

mutatos eſſe viſum fuerit. Id refert Deucalionis fabula, alios homines ex lapidibus ab eo poſt tergum jactis prodiiſſe. *Ovid. 1. Met. 7.* qui addit. *Unde genus durum ſumus. &c.* Ita nihil inter gentes pervagatius eſt, quàm brutorum ritu homines vixiſſe, & quaſi obbrutuiſſe in feras, ut vidimus *ſup. c. 5. §. 8. & c. 7. §. 26. & ſeqq. Macrob. ad Somn. Scip. lib. 1. cap. 9.* Idque ſignificat Orpheus ille, qui ſaxa, arbores, & feras, carminis, quo animi & virtutis bona decantabat, dulcedine traxiſſe, id eſt, brutos& ferreos hominum mores harum rerum pulchritudine delinitos ad manſuetudinem & humanitatem reduxiſſe, dicitur. de quo *dd. loc.* Quod in ipſis quoque Orphicis refertur: *Argonaut. verſ. 428. & ſeqq.* Et quid aliud ſibi vult fabula illa prolixa Apuleji, de Pſyche (ſeu anima) & Cupidine, *in tract. de Aur. aſin. lib. 4. in fin. lib. 5. & lib. 6.* quæ quodammodo exhibere videtur fatalem illum congreſſum, quo anima humana, id eſt, homo, *ſup. §. 8.* cum cupiditatibus corporis commiſſus, atque in tentationis diſcrimen à Dæmone adductus, ceſſit victuſque eſt, atq; à carnis ſuæ cupiditatibus ſub jugum miſſus,& iis quaſi marito & domino, conjugatus & ſubjugatus eſt: indeque natæ finguntur voluptates carnales. Hos verò fabularum ſinus & involucra annales ſacri planiſſimè excutiunt. Unde diſcimus, ut homines primi defecerint à boni regula, à Dei voluntate, ea-

que

que ſpretâ & rejectâ, corporis ac ſenſuum Deo repugnantium blandimentis paruerint; quo diſparuit illicò omnis divinitatis imago, cum omni ſua dignitate & felicitate, & tantum ſubiit malorum, quantum antè fuit bonorum. Idque autore & artifice Dæmone, DEI & Boni adverſario, qui homini congreſſus, commiſit ejus voluntatem & cupiditates; animum, inquam, ſeu hominem, & carnem ipſius. Inde lucta: cùm enim voluntas naturâ tenderet adhuc ad obſequium Dei, ut ſuum ſummum bonum; cupiditates contrà impellerent & ineſcarent ad carnis pruritus, factum eſt ſuaſu & inſtigatu Dæmonis, ut in hoc certamine non rationi, rerum rectrici, ſed cupiditatum ſeu corporis ſenſibus, rationis alioquin mancipiis, paruerint. Unde patet, quàm horrendà prævaricatione homo in hoc certamine, cùm hinc ob oculos eſſet voluntas & mandatum Dei; inde contradictio Dæmonis ſtaret, & oblectamenta ſenſuum & corporis offerrentur, his illico ſuccubuerit, eoque rector ille animus, Dei imago, à cupiditatibus victus, & in ſervitutem ſubactus fuerit, ſimulque, Deo relicto, Dei hoſtem, non illius, ſed hujus voluntatem, idque ad impudentisſima ejus mendacia, ſecutus, Dei, ſummi boni, beatisſimam imaginem, in turpisſimam effigiem, ſeu verius deformitatem immundisſimi autoris & Principis omnium malorum, conſceleraverit, ad hujus vanisſimas calumni-

as ex Dei conſorte factus Dei hoſtis & perduellis, & ex orbis domino ſervus carnis ſuæ. Et nec hæc cauſa gentes latuit: ut pluribus eruditè oſtendit, *Mornæus de Ver. relig. cap. 17.* uti & *Grot. de Ver. rel. lib. 1. §. 16. pag. 42. & ſeqq.* aliique.

23. Ex hoc jam conflictu hominis & ſenſuum ipſius corporalium, ſeu, (ut ſacra pagina loquitur, cujus uſum ſequemur,) animi & carnis, hæc notanda conſectaria. I. Etſi voluntas humana libera, per ſe & ſuâ naturâ, velit verum ſuum bonum; tamen hac primæva clade ita proſtrata eſt, ut deſierit eſſe libera, & ſerviat carni ſeu cupiditatibus ſuis, à quibus victa jam non ſequitur id, quod ſuum bonum eſt, ſeu quod ſequeretur, ſi libera eſſet; ſed quod aliis, ſcil. carni ſuæ, libet, quæ eſt formula ſervitutis, atque ab utriſque Autoribus *Servitus* dicitur: tum quia victa eſt à carne, uti ipſe B. Petrus arguit, *2. Pet. 2. v. 19. A quo*, inquiens, *quis victus, ejus & ſervus factus eſt.* tum, quia libertatis eſt agere quod ſibi libet, & ſuum adeò bonum eſt. Voluntas ergo, cùm ſequitur quod carni libet & ei bonum putat, ex forma ſervitutis agit. Plena divinitatis eſt ſublimis illa diſputatio B. Apoſtoli, *Rom. c. 7. v. 15. & ſeqq. c. 6. & paſſ.* de dominatu carnis in animum ſeu hominem: de hujus ſervitute durisſima quâ carni ſervit, quin de morte ejus morali. Ipſe Servator apud *Joh. 8. v. 34.* inquit: *Quiſquis peccatum facit, ſervus*

vus eſt peccati: Et B. Petrus *d. v. 19. Homines,* ait, *eſſe ſervos corruptionis,* ſeu corruptæ carnis, *quia ab ea victi ſunt.* Similiter & Gentium Magiſtri hanc labem animi ſeu voluntatis noſtræ *ſervitutem* vocant: *Senec. lib. 3. Natur. quæſt. in fin. præf. & paſſ.* quin & *morbum, dementiam, furorem* & meritò quidem, hoc animi vitium appellârunt, de quo eleganter *Cic. lib. 3. Tuſcul. in princ.* denique & *mortem:* (moralem) uti *in Somn. Scip. Vita veſtra mors eſt.* & ſacer Codex: *Rom. 7. v. 10. 11. 13. 24. &c.* His mirificè congruit Veterum iſta doctrina: *Solos ſapientes liberos eſſe, omnes ſtultos ſervos. Cic. Parad. 5.* Uti enim idem vitium, quo quis alterius bonum quærit, dementiam pariter dixêre, atque ita omnes ſtultos ſervos; ita eos ſolos, qui verum ſuum bonum ſectantur, ſapientes & liberos. Atque ita ab eodem principio eſt, quòd JCti quoque prodigi vitium ad furorem referunt; *l. 1. princ. ff. de Cur. fur. l. 6. ff. de Verb. obl.* & impietatem Parentum, liberos contrâ naturæ στοργὴν exheredantium, à dementia quadam arceſſunt. *l. 13. in fin. ff. de inoff. teſt.* Utrumque enim verum eſt vitium mentis, etſi non verus furor, qui eſt vitium mentis naturale; reliqua, morale. *l. 2. ff. eod. tit.*

24. II. Hinc notanda communis locutio, quâ utrique pariter id quod homo bene agit vel agere intendit, voluntati tribuunt; quod perperam, dominatui carnis ſeu cupiditatum corporis

poris. Nam & in Sacris homo, qui ultrò peccat, dicitur *nolle id quod agit. Rom 7. v. 15. 16. 19. 20.* Et id ipſum è Gentibus Cicero præclariſſimè ita ex ſententia Veterum docet: Sic enim *lib. 4. Tuſcul. in princ.* ait: *Voluntas eſt, quæ quid NB. cum ratione deſiderat: quæ autem adverſa ratione incitata eſt vehementius, ea libido eſt vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus ſtultis invenitur.* Et *Parad. 5.* inquit: *Quid eſt libertas? Poteſtas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, niſi qui recta ſequitur?* Nam qui inde deflectit, & cupiditatibus obedit, non agit quod ipſe vult, (vult enim natura quod ſibi, id eſt, animo ſuo, bonum intelligit. *ſup. c. 4. §. 1 §. 15. c. 7. paſſ.*) ſed quod carnales cupiditates imperant. Atque hoc argumentum ex Epicteto optimè perſequitur Lipſius, *Manud. ad Stoic. Phil. lib. 3. diſſ. 12.* ubi & ipſe ſimiliter rogat: *Quæ eſt vera libertas?* Et reſpondet. *Innocentia.* Noxam enim à ſervitute eſſe jam vidimus: imò & à morbo & dementia. *ſup. §. 20.*

25. III. Notabile eſt, quod hinc fluit, & lumen affundit iis quæ de libertate dudum diximus: ſcil. naturâ voluntatis libertatem ex eo nec tolli nec mutari, quòd homo cupiditatibus ſuis mancipatus, his unicè indulgeat: quia hi actus non à voluntate procedunt, ſed à cupiditatibus; non à libertate, ſed ſervitute; non à ratione, ſed morbo & dementia. Nam & ita diſertiſſimè diſtinguit & rem definit B. Apoſtolus *Rom. 7. v. ult.* Ἐγὼ μὲν τῷ νοῒ δουλεύω νόμῳ Θεοῦ

Θεοῦ· τῇ δὲ σαρκὶ, νόμῳ ἁμαρτίας. Ego quidem animo (ſeu voluntate) *ſervio legi Dei; verùm carne* (ſeu cupiditatibus) *legi peccati.*
Unde ſequitur, cùm homines ſecurè & feliciter vivendi causâ in civitatem coëunt, & populum liberum eſſe, & civitatem liberam, omniumque voluntate leges fieri intelligi, quas populus, vel magiſtratus tanquam tutor populi, ſeverè exequatur. Etſi igitur mali in civitate in leges cumulatim peccent, & pœnis domiti, jura & magiſtratus peſſimè oderint, atque eradicari malint; tamen tota civitas manet libera, & juris executio omnium voluntate & voto fieri intelligitur; quia ille actus, quo in civitatem coiverunt, eamque legibus & magiſtratu formârunt, à voluntate eſt; quicquid in contrarium fit, à ſervitute, à morbo, à dementia: *ſup.* §. *20.* adeò ut, licèt nemo civis bonus ſit in civitate, uti inter Sodomæos, judicium tamen, quod Rex fortè juſtus in eos, ex rigore juris, exequitur, totius populi quaſi judicium eſt, & ejus veluti nomine exercetur, quia illud a voluntate eſt, repugnantia à furore.

26. IV. Denique hinc intelligitur, an & quat. homo eluctari ex hoc cœno & emergere poſſit? Etenim & in eo convenit ſacro Codici cum Gentibus, ſuis viribus non poſſe. Nam, quòd ſanctiſſ. Servator ait, *Matth. 19. v. 24.* facilius rudentem tranſire per foramen acùs, quàm divitem in regnum cœlorum; idem totidem propè verbis

bis Plato *de Legib. dial. 5. haut procul à fine*, dixit: *Impoſſibile eſt, divites valde, ſimulque probos eſſe.* Et mox: *Fieri non poteſt, ut divitiis aliquis ſimul præſtet & probitate.* Verùm id intelligunt de impotentia non naturali, ſed morali: non quòd facultas, ſeu potentia naturæ, deficit, ſed quia voluntas: ita ut vitium ſit in voluntate hominis, non in facultatibus Naturæ. In homine ſcil. ex Epicteti doctrinâ, *Enchir. cap. 1.* diſcernendæ ſunt actiones ipſius, & paſſiones. Hæ non ſunt in poteſtate; quia per eas patimur, & cauſa extrinſeca in nos agit. At noſtræ actiones naturaliter ſunt in noſtra poteſtate, *Epictet. d. loc.* & eſt omnino in nobis libertas, ſeu facultas naturalis agendi quod LIBET: *l. 4. princ. ff. de Stat. hom.* Sed LIBET illud homini, quod magis ipſi bonum videtur. *ſup. cap. 4. §. 13. & c. 6. §. 11.* Quamdiu igitur alicui magis bonum videtur v. g. ſcortari quàm uxorem ducere, non poterit hoc præferre: non quòd non poſſit uxorem ducere, ſed quòd non poſſit velle ducere, quia minus bonum videtur. Atque hæc eſt impotentia illa moralis, quâ non negatur naturalis facultas aliter agendi, ſed moralis facultas aliter volendi.

27. His ita penſitatis, demonſtratoque jam, quàm immenſum illud bonum hujus & futuræ vitæ ſit, quod homo prævaricatione ſua perdidit; quanta humanæ naturæ Deo proximæ fuerit ſublimitas, quâ excidit, profligatâ divinitatis

cogna-

cognatione ac cœleſti origine, atque in hoſtem fœdata Dei imagine; *Quartò* jam domonſtrandum eſt, hoc tantum bonum amiſſum, eſſe bonum illud, quod Gentibus, populis, civitatibus, earumve legum latoribus & magiſtratibus, reſtaurandum propoſitum eſt; atque adeò illud unicè civitatum & Legum finem ac ſcopum eſſe. Nam & *ſup.* §. 2. *& ſeqq.* evictum eſt, per *bonum illud publicum ſeu civile*, cujus tuendi aſſerendique causâ civitates conditæ ſunt, *ſup. cap.* Gentes æquè ac ſacra oracula non intellexiſſe ſola bona temporaria, fluxa & caduca, quæ ſine vero & æterno illo ſunt mala peſſima, non bona: *ſup. cap.* 5. §. 8. *& ſeqq.* ſed bonum verum conſtans, ac ſolidum: id verò aliud non eſt, quàm originarium illud, quod amiſſum, &, ſi felices eſſe velimus, recuperandum eſt. Hujus boni caput jam vidimus eſſe obſequium voluntatis divinæ, quod nos in imaginem Dei reſuſcitat, & per ſe ſummum bonum eſt: *ſup.* §. 3. *& ſeqq.* Inde ultro ſcaturire quicquid temporariæ quoque felicitatis eſt, omniumque hujus vitæ quoque bonorum, quat. bona ſunt, & ad vitam felicem beatamque pertinent, ubertas & affluentia. *ſup. cap. & ſeqq.* Quâ in re (nim. omnem utriuſque vitæ felicitatem in eo poſitam, ut reformentur homines ad priſtinum divinæ voluntatis obſequium, adeoque ad imaginem) quàm pulcherrimè conſentiunt Gentium & ſacri Codicis præcepta. De Gentibus perſpicue

inpri-

inprimis ex veteribus Philoſophis, Simplicio, Epictęto, &c. id docet *Lipſius Manud. ad Stoic. Phil. lib. 3. diſſ. 12. in fin.* ubi diſerte & notabiliter hunc hominibus finem ita præſcribit: *Animum in eam aſſerere libertatem, in qua à Parente & Autore Deo productus fuit:* quippe quæ fuit ipſa illa libertas, quâ homo potuit & voluit obſequi voluntati divinæ, quæque adeò Dei imaginem inobedientiâ ſuffocatam, reſtituit. Idem ergò ſignificant, cùm volunt, hominem ſe conformare ad ſimilitudinem Dei, quod unanimiter & conſtanter tradunt Plato, (inprimis *in Theat. in Phædon. & in Phileb.*) Cicero, Seneca, & alii *paſſ.* nam is eſt primævus ille ſtatus humanæ felicitatis, quam anhelamus. Quod idem ille è Brachmanibus Indus, Calanus, quem ex Strabone *ſup.* §. *22.* memoravimus, cùm, in originario ſtatu omnium ubertatem fuiſſe, Jovem autem eam ob hominum injurias ſuſtuliſſe, & ex labore homines vivere voluiſſe, dixiſſet; porrò addit: Τῆς ἀρετῆς παρελθούσας εἰς μέσον, πάλιν εὐπορία τῶν ἀγαθῶν ὑπῆρξεν. *Virtutis interventu rurſus bonorum ubertas extitit.* Virtute ergo (quæ tota eſt effigies Dei, ejuſque obſequium, *ſup.* §. *10.*) reparari hominem ad priſtinum felicitatis ſtatum, Jndorum quoque Sapientes ſenſerunt. Paria planè ſunt, quæ divinus Codex ea de re præcepit, uti *Epheſ. 4. v. 24. Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Et *Coloſſ. 3. v. 10. Induite*

duite novum hominem, qui renovatus eſt ſecundùm imaginem ejus, qui creavit eum. Quæ non minùs perſpicua quàm ſibi conſentanea ſunt. Atq; hæc reparatio humanæ naturæ ad ſtatum originis ſuæ in ſacris meritò *παλιγγενεσία, regeneratio,* dicitur Degenerarunt enim homines, ut cupiditatum ſuarum mancipia, ab humanitate in feritatem: nova igitur generatione opus erit, quâ homo quaſi ex ferâ in hominem renaſcatur, & ex ſervitute ad libertatem reviviſcat.

28. Facilè verò intelligitur, hanc naturæ humanæ primævæ, & imaginis divinæ reparationem plenariè fieri jam non poſſe. *Primùm*, quia pro commiſſo ſatisfactum non eſt, & nec ſatisfieri ab homine, nec id impune eſſe poteſt; non tantùm pro juſtitia, ſed & pro bonitate divina: tantundem enim de ratione ſummi boni eſt, malum tolli, quàm bonum diffundi. *Deinde*, quia vitium ſemel à com̃uni parente contractum quadam quaſi contagione inhæret ſangvini. Unde nec poſtea homines peccandi finem fecère, adeò ut ſanctiſſimi quoq; & primæva hàc labe contacti, & ſuis nævis polluti ſint. *Prius*, & quâ ratione per ſponſorem, ac divinum Redemtorem noſtrum, vices noſtræ expletæ fuerint, hujus loci non eſt: de *altero* itaque videndum.

29. Quæritur ſcil. quâ ratione, & quat. homines in hoc ſtatu corrupto amiſſum ſuum bonum originarium recuperare, & in priſtinum il-

lum ſummæ & omnigenæ beatæq; felicitatis, hujus & futuræ vitæ, gradũ reſtitui queant? Certũ enim eſt, bona hujus vitæ jam non, ut initio, ultrò affluere, ſed operis, vigiliis, ſudore, quærenda, jamque unâ & obſequii ſeu pietatis, & induſtriæ præmia eſſe. Quod & *Heſiodus* Ἔργ. *1. verſ. 286.* dixit, & ex eo *Plato de Legib. dial. 4.* allegat: Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. *Juxta Virtutem Dii ſudorem poſuerunt.* Quibus denuò adſtipulatur Calanus Indus, totidem verbis: Ζεὺς, ait, διὰ πόνου τὸν βίον ἀπέδειξεν. *Deus vitam jam per laborem exigi voluit. Strab. d. lib. 15. n. 8.* Ut paucisſimis defungar, jam *ſup. cap. 6. §. 9. & cap. 7. §. 22.* duæ cauſæ propoſitæ ſunt, cur à regula & ſemita boni ſui homines evagentur. 1. Error & ignoratio veri ſui boni, cùm bonum apparens & fucatum pro vero ſectantur. 2. Vitium & corruptio mentis; cùm, etſi intelligant aliud eſſe verum ſuum bonum, moraliter tamen impoſſibile ipſis eſt, aliter velle, vitio mentis & animi ſui. *d. c. 6. §. 16. ſup. & c. 7. §. 16. & ſeqq.* Prius corrigitur diſciplinâ: alterum Juriſdictione. *ſup. d. c. 7. §. 5 & ſeq.* Hoc & Plato voluit, *d. dial. 4. versùs fin.* & uſus Gentium probat. Utrumque eleganti quoque compendio exhibet & conjungit JCtus *in l. 1. §. 1. ff. de Juſt. & Jur.* ubi ſtudium & officium legislatoris ſeu moderatoris reip. his verbis depingit: *BONOS non ſolùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoq; exhortatione efficere cupientes:* idq; ait, eſſe *veram philoſophiam,* *non*

non ſimulatam affectare. Meritò! Homines bonos fieri, eſt, reſtitui eos in ſtatum quo boni fuère: id eſt, in ſtatum ſuum originarium imaginis divinæ, quæ eſt ipſa quæſtio noſtra. Id verò JCtus duabus rebus fieri ait: *Metu pœnarum*, qui à poteſtate ſuperiore Magiſtratùs ſeu Jurisdictionis infertur; vel *præmiorum* quoque *exhortatione*, quæ generaliter fit interpretatione Prudentum: quomodo hæc duo quoque conjunguntur in *l. 13. ff. de Legib.*

30. Neutrum ritè explicari poteſt, niſi homines ejus rei causâ in civitatem cöeant, eaq; legibus ac magiſtratibus probè munita, aliisque officiis neceſſariis, ita ut oportet, inſtructa ſit. *ſup. c. 7. §. 26. 35.* Atq; his omnibus, ſcil. & civibus, & populo, & magiſtratui, unum idemque propoſitũ hoc bonum publicum ſeu civile, omnibuſque individuè commune eſt. *Sen. de Clem. l. 1. cap. 4. & Plin. Trajano: Non magis ſine Te nos felices, quàm Tu ſine Nobis eſſe potes.* Hic ergo ſpectatur Magiſtratus, ut membrum civitatis, perinde ac ſubditi; totiuſque corporis causâ & nomine bonum publicum procuratur, non fucatum aut ſubitarium, ſed verum ac perpetuum; illud, inquam, quod radix eſt omnis felicitatis, vitæque beatæ, præſentis & futuræ; & quod denique nos ad ſimilitudinem divinitatis effingit. *d. c. 7. §. 37. & c. 8. §. 3. & c. 19. §. 10. & ſeqq.* Videamus ergo, cui tam divinæ rei, & felicitatis hominum ac populorum, cura & vigilia incumbat? Equidem, na-

Z 2 turâ

turâ, uti bonũ hoc populo comũne eſt, ita & ejus cura: in omni enim ſocietate procuratio ejus boni., cujus cauſâ illa inita eſt, ad omnes ſocios ſpectat, atque adeò civitatis ſeu boni civilis ad totum populum; ut, quorum commune commodum eſt, eorundem quoque commune ejus regendi & tuendi onus ſit; nam & generalis ea lex eſt corporum & collegiorum, ut totius ſit poteſtas, ſeu τὸ κύριον, & imperium aliquod in ſingulos. *l. fin. ff. de Coll. & corp.* Verùm, cùm per omnes, & per vulgus, ritè id explicari non poſſit, brevi defluere remp. & tanti boni ſpem atque expectationem fruſtrari & contabeſcere neceſſe eſſet: quia & naturali hominum vitio communia communi ſocordiâ negliguntur, *l. 2. verſ. Naturale C. 12. Quand. & quib. quart.* vel diſceptandi litigandique pruritu & facilitate diſſipantur. *l. 77. §. 20. in fin. ff. de Legat. 2.* Unde & in privatorum ſocietate ferè conſultius duci ſolet, unius ſociorum peritiæ, fidei, & induſtriæ, negociationis operam & curam committi: in rep. autem curandâ, quippe re omnium difficillima, *ſup. c. 7. § 3. & ſeq.* & cujus nulla vulgi peritia eſt, nec iniri alia ratio poteſt, quàm ut paucis vel uni credatur: adeò ut & tum, cùm penes ipſum populum in rep. Rom. ſummi imperii Majeſtas eſſet, omnis cura & excubatio, ne quid reſp. detrimenti caperet, uni, ut Dictatori; vel paucis, ut Conſulibus vel Senatui impoſita fuerit.

32. Ma-

31. Magiſtratùs itaque curæ, fidei ac providentiæ concreditum eſt grande illud depoſitum; illud Palladium, quo ſalvo Troja perire non potuit: illud Numen civitatum, nempe ſummum hominis, Dei imaginis, bonum, ſummaque felicitas & vita beata; ſalus deniq; populi, cujus & ipſe Magiſtratus membrū eſt. Neq; intereſt, qualis ſit Magiſtratus, ſive ipſius populi, ſive Senatùs, ſive Principis: ſeu qualis ſtatus reip. ſive ſimplex, ſive mixta ſit ejus forma vel adminiſtratio. Omnium minimè autem refert, magiſtratus iſte proprio jure, an adminiſtratorio; ſuo, an alterius ſuperioris nomine poteſtatem exerceat: qualiſcunque enim ſit magiſtratus, omnibus ex æquo lex ſuprema eſt, ſalus totius populi, cujus membra ſunt, magiſtratus & ſubditi. *ſup.* §. *29.* At intereſt, ipſa civitas mediata ſit an immediata, de quo latè jam actum eſt: ubi dudum monendum fuerat, cùm talis libera civitas immediata dicitur, nomen illud hoc ſenſu non accipi de toto corpore civitatis, ſed de ejus membris ſeu partibus, & quæri, quæ ſint partes ſeu membra immediata, ejusdem civitatis? Unde hæc porrò notanda.

32. Diſcrimen illud, ſuo an adminiſtratorio jure magiſtratus utatur, adeoque mediata ſit ſubjectio an immediata, nihil hactenus, & neque civitatis unitatem, neque libertatem, neque immedietatem mutare. Ut perſpicua res fiat, exemplo erit populus Francorum, qui ab e-

oſtio Rheni tranſiens in mediam Germaniam, civitatem ibi ſub Ducibus ſuis condidit, ejuſque ſedem fixit in terra, quæ inde Francia ſeu Franconia dicta fuit. *Vid. Proleg. Jur. publ.* §. *20. ſeqq.* Certum eſt, hanc civitatem ex Ducibus ſuis & civibus, ut membris totius corporis, conſtantem, fuiſſe unam, immediatam, & liberam. Una enim eſt civitas ſeu civilis ſocietas, in quam populi omnium cōmuni voluntate, civitatis conſtituendæ cauſâ, in unum coiit. Ejus civitatis immediata membra fuêre omnes Franci in eam civitatē collecti, cùm Duces, tum reliqui cives: cùm civitas nihil aliud ſit, quàm corpus ex Magiſtratu & ſubditis collectum. Libera quoquo civitas fuit quæ nemini obnoxia. Unde ſequitur, bonum publicum iſtius civitatis fuiſſe immediatè commune omnium Francorum, tam Magiſtratuum quàm ſubditorum, & omnium cauſâ, atq; in rem & ſalutem omnium, ſeu totius corporis, Magiſtratus conſtitutos fuiſſe. Hinc nec una eſſe deſiit, etſi ſedes partitæ fuerint: nec immediati cives, etſi quidam v. g. Procerum feuda cum juriſdictione habuerint, & proinde ſubditi hi mediatè civitati paruerint; quia tamen ideò non deſinunt eſſe ſed manent immediata civitatis membra; quæ diverſiſſima ſunt: Nec denique ceſſavit eſſe libera, etſi regem in ſe elegerit. *ſup. cap. 10.*

33. At mutatio & diſcrimen oritur, cùm duæ ſunt civitates liberæ, quarum altera alteri bello quæ-

quæſita eſt, ſublatâ bello libertate publicâ. Hæc jam é contrario alia civitas libera fuit, ſed in unam cum altera tranſiit, lege victoriæ, quâ pars alterius immediatè facta eſt, & propriæ civitatis formã amiſit. Non poteſt igitur jam intelligi alia ab altera civitas, quæ nulla jam eſt. Nam ablatà bello libertate publicâ, propriè nec civitas manet, quæ eſt corpus liberum ex Magiſtratu & ſubditis, ut membris, compoſitũ: in civitate autem bello victa non eſt differentia Magiſtratùs & ſubditorum, quia tota civitas armis ſubjugata; & utrumq; ejus membrum, & nec magiſtratus minùs quàm ſubditi in publicam ſervitutem redacti ſunt. Nihil igitur imperii reliquum intelligi poteſt in corpore vel Magiſtratu victo, cui lege victoriæ omne imperium ademtum, & in Victorem translatum eſſe conſtat. Ut nihil jam interſit inter civitatis victæ Magiſtratus & ſubditos, ſed omnes privati ſint, omnesq;, quoad publica, æq; alieni juris & in victoris poteſtate. Unde nunc nec alia à ſuperiore, nec mediata civitas, quin propriè nec immediata intelligi poteſt, quæ ne civitas quidem ampliùs eſt; ſed pars vel terra immediata alterius civitatis, ſicuti alii privati & ſubditi immediati ſuperioris. Dicuntur tamen abuſivè civitates, quia pars aut acceſſio ſunt alterius civitatis imperantis, &, licèt non ſuo magiſtratu, attamen à ſuperiore reguntur; & inſtar privatorum ſunt. *l. 15. l. 16. ff. de V. S.*

34. Unde unà apparet, his civitatibus bello victis non competere facultatem publicè agendi quod ſibi libet, & quod ſibi è re ſua publica videtur; ſed quod victori aut ſuperiori, cujus arbitriũ à victoria ſequuntur. Prius enim eſt libertatis publicæ, quam perdiderunt, nec ſui juris, ſeu in publica libertate; ſed in publica ſervitute, ſunt, cujus formula eſt, non ſuo, ſed alterius domini vel ſuperioris arbitrio & lege agere. *ſup. cap. 3.* Illis igitur integrum non eſt de ſuo bono publico ſtatuere, & publicæ ſuæ ſalutis ſeu felicitatis, (de cujus eminentia diximus) habenas moderari, ſed ea omnia, quæ juris publici ſunt, expectare à judicio populi Victoris, & hujus legibus & Magiſtratibus, qui non populi victi, ſed Victoris cauſâ conſtituti ſunt, ſe ſubjicere tenentur. Victi ergo populi una cum ſuperiore civitas eſt, & pars ejus immediata, ſed non libera. Quæ omnia contrâ ſunt, ſi per autonomiam victis ſua libertas & propria civitas reſtituta fuerit: Quo caſu & duplex planè civitas èſt, & utraque libera, ſed altera inferior, quæ tamen jam ſuo Magiſtratu, & ſuâ cauſâ conſtituto, utitur, & ipſa de publico ſuæ civitatis bono, & ſua ſalute ac felicitate publica diſpenſat, ſuaq; lege vivit. Quæ etſi *ſup. cap. 8. & 14.* expoſita fuerint, hîc tamen uberioris demonſtrationis cauſâ applicanda quoq; duximus.

35. Ubi quàm maximè obſervandus eſt uſus ille gentium, quo ſenſu in formulâ autonomiæ

nomiæ victis reſtitutæ, dixerint, *ut ſuo magiſtratu ſuoque jure utantur*, cùm tamen & reliqui non minùs ſuos habeant magiſtratus, legibusque eorum vivant & teneantur. Etenim ex jam traditis *c. 9.* §. *2.* patet, & Boni illius publici, quod utramq; paginam hujus quæſtionis facit, duo eſſe capita; (adeoq; & magiſtratuū, eorumve officii, geminas partes.) *Alterum*, ut jus & juſtitiam exequantur in ſubditos: *Alterum*, ut bonum publicum & ſalutem ſubditorum procurent. Utrumq; elegantisſimè expresſit Senec. *de Clem. lib. 1. c. 5.* his verbis: *Illius demum magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam SUPRA SE eſſe, quam PRO SE ſciunt, cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum atque univerſorum quotidie experiuntur.* In quem locum Lipſius publicè Lovanii prælectionem habuit, præſentibus & audientibus Alberto Archiduce, & conjuge ipſius Iſabellâ Hiſpanâ, Belgii tum Rectoribus, quam deinde ſeorſim edidit. Ita ergo duo in hoc loco Principis officia Seneca diſcernit: *Quod & ſupra ſubditos ſit, imperium in eos exercendo; & pro ipſis, bonum ipſorum publicum ſalutemque tuendo.*

36. PRIMUM ergo eſt juſtitiæ aſſertio, ſeu obſequium illud voluntatis divinæ, quod nos reformat in imaginem Dei, & unicus atque inexhauſtus fons eſt omnis felicitatis utriuſque vitæ: quemadmodum ex adverſo ejus aſpernatio, omniū hujus vitæ malorum ac ærumnarum

narum, æternæque mortis. Iſtud quaſi caput eſt totius S. Scripturæ, quæ ubique id ingeminat. Omnium inſtar eſſe poteſt, quod Dei verbis Moſes populo expoſuit *Deut. 28. per tot.* Huic igitur capiti ut inprimis ritè proſpiciatur in civitate, omnium maximè neceſſarium & commune Magiſtratuum officium eſt, qui inprimis ad exequendam juſtitiam imperio armati ſunt in omnes ſubjectos. Hæc enim pars Magiſtratùs, quæ in executione juris ſeu æqui boniqne, conſiſtit, omnium maximè neceſſaria eſt, ſine qua fruſtrâ conſtans felicitas & ſalus populi, ut demonſtratum eſt, ſperatur. Neq; hact. diſtinguitur inter civitates: nam & bello victæ magiſtratum habent, cujus poteſtati non minùs, imò magis, quàm ipſe populus victor, ſubjectæ ſunt. Nec hìc quæritur, hujus an illius causâ magiſtratus ille conſtitutus ſit, cùm ea necesſitas, hinc juris exequendi, inde legibus parendi, non ſit ab arbitrio humano, ſed ab ipſa lege Naturæ, & obtineret etſi in peculiares civitates homines diviſi & diſtincti non eſſent.

37. ALTERUM autē jam eſt cura ac tutela boni illius publici & felicitatis populi, ut civitas omnigenâ rerum ac bonorum, hujus quoque vitæ, copiâ & ubertate, ad pacem tuendam beatèque vivendum, quàm optimè floreat. Hæc bona ſunt, quæ in hac vita inter mortales maxima & carisſima haberi ajunt *Saluſt. in Catil. cap. 36.*

36. & Liv. lib. 6. cap. 35. Hinc, ut eorum tuta, tranquilla, commoda, ac læta in perpetuum poſſeſſio & fruitio ſit, plures homines vel familiæ ſeorſim in civitatem cöeundo civilem quandam ſocietatem inter ſe contrahunt, hujus boni ſui communis & publici procurandi tuendique cauſâ: quod proinde hujus corporis ejuſque membrorum publicum & commune bonum eſt, nec aliis prodeſt, quibus ex aliorum ſocietate jus non quæritur. Unde & magiſtratus huic bono civitatis publico promovendo, regendo, & tuendo præfectus, hujus corporis ſeu civitatis proprius eſt Magiſtratus, & hujus cauſâ, atque in hujus rem & ſalutem conſtitutus.

38. Hic ergo plurimùm jam intereſt inter civitates, & hinc diſcriminum origo. Victa enim civitas, etſi populi victoris Magiſtratui ſubjecta ſit & pareat, tamen ille populi victoris, non victi, magiſtratus, & in rem atque ad felicitatem civilem illius, non hujus, curandam conſtitutus eſt. Victus igitur populus non ſuo, ſed victoris magiſtratu utitur, ejuſque, non ſuis, legibus vivit ac regitur. Neque enim civitas armis ſubjugata leges ſibi, ſeu ſuo arbitrio & in rem ſuam facere poteſt, ſed obſtringitur legibus à victore unicè in rem populi dominantis latis: nec magiſtratum jam ſuæ civitatis habet, quippequi æquè ac reliquus populus cum tota civitate in poteſtatem victoris jure

jure belli redactus, &, æquè ac ſubditi, privatus eſt. Unde Magiſtratus ille ejuſque legislatio, reſpicit unicè bonum publicum ſuæ civitatis, cujus gratiâ conſtitutus eſt, non victæ, niſi quat. ſuâ intereſt.

39. Ex his unà intelligitur, quid dicendum de civitate bello victa, ſed cui autonomia ſeu libertas publica, adeoque civitas ſua, reſtituta eſt. Hîc jam duplex eſt magiſtratus: alius civitatis ſuperioris, quæ bello vicit; alius inferioris ſeu victæ, ſed in libertatem reſtitutæ. Et ille quidem ſuperioris; at hic inferioris civitatis proprius eſt magiſtratus, hujus causâ, & in hujus rem conſtitutus, cui unicè bonum publicum civitatis victæ ſeu inferioris ob oculos, & iſtius ſalus ac felicitas publica ſuprema lex eſt; ſalvo tamen ſemper ſummo victoris ſeu ſuperioris imperio, quod ſemper exceptum intelligitur. *2. F. 7. in fin. 2. F. 55. in fin. & arg. 2. F. 28. in fin.*

40. Atque hoc ſenſu Gentes intelligunt formulam Autonomiæ, cùm eam ita concipiunt, *ſuis legibus vivere, ſuoque magiſtratu uti.* Etſi enim & populi victoris magiſtratui ſubjecta ſit civitas victa, nec autonomia reſtituta eam eximat; ille tamen proprius ſuperioris civitatis Magiſtratus, atque ejus causâ factus, unicè illius bonum publicum, &, quat. ſub eo continetur, inferioris ſaltem civitatis bonum civile pro lege & ſcopo habet. Talis igitur civitas victa & autonomiæ ſuæ reddita, non eſt pars ſuperioris

oris iṁediata,ut reliquæ, ſed mediata : cùm enim & ipſa per ſe & peculiaris atq; alia à Superiore civitas libera ſit, quæ, ut ſuis legibus, ita proprio magiſtratu,propriis civibus ac ſubditis,propriiſq; terris &c. tanq. propriis membris, iṁediatè conſtet,hæc non poſſunt ſuperioris membra intelligi niſi mediata.de quo jam ſæpius &latiùs actũ fuit.

41. Non ergo hæc civitas ejusve membra ideò dicuntur mediata, quaſi ejus Magiſtratus cum propria poteſtate ſit, & hinc ſubditi ſuperiori mediatè pareant, quæ eſt poſterioris capitis quæſtio de mediata *ſubjectione*, non prioris, de mediata *civitate*, de qua hîc. *Vid. ſup. cap. 19. §. 19. & ſeqq.* In hac nihil refert quo jure Magiſtratus præſit civitati, ſed manet illa *mediata civitas*, etſi ſubditi ſuperiori *immediatè pareant*, & magiſtratus civitatis inferioris non proprio ſed adminiſtratorio jure ei præfectus ſit. Neq; in hoc priore capite intereſt interMagiſtratum & ſubditos, ſed utrique æquè ſunt ejusdem civitatis membra immediata & ſuperioris mediata. Atqve ita é contrario inpriore capite ſuperioris civitatis ſubditi membra ejus immediata ſunt,etſi ſummo ejus Magiſtratui mediatè ſubjecti; Quemadmodũ nec in hac civitate diſcrimen,quoad prioris capitis quæſtionem, eſt inter magiſtratus & ſubditos, ſed omnes, tum Magiſtratus ſummi ac medii, tum ſubditi, ex æqvo ſunt immediata ejus membra; etſi medii Magiſtratum jure proprio gerant, eoqve ſubditorum mediata ſit ſubjectio:

pre-

prout de civitate Francorum vidimus *ſup.* §. 32. Enimverò in omni collegio vel corpore caput non minùs, qvàm reliqvæ partes, eſt immediatum corporis iſtius membrum. *ſup. cap.* 19. §. 14.

42. Sed nec intereſt, libera & mediata civitas ipſa ſibi Magiſtratum legat, an ex neceſſitate juris qvæſiti ſeu ſucceſſionis receptus fuerit; an verò ipſe Rex vel populus Victor magiſtratum det civitati inferiori: modò hoc caſu civitatis inferioris cauſâ, atqve in ejus rem & utilitatem, ſeu ad illius bonum publicum tuendum conſtitutus ſit: Is enim tum non eſt magiſtratus regius ſeu civitatis ſuperioris; ſed proprius inferioris; & hæc eo, ut ſuo Magiſtratu utitur; etſi iſto caſu autonomia ipſius & libertas publica reſtricta, & aliqvat. coarctata ſit. Adeò nihil commune habet diſtinctio *civitatis* mediatæ & immediatæ, cum diſtinctione *ſubjectionis* mediatæ & immediatæ, ab hac juris Gentium materia penitus releganda.

43. His ita demonſtratis, *primùm* in proclivi eſt univerſum triplicis generis civitatum diſcrimen, ex *utriuſque* capitis *ſenſu*, quaſi in tabella ita exhibere. In prima ſpecie, qualis à natura eſt, tota *civitas* ejuſque membra & *immediata* ſunt & *libera*: & *cives* naturâ ſubjecti ſummo Magiſtratui *immediatè*, niſi alius cum propria poteſtate præfectus ſit. In alterâ, *civitas* bello victa eſt *immediata* & *non libera*: *cives autem* ſummo Magiſtratui naturâ ſubjecti ſunt *immedia-*

dia-

diatè; ſi verò intermedius aliquis magiſtratus ipſis quoq; cū poteſtate propria præpoſitus ſit, *mediatè.* In tertiâ è contrario, *civitas* victa, alt autonomiæ reddita, eſt *mediata* & *libera; cives* autem ſummo Magiſtratui naturâ ſubjecti ſunt mediatè; quia ex autonomiâ ſuâ ipſi ſibi proprium magiſtratum facere regulariter poſſunt: cùm verò reſtricta illa hactenus eſt, ut Victor ſeu Superior ipſis magiſtratum det, *vid.* §. 42. *ſup.* ſi cùm propria poteſtate dederit, cives *mediatè* ſuperiori ſubjecti ſunt; ſi meram adminiſtrationem ſui vicariam, *immediatè*: quale exemplum eſt in veteri Weſtphaliâ, liberâ & mediatâ, ſed cui ipſe Carolus M. victor, leges & Magiſtratus dedit. *J. publ. cap. 9.* Et hæc omnia uti ex jure belli fluunt; ita & pactionibus & deditionibus in eundē propè modum conveniri poſſunt.

44. *Deinde*, nihil quoqve relictum videtur, qvod ad plenisſimam demonſtrationem boni illius publici, requirendum ſit, quo omnis felicitatis noſtræ, præſentis ac futuræ, & utriuſq; vitæ beatæ culmen continetur, & cujus ſtirps ac fons omnium, etiam Gentium conſenſu, eſt divinæ imaginis noſtræ, cœleſtiſqve Naturæ & originis reparatio, qvæ tota conſiſtit in obſeqvio voluntatis divinæ. Ut adeò mirum planè non ſit, Gentes tam anxiè & religioſè de hoc bono ſuo, quippe omnis felicitatis ſuæ cardine, qvæſiviſſe. Cùm ergo illud, diviſis civitatibus, inter illas diviſum, & propria cuiqve populo libero & boni ſui publici cura, & fruitio

tio ac diſpoſitio ſit, ſeqvitur illud tantùm ad cujuſqve civitatis cives liberos pertinere; qvippe qvi hujus boni pro ſe & poſteris ſuis adſerendi & curandi causâ in eam civitatem coadunati ſunt.

45. Horum civium duo genera ſunt: *Alii* originarii, ſeu indigenæ, & αὐτόχθονες dicti, cùm primi illi, tum qui inde nati ſunt, nec civitatem domicilio fortè mutato deſeruerunt. *Alii* in civitatem ultro adoptati & recepti: *l. 1. princ. ff. Ad Munic. l. 7. C. de Incol.* eſt enim bonum illud proprium civitatis, quæ de hoc jure ſuo diſponere, alioſque in ejus ſocietatem & communionem adſumere poteſt. *Alii* deniq; advenæ vel extranei, qui de eo non participant. Unde peregrini in civitate dicuntur ſuum negotium agere, non publicum & civium, ut ex Cicerone refert *Greg. Tholoſ. de Republ. lib. 4. cap. 4. §. 21.* & cives Sodomæi, cauſam adverſus Lothum quærentes, arguunt eum, quòd quaſi advena judicium ſibi arrogaret. *Gen. 19. v. 9.* Sed nec civitates ſubjectæ non liberæ, in boni publici partem veniunt; liberæ autem proprio & peculiari bono publico, uti propriâ civitate liberâ, fruuntur. quæ latius & jam ſæpe tractata.

46. Præterea Cives quoque adſumti duplicis iterum generis ſunt: Quidam enim ſunt, quibus honoris causâ, vel ut beneficium civitas offertur: quorum varii iterum gradus eſſe poſſunt. Aliquando enim tantum honoris effe-

ctum

ctum habet, & merum jus civitatis honorarium ſaltem acquiritur, ob ſplendorem & magnitudinem civitatis conceſſæ: uti Corinthii, quorum beatisſima urbs fuit, civitatem Alexandro M. obtulerunt, &, cùm Ille adſpernari videretur, reſponderunt, ſe nemini civitatis ſuæ jus obtuliſſe, quàm ipſi & Herculi. Sic & Helvetios regibus Galliæ, & Venetos Regibus Hiſpaniæ jus civitatis conceſſiſſe referunt *Bodin. de Rep. lib. 1. cap. 6. pag. m. 72.* (ubi plura exempla) *&, ex Bembi hiſtoria Veneta, Beſold. Synopſ. Pol. lib. 1. cap. 15. §. 10.* Atque ita beneficium civitatis Romanæ olim multi Principes & populi ambiverunt. Vid. *Bodin. d. cap. 6.* Aliquando autem tribuitur quoque jus Senatûs, & ſuffragii, aut comitiorum, atque tùm haud modicum id eſt beneficium, inprimis conceſſum à civitate, quæ gloria & opibus pollet, & rerum copiâ, bonorumque ubertate abundat. Ita Veneti Ludovico Lucemburgio, Regis Galliæ propinquo, civitatem cum jure Comitiorum elargiti ſunt: *Bemb. Hiſt. Ven. lib. 4. in fin.* Idemque beneficium Annibali Auſciolo, & Conſalvo Duci impertiverunt. *Bemb. d. loc. & lib. 5. pag. 199.*

48. Alii autem plenô jure civium recipiuntur, ita ut & onerum & beneficiorum fiant participes. *d. l. 1. §. 1. ff. Ad Munic.* Et hi indigenis comparantur; unde, quod ita allecti adquirunt, *jus indigenatûs* dici ſolet. Atque de

iis nunc agitur, & his civibus quoque eorumque poſteris bonum civitatis publicum commune eſt. Nec tantùm ſinguli ita recipiuntur in civitatem, ſed & populi: uti Romani & Sabini, commiſſo prælio, in unam civitatem coaluerunt: *Liv. lib. 1. cap. 13.* & ipſi Romani ex multitudine Albinorum & Latinorum aliorumque initio collecti fuêre. *Liv. d. l. 1. c. 6. Greg. Tholoſ. de Rep. lib. 4. cap. 4. §. 19.* His caſibus igitur una civitas ex pluribus facta, omnibus idem bonum publicum commune, omnesque immediati & liberi fuêre.

49. Non par jus, nec cum ſuperioribus caſibus commiſcendum eſt, cùm jus civitatis alteri communicatur: quomodo itidem vel ſingulis civitas dari poteſt, vel populis. Singulis, cùm extraneo civi jus civitatis alibi tribuitur; ita, ut ſuam civitatem retineat. Ille ergo duarum civitatum civis fit, *l. 6. ad Munic. l. 7. C. de Incol.* &, uti diſtinctæ civitates ſunt, ac ſuum cujusque peculiare bonum publicum, ita iſte erit cujusque membrum immediatum ac liberum. Erit igitur cùm in ſua veteri civitate iſtius boni publici ac jurium ejus capax & particeps, tùm in noviter acquiſitâ. Sed intereſt. Si enim in utrâque æquè habitet ſeu domicilium habeat, utrobique ex æquo civis erit, & tám ad munera obſtrictus, quàm jurium & beneficiorum ejus habilis: quod proinde meritò addit JCtus in *l. 27. §. 2. ff. Ad. Munic.* Add.

Cic.

Cic. pro Arch. cap. 4. Habitare verò quis duobus in locis poteſt, quia ad id ſufficit, familiam alibi habere, & per eam ibi habitare. *arg. d. l. 27. §. fin.*

50. Quodſi verò domicilium ita utrobique non habeat, ſed in veteri ſuâ civitate habitet, non erit in alterâ, ubi domicilium non habet, obſtrictus ad munera, *l. 1. & 5. ſeqq. C. de Incol.* adeoque non ex æquo utrobique civis, ſed in alterâ magis honorarius. Qualis fuiſſe videtur ille Tribunus militum, qui Paulo Apoſtolo dixit, ſe jus civitatis Romanæ magnâ pecuniâ emiſſe. *Actor. 22. v. 28.* Et ipſe Apoſtolus inquit, ſe eſſe civem Romanum, etiam nativum ſeu originarium, *d. cap. 22. v. 25. 26. & 28. & cap. 23. v. 27.* cùm tamen fuerit Judæus, & in Judæa enutritus; & nec Romæ natus, ſed Tharſi in Cilicia; nec hucusque Romæ unquam commoratus. *d. loc. c. 21. v. 39. c. 22. v. 3. c. 23. v. 34.* Dixit autem ſe origine quoque civem Romanum, quia Tharſus, unde oriundus erat, inſignis illa civitas & metropolis Ciliciæ, jus civitatis Romanæ ſeu juris Italici habuit. *Goth. ad l. 1. §. ult. lit. d. ff. de Cenſib.* Nec dubium, cùm in *d. l. 1. §. ult.* aliæ urbes Ciliciæ in numerum earum, quæ jus ſoli Italici habuêre, referantur, nedum Tharſus, caput & metropolis totius provinciæ; *Strab. Georg. lib. 14. c. 15.* in quâ & Cæſarem conventum omnium civitatum provinciæ habuiſſe refert.

Hirt. de Bell. Alex. cap. 10. Sic Archiæ poëtæ ab Heracleenſibus civitatem datam fuiſſe, pluribus refert Cic. *pro Arch. cap. 4. & ſeqq.*

51. Ita ſingulis datur civitas. Pariter & populis & urbibus: uti plurimæ per orbem terrarum fuêre civitates, quæ jus civitatis Romanæ ſeu ſoli Italici nactæ olim fuère: quarum multæ prolixâ ſerie recenſentur *in tit. ff. de Cenſib. per tot.* In hâc autem ſpecie quæri non poteſt de domiciliô, uti in ſingulis: ſinguli enim poſſunt pluribus in locis habitare, *ſup. §. 49.* at civitas non poteſt. Illarum igitur civitatum, quibus beneficium hoc datum eſt, honorarium magis jus civitatis videtur, pro modo conceſſionis, cujus formula inprimis inſpicienda eſt. Si nihil dictum, rationi ac juri proximum exiſtimem, participari beneficia civium privata, non publica honorum, Comitiorum &c. niſi id additum fuerit, *ſup. §. 47. 48.*

52. Alia adhuc ſpecies eſt reciproca illa civitatis communicatio, quam propriè *combourgeoiſie* dicunt: cùm inter duas civitates convénit, ut utriusque cives mutuum jus civitatis apud alteram haberent: quale fœdus refert Bodin. *d. lib. 1. cap. 6. pag. 72. 73.* inter Athenienſes & Rhodios: Inter Valeſios & 5. pagos Helvetiorum: inter Bernenſes & Friburgios; item inter Genevenſes & Bernenſes. Quæ tamen omnes duæ diſtinctæ manent civitates, nec in unâ miſcentur, & cujusq; cives in ſua civitate domici-

cilium habent, adeoque alteri ad onera non tenentur *ſup.* §. *49.* niſi domicilium vel transferant, vel utrobique fixerint, *Bod. d. loc.* His omnibus ergo caſibus bonum publicum commune eſt pro modo communicatæ civitatis. Mittimus alia, quæ hinc facilè definiuntur.

53. Unde & ex adverſo patet, quibus bonum civitatis publicum commune non ſit: ſcil. non iſtis, quæ non ſunt pars illius immediata & libera. Etſi ergo plures civitates liberæ fœdus ita ineant, ut, quæ ad omnium communem utilitatem ſpectant à communi Senatu expediantur, etiam cum imperio, ſuum tamen cuique bonum publicum proprium eſt, uti ſua cuiq; propria civitas; nec quicquam inde alteri commune eſt, ne quidem quoad negotia omnium communia; hæc enim non explicantur ullo jure communis civitatis, ſed mero jure fœderis: quale olim fuit inter urbes Græciæ, & hodieque eſt Helvetiæ, & fœderatæ Belgicæ. *Vid. Diſp. Generoſ. Dn. de Danckelman, de Imp. in par.* De victis autem civitatibus, quæ vel non liberæ, vel libertati per autonomiam reſtitutæ ſunt, abunde jam dictum eſt, ipſis bonum publicum ſuperioris civitatis commune non eſſe: non prioribus, quia non ſuam rem agunt, ſed alterius ſuperioris bono & utilitatibus procari tenentur: non his, quia eorum aliud & proprium eſt bonum publicum, uti alia & propria civitas, quæ non niſi mediatè eſt pars alterius. *ſup. c. 14. & c. 8.*

54. Satis igitur hactenus excuſſæ videntur rationes illius boni publici, veri ac perpetui, quod votum eſt civitatum, ſcopus magiſtratuum, ſalus populorum, caput conſultationum & ſumma diſceptationum publicarum, lex fœderum belli & pacis inter liberos populos; cardo omnis reip. & id, de quo dimicari ſolet.

55. Hoc bonũ cùm urbes Græciæ ſingulæ ſibi tueri non poſſent, omni contentione id egerunt, ut ſibi ſocios adjungerent, & ab aliis abducerent, vireſque eorum in rem ſuam firmarent. Exempla inſignia in pace, & ſubſecuto deinde fœdere, inter Lacedæmonios & Argivos, quo in id maximè incubuerunt, ut quæq; civitas ſuos ſibi ſocios ſalvos & liberos ſervaret, ſunt apud Thucyd. *lib. 5. num. marg. 90. & 91.* quibus quæ hactenus acta ſunt, pulcherrimè firmantur & illuſtrantur. Pace inter Lacedæmonios & Argivos factâ, cùm ſociorum libertati non minùs ut ſuæ proſpicerent, convénit de Sociis utriusque populi, ut eſſent *liberi* ſeu αὐτοπόλιες, *quaſi ſuæ civitatis cives*, vel, *quorum propria eſſet civitas.* Et mox: τὰν αὐτῶν ἔχοντες, *propriam civitatem habentes.* Et rurſus: αὐτόνομοι κατὰ πάτρια; *liberi & ſuo jure patrio utentes. Thuc. d. n. 190. fol. m. 396.*

56. Paria ſunt, quæ fœdere inter eosdem populos deinde repetito conventa ſunt, & hâc formulâ continentur: Ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις δίκας διδόντας κατὰ πάτρια· ταὶ δὲ ἄλλαι πόλιες ταὶ

ἐν

ἐν Πελοποννάσῳ, κοινᾶν ἐόντων τᾶν σποδᾶν καὶ ξυμμαχιᾶν, αὐτόνομοι καὶ NB. αὐτοπόλιες, τὰν αὐτῶν ἔχοντες, κατὰ πάτρια δίκας διδόντες τὰς ἴσας καὶ ὁμοίας· ὅσοι δὲ ἔξω Πελοποννάσου Λακεδαιμονίοις ξύμμαχοι ἐντὶ, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐσοῦνται τοῖσπερ καὶ τοὶ Λακεδαιμόνιοι, καὶ τοὶ τῶν Αργείων ξύμμαχοι ἐν τῷ αὐτῷ ἐσοῦνται τῷπερ καὶ τοὶ Αργεῖοι, τὰν αὐτῶν ἔχοντες. *Ut ipſi æqualiter & ſimiliter ſibi invicem jus impertiant; cætera autem civitates in Peloponneſo, communione fœderis & ſocietatis ipſis juncta, ſui juris, & libera quaque civitas eſſent, eamque ſuam habentes, juxta patria ſtatuta par & æquale jus darent: qui verò extra Peloponneſum ſocii Lacedamoniorum eſſent, eodem ſtatu ac jure forent, quo Lacedamonii; & Argivorum, eo quo Argivi, & ſuam ſeu propriam civitatem haberent.* Vid. *Thucyd. d. lib. 5. num. 191. eod. fol.*

55. Sed & huc faciunt, & notatu digna ſunt, quæ agitata inter Athenienſes & Melios fuêre in colloquio publico, quod exhibet idem *Thucyd. d. lib. 5. in fin. num. 192.* ubi cùm illi hos à Lacedæmoniorum fœdere avertere, atque in partes ſuas ditionemque attrahere molirentur, quæſitum fuit περί σωτηρίας καὶ τοῦ ξυμφόρου τῆς πόλεως, ἢ τοῦ κοινοῦ ἀγαθοῦ, *de ſalute & utilitate ſeu bono publico civitatis.* Athenienſes ſuſtinebant, bonum & conſultum fore Meliis, ut ipſi, tanquam imbecilli, ſe præſidii causâ ſubmitterent ſibi, potentisſimo & florentisſimo tunc populo; cauſati, ſuum onus tuendi fore, Meliorum verò commodum & ſalutem: βουλό-

μενοι, inquiunt, *ἀπόνως μὲν ὑμῶν ἄρξαι, χρησίμως δ' ὑμᾶς ἀμφοτέροις σωθῆναι : cupientes vobis imperare nullo veſtro labore, vos verò ex communi uſu utriſque ſalvari. d. l. num. 193.* Atque hæc erat hactenus conditio liberæ & immediatæ civitatis, cujus proprius eſt Magiſtratus, qui bonum publicum, quod magiſtratus & ſubditorum commune eſt, exequitur. *ſup. cap. 8.* At Melii opponebant, Athenienſes re ſuam tantùm ſecuritatem, & qvod ſuâ intereſſet, quærere; & regerebant casū ſeu eventū, ſi disſiderent utrinque boni publici rationes, & ipſi quoq; quod è re ſua eſſet, allegarent. *Δεῖ γὰρ*, ajunt, *ὥσπερ ὑμεῖς τῷ ὑμετέρῳ ξυμφόρῳ ὑπακούειν πείθετε, καὶ ἡμᾶς τὸ ἡμῖν χρήσιμον διδάσκοντας, εἰ τυγχάνοι καὶ ὑμῖν τὸ αὐτὸ ξυμβαῖνον, πειρᾶσθαι πείθειν. Oportet enim, quemadmodum vos veſtris utilitatibus nos obſequi ſuadetis, etiamnos quod nobis bonum ſeu utile eſt, oſtendentes, vobis quoque idem, ſi contingat, perſuadere conari.* Et tum monent, Athenienſes hoc ſuo conſilio omnes ſibi hoſtes facturos: *d. l. n. 194.* Hi verò autonomiam his verbis offerebant Meliis: *ξυμμάχους γενέσθαι, ἔχοντας τὴν ὑμετέραν αὐτῶν ὑποτελῦ. Socios fieri, habentes veſtram propriam civitatem ſub tributo.* Quæ eſt conditio civitatis liberæ & mediatæ.

CAP.

CAP. XXI.

De Comiitis, quibus de hoc bono & ſcopo civitatis agitur, conſultatur & ſtatuitur.

SUMMARIA.

1. Boni hujus publici curam non minorem eſſe debere in civitate regenda, quàm fuit Majorum in condendâ.

2. Eam, ſi civitas ſit popularis, vel ex populari mixta, explicari in Comitiis.

3. Comitia non eſſe in ſtatu merè Regio.

4. De Comitiis populi R. cùm ſub regibus, tum ſub republ. libera. Et quo jure olim Auguſtus & proximi ſucceſſores remp. geſſerint.

5. Quando Comitia populo ademta fuerint.

6. Quid interſit inter Collegia Miniſteriorum ſeu officiorum, & Comitia populi ſeu civium. His jus Comitiorum in ſtatu populari mero vel mixto quaſi connatum eſſe.

7. In Comitiis populum rem ſuam agere; reliqua Officiorum & Miniſteriorum Collegia alienam, ſeu populi. Illum jure ſummæ poteſtatis & proprio convenire, vel concurrere; hæc jure adminiſtratorio vel vicario rem gerere.

8. Ex jure Comitiorum certum eſſe argumentũ ſtatùs popularis vel mixti.

9. Hinc ad probandum jus Comitiorum non ſufficere, allegari exempla, quòd

quis interfuerit aliquando Comitiis, ſed docendum, ad deliberationes quoq; & ſuffragium jure Civis ferendum vocatum fuiſſe.

10. Jus ſuffragii ſeu Comitiorum in ſtatu populari vel mixto civium commune eſſe.

11. Id probatur uſu Gentium.

12. Sed hoc omnibus & reip. grave & oneroſiſſimum eſſe: & quæ inde abſurda?

13. Hinc omni ſtudio id egiſſe gentes, ut ſuffragiorum numerũ coërcerent, & moras abrumperent. Quomodo Romani ex inſtituto S. Tullii id temperaverint, populo in 6. claſſes, ſed quinque ſaltim claſſibus in plures centurias diviſis?

14. Quâ arte & ſolertiâ effecerit S. Tullius, ut nemo civium à jure Comitiorum excluſus eſſet, & tamen vix unquam præter primam aut alteram claſſem, reliquæ ad ſuffragia venirent.

15. Sextam propriè claſſem non fuiſſe, ſed unam tantùm centuriam: verùm omnes reliquas claſſes numero vincentem.

16. Alia aliarum Gentium rationes moderandi ſuffragia: ut tantùm numerentur Procerum ſententiæ, populus verò uno promiſcuo & quaſi confuſo ſuffragio annuat vel abnuat.

17. Ejus exempla.

18. Hinc uſu Gentium duos ferè ſuffragantium Ordines diſtingui: Principum, & multitudinis; & diſcrimen ortum inter ſuffragia virilia Principum, & promiſcua ſeu confuſa multitudinis vel populi.

19. Populi Ordinem, extructis urbibus, iterum diviſum eſſe in duas curias.

rias; aliam eorũ, qui ruri, aliam qui in urbe colunt: zwiſchẽ Städte u. Land.

20. *Uſum ejus Romæ maximè celebrem fuiſſe, diſtincto populo in 35. tribus, quarum 4. fuêre urbanæ: ſed digniores ruſticæ, & cur?*

21. *In Germania olim hoc diſcrimen ideo ignotum fuiſſe, quia urbes in ea initio non fuêre: at urbibus deinde extructis pariter cœpiſſe: Quod illuſtratur exemplo Landgraviatûs & Præfecturæ Alſatiæ.*

22. *In hoc diſcrimine non intelligi rus ſeu agrum omni urbe vacuum: nec urbem ſine omni agro.*

23. *Hinc oriri in Comitiis uſu ferè Gentium tres in univerſum ordines:* der Fürſten / der ohnmittelbahren hohen Lands Obrigkeiten; und der Reichsſtätte.

24. *Inde concluditur, quibus Civibus in quoque populo competat jus Comitiorum: ſc. membris iſtius populi immediatis & liberis.*

25. *Concluſio.*

§. I.

De Bono publico humani generis, & cujusque populi liberi, latè & iteratò actum fuit; cùm vix ſatis de eo agi poſſit, quod in omni rerum naturâ ſummum & maximum eſt; quod unicus civitatum, Magiſtratuum, & legum finis ac ſcopus: *ſup. cap. 20. §. 30.* quod omnem utriusque vitæ felicitatem implet; & populi ſalutem, omnesque ejus numeros, abſolvit: ſolumque adeò reſp. beatas reddit. Hujus igitur

tur boni & *εὐδαιμονίας*, ſeu beati ſtatùs, non minor cura in civitate regenda Moderatoribus ejus eſſe debet, quàm fuit Majorum in condenda; ſumma ſcil. & maxima; quin unica & omnis. Quemadmodum ipſum illud bonum, non tam ſummum & maximum, quàm omnium bonorum felicitatumque complexus eſt. In hanc ergo curam meritò incumbit tota civitas, & vel ipſâ boni hujus procurandi ſtabiliendique causâ in unum coit, ſeu communia Comitia agit, vel in tantam ſollicitudinem alios Prudentiores ſubſtituit.

2. De his Comitiis igitur, eorumque jure adhuc antè agendum eſt, quàm ſpecialis applicatio ad Statum Germaniæ accuratè fieri posſit. Oſtendimus jam quorum civium commune hoc bonum ſit, *c. 20.* §. *45.* & quibus cuſtodia illius in quaque civitate incumbat: ipſi ſcil. populo, vel NB. hujus populi causâ conſtituto proprio Magiſtratui. *d. c. 20.* §. *31. & multis ſeqq.* Etſi enim origo ſummi Imperii in ipſo populo ſeu civitate, quaſi fundo ſuo, inſideat, *cap. 8. & 9.* tamen apud plerosque populos hujus ſummi boni, & ſummi voti ſui feliciùs obtinendi & tuendi causâ, uni Principi, ut Capiti, commiſſa, & vel tota reſp. in unius manum & fidem tradita eſt, ut ille Prudentum conſiliis, & Miniſtrorum operis atque officiis ſeptus, molem hanc ſuſtineat; vel ipſe populus in partem curarum publicarum concurrit, atq;

atque unâ reip. clavum moderatur. Quoties igitur, vel ſumma Imperii ad ſolum populum reſpicit, vel conjunctas ille cum Principe partes habet, Comitia fiunt, in quibus libera civitas, &, pro modo ſtatùs, vel populus, vel Princeps cum populo, ſummum ſuum imperium exercet, & de ſummo bono ſuo publico, quod hact. tam ex principiis ſuis, quam è jure Gentium eruimus, ſeu de populi ac civium communi ſalute, & perpetua felicitate, laborat, conſultat, arbitratur, & ſtatuit. Ideò enim de hoc civitatum ſcopo ac fine, atque omnium populorum voto; de libertate publica, ſeu facultate boni hujus, omnibus optati ac libiti, comparandi & tuendi, de autonomia Gentium, atque hinc de diſcrimine inter civitates liberas & non liberas, mediatas & immediatas, agendum fuit: quia inde pendet quæſtio, quibus civibus tum bonum illud publicum, tum ejus cura Comitialis & cuſtodia communis ſit, atque adeò tota Comitiorum ratio: quæ proinde paucis adhuc evolvenda eſt.

3. Comitiorum ergo natales quærendi ſunt in civitate populari, vel merè tali, vel mixtâ atque contemperatâ cum regno: non enim poteſt in medium conſultari de re publica, ejusque ſalute, niſi populus in unum conveniat, & in comitia coëat. In ſtatu ergo mere Monarchico ſeu Regio non ſunt Comitia, ſed omnis cuſtodia boni hujus publici eſt penes Regem

gem, qui eam exequitur non per *Comitia populi ſui*, ſed vel per ſe, vel per *Officia* ſeu *Collegia Conſiliariorum & Miniſtrorum ſuorum.* Quod & innuit *l. un. princ. ff. Ad l. Iul. de Ambit.* in verb. *quia ad curam Principis Magiſtratuum creatio pertinet, non ad favorem populi.*

4. Cujus rei exemplum & argumentum in civitate Romana extitit, in qua ſummoperè celebratus, excultus, & frequentatus fuit Comitiorum uſus, non tantùm dum ſumma rerum penes ſolum populum fuit, ſed & cùm unâ penes Reges, & ſtatus ejus ex Regio & populari conflatus eſſet: nam & ipſi Reges Comitia inſtituerunt: Romulus Curiata; *l. 2. §. 2. ff. de Or. Jur. & ſeqq.* Servius Tullius Centuriata, quæ fuêre maxima. *Liv. lib. 1. cap. 42. Dion. Halicarn. lib. 4. cap. 17. & ſeqq.* Verùm ſub Impp. merum regnum captantibus, omnis ſenſim Comitiorum ratio extincta & planè conſepulta fuit. Etſi enim Auguſtus primùm non jure Regio, ſed nomine Principis (quo ſub populo quoque præcipui Procerum, uti Scipio, Scaurus, Pompejus, etc. ſæpe ornari ſolebant,) remp. ſuſcepiſſet, Conſulari ac Tribunitia poteſtate & Pontificatu maximo, quæ popularis ſtatûs nomina fuerant, eorumque inſignibus contentus; quæ & mens P. R. erat, *Tac. 1. Ann. 2. Suet. in Calig. c. 26. & in Cajo c. 22.* & ipſe Auguſtus propriæ ac regiæ poteſtatis aucupandæ animũ omni ſtudio & ar-

& arte diſſimulaverat, ſtatumque popularem ſe retenturum præ ſe tulerat; & ideo Conſulari ſaltem & Tribunitiâ poteſtate, ac Pontificatu, (quæ ut dixi, magiſtratùs & ſtatùs popularis nomina erant) utebatur, ut referunt *Tac. d. c. 2. & inprimis latè ac copioſe Dion. Caſſ. Hiſt. lib. 53.* mox tamen Ipſum omnem legum ac magiſtratuum poteſtatem ad ſe traxiſſe, provinciis ob avaritiam, & ambitum maximè Magiſtratuum popularium, eam rationem comprobantibus, pariter teſtantur *Tac. Ann. d. lib. 1. cap. 2. D. Caſ. d. l. 53.* Succeſſores verò ejus paulatim poteſtatem propriam & regiam palam ſibi arrogârunt, atque ipſum factum populi ita tandem interpretati ſunt, quaſi omnem ſuam poteſtatem jure Regio in eum tranſtuliſſet: §. *6. de Jur. nat.* atque eò retuleruut legem, quâ Auguſtus legibus ſolutus fuit, *l. 3. C. de Teſtam.* eamque *legem Regiam & imperii*, atque *Auguſtum privilegium* dixêre: *d. l. 3. l. un. §. 14. C. de Cad. toll.* Quam ſententiam tum ſecuti quoque ſunt JCti, ut Ulp. *in l. 1. pr. ff. de Conſt. Princ.*

5. Hinc jam Comitia quoque, quæ Populus R. antè in campo Martio habuit, Tiberius inde primùm ad Patres tranſtulit; *Tac. lib. 1. Ann. cap. 15.* mox planè abolevit, ſuique omnia arbitrii fecit. *Onuphr. Panvin. de Rep. Rom. lib. 2. rubr. de Comit. Cent. fol. 274. & rubr. de Comit. Trib. fol. 296. Gruch. de Comit. Rom. in præf.*

Praef. pag. 5. Budaeus. Annot. ad Pand. part. 2. tit. d. Ambit. pag. 99. Anton. Matth. de Crimin. ad lib. 48. tit. 11. n. 3. & ſeqq. Et ideò, cùm ille omnia per Sejanum ſuum ageret, huic deinde verſâ fortunâ, cum ſua familiâ, atrociter occiſo & punito, inſultantem populum inducit *Iuven. Satyr. 10. ac verſ. 77. & ſeqq.* & mutatam Comitiorum atque in iis ſuffragii vendendi licentiam ita notat:

Jam pridem, ex quo ſuffragia nulli
Vendimus, effugit curas: nam qui (populus in Comitiis) *dabat olim*
Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantùm res anxius optat.
Panem & Circenſes.

Quibus verbis mihi quidem Poëta videtur exprimere meram rei & voluptatis privatae curam, & à publica remotam. Populi enim erant adhuc ludi Circenſes, quos ſuo nutu exhibebat: unde illi jure communi recenſentur inter vulgaria munera civilia; *l. 1. § 2. ff. de Mun. & hon. l. 122. ff. de Legat. 1. Vid. Panciroll. Rer. mem. lib. 1. tit. de Circ. max. & ibi Salmuth. in Not.* Inque his ludis tantum faventium hinc inde contentione, clamore, & plauſu certatum fuiſſe, ut magis ſtudio & colore panni, & favore populari, quàm virtute vicerint, refert *Alex. ab Alex Gen. dier. lib. 5. cap. 8. in fin. Add. Panciroll. & Salmuth. dd. loc.* De eisdem populi Comitiis, quibus calculi venales erant, pariter *Quintil. lib. 6. Inſt. cap. 1.* ſcribit: *Quod genus*

nus noſtris temporibus totum pœnè ſublatum eſt, cùm omnia, curæ tutelaque unius innixa, periclitari nullo judicii exitu poſſint. Atque hinc *in d. l. un. pr. ff. de Ambit* dicitur, tum in urbe ceſsâſſe, quia Comitia, ob quorum abuſum & ambitum illa ſancita fuerat, ceſſabant. Ut adeò certum ſit, atque ab eventu inprimis conſtet, fucum Romanis feciſſe Caligulam, cùm fingeret, ſe populo redditurum ſuffragia. *ap. Suet. in Calig. cap. 16.*

6. Cæterùm *aliud* longè ſunt Comitia, quibus locus tantùm eſt in ſtatu populari, mero vel mixto, non in meris regnis; *aliud* Collegia illa publica Conſiliariorum, Miniſtrorum, vel Officiorum, quæ non in ſolo & mero regno, ſed & in quolibet alio ſtatu civitatis, Optimatum, populi, vel mixto, in id inſtituta ſunt, ut ſimiliter conſultent de republ. & bono communi, civitatis ſeu civium; ſed non pari jure & poteſtate. *Comitia*, quæ Græcis ἐκκλησίαι dicta fuêre apud *Thucyd. lib. 1. fol. 58. & Xenoph. Rer. Græc. paſſ.* populus jure populi habet, & in iis ſummum ſuum imperium vel ſolus exercet, ut in ſtatu merè populari, vel cum ſummâ ejus poteſtate concurrit, ut in mixto; atque ita Comitia populus celebrat, vel ut corpus, vel ut pars corporis, cui ſumma poteſtas cohæret, & quod ſemper ex capite & membris ſociatum eſt, ſi ſit mixta. At cætera, quæ diximus, *Collegia* neque corpus populi ſeu civitatis, ut Comitia,

faci-

faciunt; neque pars ſunt iſtius corporis: ſed conſeſſus miniſtrorum & peritorum, qui civitati ſeu reip. operam & miniſterium exhibent. Neque membra talis Collegii jure civium conveniunt, quin nec cives eſſe neceſſum eſt, ſed & alii in id allegi poſſunt. Longè alii itaque & ſeparati à Comitiis iſti conventus ſunt; nec modicum certè intereſt. JusComitiorum populo ſeu civibus quaſi connatũ eſt, ſine quo de bono ſuo communi & rep. decernere non poſſunt. Aſt officiorum & miniſteriorum Collegia, arbitrio civitatis, vel, qui ei præeſt, populi, ſeu ejus, cujus ſumma in populo poteſtas eſt, formantur; & in ea aſſumuntur in civitate quoque populari non modò cives ſed & peregrini; & in Ariſtocratica, non ſoli optimates, ſed etiam plebeji, ſalvô hinc Ariſtocratiæ, inde civitatis ſtatu: quia hæc Collegia ad ſtatum ſeu formam civitatis non ſpectant; ſed ad adminiſtrationem: & leguntur in collegium non ex congenito jure civium, ſed arbitrarié, ex peritia, fide, induſtria, & pro perſonæ meritis, in ſubſidium & expeditiorem rationem negotiorum publicorum.

7. Non ergo ut populus in Comitiis, ita hæc collegia & officia ſuo nomine ac proprio jure remp. gerunt; ſed jure, nomine, & auſpiciis populi ſeu civitatis, vel ejus, cujus ſumma in eà poteſtas eſt; à quo vel conſultatio de rebus publicis ſeu civium; vel adminiſtratio quædam

his

his Collegiis commiſſa aut delegata eſt. In Comitiis igitur qui ſunt, ſuam rem, ſuamque cauſam agunt; Reliqui, qui in prædictis collegiis, alienam. Illi, (cùm caput tum cætera membra) comparent in Comitiis, tanq. Cives, & domini civitatis, ut de ſuo bono communi deliberent, & conſtituant; hi, in Collegiis ſuis, tanquàm adminiſtri, ut de bono alterius Superioris. Illi, ut ſibi conſulant, hi ut aliis, Regi ſcil. & regno, vel populo, vel parti ſibi concreditæ. Illi ergo legem dicunt de re ſua; hi ſententiam de aliena: nam ſive conſilii causâ ſint, ut Conſiliarii, illud alteri præbent; ſive magiſtratùs, vel officii aliusve rei gratiâ, aliorum rationes ſequuntur. Ita illi in Comitiis proprium ſemper bonum ob oculos habent; hi in Collegiis, alieno incumbunt, & ſcil. ſaluti populi, vel regni, ſeu Regis ac Civium commodis invigilant. Licèt verò inter hos quoque ſint, qui Cives ſunt, in his tamen Collegiis operam ut Miniſtri præſtant; atque ut illi in Comitiis ſuum imperium exercent; ita hi in Collegiis iſtis miniſterium præbent, ſive cives ſint, ſive extranei. Populus ergo in Comitiis non tantùm conſultat, quod & in Miniſtrorum Collegiis fit, ſed & diſponit & ſtatuit, quod proprium eſt populi liberi, & qui boni iſtius publici dominus eſt.

8. Ex Comitiis ergò certisſimo argumento dignoſcitur reip. forma, ſimplex an mixta ſit,

& qualiter; utrùm ſolâ adminiſtratione & miniſterii operà, an imperii comunicatione, ipſaq; adeò formâ: indeq; patet quàm longè à vero & reip. rationibus abeant, qui contendunt, Status & ordines regni tantùm conſilii causâ in Comitiis concurrere. Comitia, ut jam vidimus, populi ſunt, non Miniſtrorum ſeu conſulentium Collegia. Populus, qui conſtat ſummo capite, regni Proceribus, & reliquis civibus, unâ in Comitia coit, non nudi conſilii dandi, ſed boni publici communiter exequendi & tutandi gratiâ. Quemadmodum Romæ ſub Regibus quoq; in Comitiis convenit populus R. prout tum conſtitit Rege, (ut Capite) Patribus, & plebe: Unde, cùm omnes pariter & viritim, *Liv. lib. 1. cap. 43. in fin.* & pauperrimus æquè ac opulentisſimus jus ſuffragii haberent, viſum eſt, vim reip. penes pauperes & plebem, numero quippe prævalentes, fuiſſe. Et, cùm deinde Rex Servius Tullius id parùm è rep. eſſe crederet, atque ideò placeret, pauperibus & infimæ plebis hominibus, qui publica militiæ & reip. onera ſuſtinere non poterant, otium plerumque à Comitiis, & tempora quotidiano victui quærendô vacua & libera dari, dicitur hâc ratione *vim omnem penes Primores civitatis fuiſſe. Liv. lib. 1. cap. 43.* Quod evidentiùs exponit *Dion. Halic. lib. 4. cap. 24. & 25.* ubi, poſtquàm recenſuit, quâ prudentiâ & æquitate Servius onera reip. à pauperibus ad locupletiores traduxerit, & ex adverſo his Comitiorum & ſuffragio-

fragiorũ prærogativam dederit, ait: *ita locupletibus totius reip. poteſtatem datam fuiſſe.* Et mox: *Ea prærogativa ſita erat in Comitiis, ubi de maximis negotiis decernebat populus*: & inter ea inprimis refert *Magiſtratuum creationem, leges, bellum & pacem.* Tum *cap. 25.* pergit: *Hoc inſtituto tantam potentiam acceſſiſſe locupletibus, ut pauperes à tractatione reip. remoti eſſent.* Quæ loca Gruchius *de Comit. Rom. lib. 1. cap. 1.* ex eo refert, & ita explicatiora reddit: *Effecit*, inquiens, *ut cives locupletiores verè reip. domini eſſent, & in pauperibus nulla propemodum vis eſſet* &c. *Fuit autem illa, quam divitibus dedit, dominatio in Comitiis, quibus res maximæ à populo ſciſcebantur: magiſtratus creare; leges jubere aut abrogare; de bello indicendo aut finiendo decernere.* Et paulò poſt: *Eo tantum autoritatis datum ditioribus, ut pene exacti reip. adminiſtratione pauperes viderentur.* Unde Coriolanus maximè invidit plebi hanc autoritatem, & oratione Senatum inſtigavit, ut populum à ſuffragiis arceret; *quod in iis conſiſteret tota vis reip. & inde populus adeò ſe tunc jactaret.* Sed fruſtra, & ſuo maximo malo id molitus eſt. *Vid. Dion. Halic. lib. 7. cap. 21. in fin. & ſeqq.* Ut adeò nihil inanius ſit, quàm populo vel Statibus in comitiis tantùm conſilium, non poteſtatis communicationẽ, ſaltem miniſterialem operam, non juris proprii autoritatem in rep. adminiſtrandæ tribuere. Cæterùm quædã mixtam cauſam habere videntur: uti cùm ſoli Optimates congregantur:

tur: quale corpus fuit Senatus Romanus: quatenus enim pars populi eſt, §. *4. de Jur. nat.* ſuam rem ſimul agit; quat. verò vice populi conſulebatur, rem populi. §. *5. eod. tit.* Unde, cùm pars populi, ſive plebs, ſive Proceres, congregata fuit, propriè Comitia non dicebantur, ſed conventus à Comitiis diſtincti, & Concilia dicti fuêre. *Gell. lib. 15. cap. 27.*

9. Non ergo ad jus Comitiorum probandum ſufficit, allegare exempla eorum, qui fortè ad ea aliquando vocati ſunt, vel in iis comparuerunt: niſi unà doceatur, eos deliberationibus quoque Comitialibus adſediſſe, & jure ſuffragii uſos fuiſſe. Non enim quæritur, qui acceſſiri ad locum Comitiorum, vel ibi ſe ſiſtere poſſint; ſed qui ſententiam in iis dicere? Nam & privati, & peregrini, & quàm ſæpisſimè extranei Principes, eorumve Legati vel Miniſtri, aliique, quorum, vel cum quibus, negotium aliquod vel cauſa in Comitiis agenda eſt, eò venire vel poſſunt, vel tenentur quoque: neque tamen ideò fiunt cives, vel Status ſeu Ordines Imperii, vel ordinaria Comitiorum membra. Non ergo de nuda vocatione vel præſentia, ſed de jure ſuffragii, & quæ ei connexa ſunt, quæſtio eſt; quorum ſcil. jus ſit deliberationibus publicis intereſſe, de rebus propoſitis unà conſultare & concludere, ac ſententiam dicere; atque adeò unâ cum ſummô Capite jura ac leges Imperii ſtatuere; quos proinde ejus

rei

rei cauſâ ad Comitia, quoties ea habentur, vocari neceſſe eſt, adeò ut præteriri aut excludi inde ſine injuriâ non poſſint. Id ergo probandum erat.

10. Conſtat verò jam ex antè traditis, in ſtatu populari, mero vel mixto, jus comitiorum connexum & quaſi connatum eſſe cum qualitate ſeu conditione civis, & jure adeò communi gentium competere omnibus & ſolis civibus, qui ſunt ejusdem populi vel civitatis membra immediata & libera. Cùm enim demonſtratum jam ſit, bonum illud civitatis publicum, de quo in Comitiis agitur, eſſe omnium, qui ejusdem civitatis cives ſunt, *ſup. cap.* 20. §. 45. conſequens eſt, hujus quoque boni ſui communis, quo omnium, tam Capitis quàm membrorum, ſalus continetur, cuſtodiam & curam, quæ in Comitiis per ſuffragia explicatur, eſſe totius populi communem, atque ad omnia populi membra, id eſt, ad omnes cives, ſpectare. *d. c.* 20. §. 30. & 31. Quod ut de indigenis hact. generale eſt, ita & de aſſumtis civibus, quibus civitas data eſt, obtinet, ſi cum jure ſuffragii illa data fuerit: tunc enim demum pleno jure cives facti intelliguntur. *Vid. d. c.* 20. §. 46. & *ſeqq. Onuphr. de Rep. Rom. lib.* 2. *fol.* 269. *Gruch. de Comit. Rom. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 49. & 50. & *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 218.

11. Ita apud Græcos, & inprimis Spartæ, omnis multitudo in ſuffragia coiit, ut patet ex

Plut. in Lycurg. c. 49. & Thucyd. lib. 1. fol. 58. Conf. Nic. Cragius de Rep. Laced. lib. 1. cap. 8. Apud Macedones, mortuo Alexandro M. cùm primaria pars eorum, Equitatus ſcil. de novo Rege conſultâſſet, peditatus adeò indignè id tulit, ut ſeditio inde orta fuerit, & Pedites alium Regem nominaverint. *Juſtin. Hiſt. lib. 13. c. 3.* De Germanis notum eſt illud Taciti *de M. G. cap. 11. De rebus majoribus omnes conſultant.* De univerſo populo R. etiam ſub Regibus, JCtus in *l. 2.* §. *2. ff. de O. J.* docet, eo in Curias diviſo, Romulum *reip. curam, per ſententias partium earum expediviſſe.* Quod idem & *Livius lib. 1. cap. 43.* tradit, *Ab Romulo viritim ſuffragium promiſcuè omnibus datum cæteros Reges ſervâſſe.* Et clariùs *Dion. Halic. lib. 4. cap. 24. Tantundem juris ſuffragio ferendo habuiſſe pauperrimos ac ditiſſimos.* Unde Principes plebis faſtidiebant Comitia, quibus ut indigni præterirentur. *Liv. lib. 4. cap. 7.* Et licèt Rex Serv. Tullius modum ſuffragiorum mutaverit, *à ſuffragio tamen nemo quiſquam excluſus fuit*, teſte *Liv. d. cap. 43. Vid. D. Halic. d. l. 4. c. 18. &c. Add.* §.

12. Cæterùm, ut omnium hoc jus ſit, non minus equidem id tam omnibus grave & maximo oneri, quàm reip. periculoſum & ominoſum eſt. Primùm enim, ſi in magnâ inprimis civitate omnium civium ſententiæ perrogandæ, numerandæ, & recenſendæ viritim eſſent, res exitum vix reperiret, & occaſio proſpicien-

di bo-

di bono reip. inter has moras & ambages diffflueret. Deinde, plenum aleæ foret, rem tantam, ut eſt reſp. & populi, Principatûs, Regni ſalus, quin ſummum illud, quod demonſtravimus, hominum bonum, ſubjici promiſcuis vulgi ſuffragiis; quod quàm ſit varium, mobile, ignavum, imperitum, rerum novarum cupiens, &c. atq; adeò præſertim ad reip. gubernacula ineptum, Tacitus paſſim & crebrò exprobat, rerumque teſtimoniis firmat; & *lib. 1. Hiſt. cap. 90. in fin.* ait: *privatam cuique ſtimulationem eſſe & vile decus publicum.* Quin denique tota reſp. ita eſſet in poteſtate infimæ plebis & viliſſimorum hominum; quippè quorum pars longè major eſt in civitate. Quod & *Dion. Halic. d. lib. 4. cap. 24.* expendit, &, *cùm*, inquit, *ut par eſt, pauci eſſent opulenti, pauperes in ferendis ſuffragiis longè ſuperabant.* Etſi enim in plebe quoque non deſint ſemper, qui prudentiâ, judicio, & opibus polleht; plerumque tamen & ex majore parte victu quærendo & re privata impediti in publicam non incumbunt, nec ad tantam rem vel diſciplinâ, facti, vel uſu & exercitatione ſinguli inſtructi ſunt. Quorſum igitur ſingulorum de plebe ſuffragia ſeorſim ac viritim requiri & operosè colligi, quæ nihil momenti ad cauſam allatura ſunt, ſed gregem ferè ſequuntur? Quam rationem App. Claudius jactat adverſus Tribunum plebis apud *Dion. Halic. lib. 7. c. 48. & 49.* Sed perperam

 eâ abu-

eâ abutitur ad excludendum jus plebis in judicio populi, cujus pars plebs fuit. *Halic. d. l. 7. cap. 55.*

13. Hinc ſummæ ſemper curæ Gentibus, ſaltem moratioribus, fuit, modum ſuffragiis ſtatuere & Comitiorum compendium facere; neque tamen committere ut ab hoc jure populi communi pars ejus penitus excluſa, atque adeò injuria ei facta intelligeretur. In hoc modo autem ſtatuendo variatum eſt inter Gentes: cujus rei explicatio cùm apprimè faciat ad Comitiorũ rationes ex uſu Gentium excutiendas, primùm de Comitiis Romanis diſpiciemus, quæ Servius Tullius ſingulari arte & æquitate temperavit. Diviſo enim toto primùm populo in ſex claſſes, priorum quinque claſſium ſingulas in plures iterum centurias ita diſtinxit, ut primæ claſſis eſſent 98 centuriæ, adeoque plures, quàm in omnibus reliquis, quæ in univerſum non exceſſere numerum 95. centuriarum. Sextam verò ſeu ultimam claſſem, quæ ex tenuiſſimæ ſortis civibus conſtabat, ſed numero civium longè cæteras claſſes univerſas ſuperabat, in plures centurias non diſcrevit.

14. Tum conſtituit, ut ſuffragia ferrentur non viritim, ſed centuriatim, ſeu per centurias, ita ut id obtineret, quod plures centuriæ ſenſiſſent. *Liv. lib. 1. cap. 42. in fin. & c. 43. Dion. Halic. lib. 4. & cap. 24. 25. & lib. 7. cap. 55. Gruch. de Comit. Rom. lib. 1. cap. 4. pag. 133.* quemadmodum in Curiatis Comitiis, quod plu-

res

res Curiæ, *l. 2. §. 2. ff. de Orig. Jur. Halicarn. d. cap. 55. in princ. Gruch. lib. 2. cap. 4. pag. 270. Halic. d. lib. 4. cap. 24. in fin.* idque ex communi Collegiorum & ſuffragiorum regula, ac vulgato Gentium jure. Tota verò centuria in id conveniſſe intelligebatur, in quod major ejus pars convenerat. Quô effectum fuit, ut, ſi in prima claſſe major ſaltem centuriarũ pars conſentiret, jam reliquæ omnes ſuffragiorum numero victæ eſſent, adeoque non ampliùs ad ſuffragia vocarentur, ſed finis Comitiorum maximo compendio fieret; etſi nulla reliquarum ſententiam dixiſſet. Id enim accidebat, non quia jus ſententiæ non haberent, ſed quòd cederent jam majori parti, certumque adeò eſſet, fruſtra rogari porrò ſententias. Hinc vis omnis ſuffragiorum in prima ferè claſſe ſita, & rarò altera vocata fuit, rariùs tertia & quarta, nedũ quinta: quia rarò fieret, ut 98 centuriæ primæ claſsis paribus ſententiis diſcederent, nec altera pars ejusdem primæ claſsis alteram, ne uno quidẽ ſuffragio vinceret; nedum ut idem in altera; & minimè omnium, ut pariter in tribus cæteris quoque fieret; atque adeò contingeret, ut in nulla claſſe major centuriarum pars inveniretur, ſed in omnibus ac ſingulis paria ſuffragia. Unde facilè intelligitur, quàm nullus propè uſus ſextæ claſsis fuerit in Comitiis: nullus ſcil. niſi, quod vix unquam contingere poterat, omnes quinque priores claſſes, nullâ exceptâ,

ceptâ, paribus centuriarum calculis inter ſe pugnarent; quale exemplum non apparuit, prout hæc omnia perſpicuè Dion. Halic. *d. lib. 4. cap. 18. usque ad cap. 26.* & ex eo Gruch. *de Comit. Rom. lib. 1. cap. 1.* expoſuit.

15. Hinc de ſextâ claſſe, quaſi conſectarii loco, duo notanda: (1.) Eam propriè claſſem non fuiſſe, nec in numerum claſſium veniſſe; quia claſſes plurium centuriarum fuêre; ſexta autem non fuit diviſa in centurias, ſed tota pro unâ tantùm centuriâ habita, *D. Halic. d. lib. 4. cap. 22. in fin.* atque inde à Livio *lib. 1. cap. 43.* non *claſſis*, ſed *centuria* ſaltem appellata fuit, uti & apud *Halicarn. lib. 7. cap. 55.* nam nec niſi unicum ſuffragium, in prædictum eventum, ſi reliquæ omnes paribus calculis inter ſe certarent, habuit, *Liv. & Halic. dd. loc.* etſi numerô civium cæteras omnes in immenſum vinceret. *Halic. d. lib. 4. cap. 25.* (2.) Hinc verum eſſe, in Comitiis non fuiſſe numeratas vel appellatas niſi 5 claſſes. *Gruch. d. lib. 1. cap. 4. pag. 111.* Idque liquet ex *Liv. lib. 3. cap. 30.* ubi ait: *Tribuni decem creati ſunt, bini ex ſingulis claſſibus.* Et *Aſcon. Ped. in Orat. Cic. pro Cornelio Balbo*, inquit: *Quidam non duos Tribunos pl. ut Cicero dicit, ſed 5 tradunt creatos eſſe, ſingulos ex ſingulis claſſibus.* Quæ & certiſſima ratio nobis videtur, cur in teſtamentis, divortiis, mancipationibus, ſimilibusque privatorum actibus, qui in Comitiis & coram populô expediendi erant, quinque teſtes ad-

adhibiti fuerint: non enim totum populum præſentem fuiſſe oportuit, ſed, ſi quinque cives Romani, tanquam pro numero claſſium quæ in Comitiis populi fuêre, ſaltem præſto eſſent, quaſi coram populo, ſeu apud acta populi geſtum videbatur; perinde ut teſtamentum judiciale habitum eſt, quod apud acta judicii, etſi non in præſentiâ totius judicii, exhibitum fuit. Atque hinc 5 illi teſtes claſſici dicti fuêre. *Bachov. ad §. ſed prædicta. n. 2. Inſt. de Teſtam. ordin.* Nec quicquam ſanè elumbius & frigidius videtur, quàm futiles illæ rationes, quas, (quod ſalva viri famâ dictum volo) Vinnius *ad §. 2. n. 2. eod. tit.* Bachovio objicit. Satis enim contra Vinnium rem probat quod Feſtus *de V. S. lib. 5. ſub C. in voc. Claſſici.* ita ſcripſit: *Claſſici teſtes dicebantur, qui ſignandis teſtamentis adhibebantur.* Sed id nunc miſſum facio. (3) Etſi ſexta nunquam ad ſuffragium vocata fuiſſet, non tamen ſe excluſam queri potuit: uti Livius *d. cap. 43. loco jam citato* disertè tradit: *Gradus ſaltèm factos fuiſſe, ut neque excluſus quiſquam ſuffragio videretur, & vis omnis penes Primores civitatis eſſet.* Non enim reliquis jus defuit, ſed prælatio majoris partis; nec excluſi ſunt à ſuffragiis, ſed victi jam à pluribus, non jure ſuffragiorum inferiores, ſed numero. Et meritò hoc conſilium Servii Tullii commendatur cùm ab æquitate, & exactâ cenſuum ac onerum proportione, æquatis commodi & periculi ratio-

rationibus: tùm à ſingulari prudentia, quâ inter potentiores, & tenuis fortunæ ſeu ſextæ claſſis cives, cauſas indignandi ſuſtulit, & quô detractum quid alteri partium videri poterat, alia re penſando, utramque mirificè delinivit: illis jus præcipuum Comitiorum, quo Imperii communicatio & tractandæ reip. poteſtas atque autoritas continetur; his immunitatem à tributis & militia largiendo. Ita *Liv.d.cap.43*.ait, *unâ iſtam centuriam factam eſſe immunem à militia.* & mox: *In dites à pauperibus onera fuiſſe inclinata, illis deinde honorem* (comitiorum) *additum.* Et *Halic. d. lib. 4. cap. 22.* additâ *cap. 23. 24. & 25.* cauſâ: *quòd alteris propter inopiam nec rerum ſuarum jacturaque periculum, nec conferendi facultas eſſet, qui vix victui quotidiano comparando pares eſſent; penes alteros continua bellorum diſcrimina ſubeuntes, imperii viciſſim autoritas, & conſilia publica, ac conſiliorum ſuâ potiſſimum operâ atque periculo executio.* Atque ita quidem Romani modum ſtatuerunt ſuffragiis vulgi, inventa ratione ex inſtituto Servii Tullii, ut rariſſimè vocentur, non excluſi, ſed præcedentium numero jam victi. Sic itaq; Romani modũ refrenandis vulgi ſuffragiis ſtatuerunt, ut ſententiæ per centurias ferrentur, inventâ ratione, ut vix plebis ad ſuffragia vocandæ uſus eſſet, ſed cauſâ ab unâ vel alterâ Centuriâ jam expeditâ, reliqui dimitterentur, non excluſi ut dictum ſed plurium numero jam ſuperati.

16. Aliis verò Gentibus quàm plurimis alia,

eaq;

eaque multò ſimplicior ac planior ferè ſedit ac frequentata! fuit ſuffragiorum multitudinis coarctandorum ratio: ſcil. ne omnium & ſingulorum ſuffragia numerentur, ſed ſolorum Procerum ac Principum; reliqua verò multitudo unâ communi voluntatis ſignificatione vel accedat Principum ſententiæ vel refragetur: quem veterem Germanorum quoque morem laudavit jam Tacitus *de M. G. cap. 11.* Atque hoc compendio idem re obtinetur, quod ſuffragiorum recenſendorum ambagibus. Enim verò Principum ac Procerum momenta ac ſententiæ ponderantur, quas proinde viritim exponi neceſſe eſt; at reliquorum tantùm aſſenſus vel diſſenſus reſpicitur, qui ab omnibus ſimul, an à ſingulis ſeorſim edatur, nihil aut parum refert. Omnes in Comitiis conveniunt, quia in tali ſtatu boni publici curandi omnium jus commune eſt, à cujus proinde cura excludi citra injuriam non poſſunt: at Procerum conſultationem & uſus & neceſitas reip. flagitat. Igitur & de jure ſufficit, & reip. expedit, & Gentibus ferè placuit iſte modus, ut re primùm per Principes ſeu Proceres deliberatâ & cognitâ, compertoque quid illi, penſitatis momentis, ſentiant, tum deinde populi ſeu plebis conſenſus, præter quem nihil requiritur, quaſi gregatim, & uno communi indicio, veluti ſigno ſublato, declaretur. Atque ſic optimè bono communi & publicæ ſaluti conſultum videtur,

detur, ſi, quod pauciores pro peritia ac dignitate ſuâ maturè deliberarunt, omnes abſque moræ diſpendio, quodam animi impetu atque applauſu, tanquàm uno omnium ſuffragio, unoque quaſi halitu comprobent. Quod *confuſum* ſeu *promiſcuum ſuffragium* dicimus.

17. Ejus exemplum jam dedimus ex vetuſtiſſimo Germanorum ritu, autore Tacito. Tale quoque aqud Romanos fuit, quo populus imperium in Hiſpaniam, quod poſt cladem Cannenſem nemo accipere auſus fuit, Scipioni Africano majori, vix tum 24. annos nato, & ſe offerenti decrevit: ita enim, inquit Livins *lib. 26. cap. 18. Juſſi inire ſuffragium, ad unum omnes, non centuriæ modò, ſed etiam homines, Scipioni imperium eſſe in Hiſpaniam juſſerunt.* Sic Spartæ (ubi non calculis, ſed clamore ſuffragia dari ſolebant; *Plut. in Lycurg. cap. 46. Thucyd. lib. 1. fol. 58.* Κρίνουσι βοῆ καὶ οὐ ψήφῳ· *clamore non calculis judicium ferunt.*) cùm Sthenelaidas Ephorus populum in concionem vocaret, ſciſcitaturus, vellentne bellum adverſus Athenienſes decerni: clamore voluntatem ſignificarunt, ſed tam vario ut Ephorus diſcernere non potuerit, â quâ parte clamor intenſior eſſet: unde locis diſcedere partes juſſit; ut, quæ pars vinceret alteram, cùm clamor non poſſet, numerus oſtenderet, & quod auribus diſcernere Ephorus non poterat, oculis perſpiceret. *Thucyd. d. fol. 58.* Idem in caſtris uſus placuit Horatio,

tio, Conſuli Romano, cùm militum, qui paulò antè vinci ſe in invidiam Decemvirorum paſſi fuerant, animos voluntatemque prælii ineundi explorare cuperet; *Si jam*, inquit, *ſatis animi eſt, decernique placet, agitedum, clamorem, qualem in acie ſublaturi eſtis, tollite hic, indicem voluntatis virtutisque veſtræ.* Et tum ingenti alacritate clamor ſublatus ac decretum prælium fuit; prout ea refert *Liv. lib. 2. cap. 62.* Ita in Germaniâ noſtra Otto I. electus eſt Principum ſuffragiis & acclamatione populi. Vid. *Witechind. lib. 2. in princ.* ubi Moguntinus ad populum adſtantem inquit: *En! adduco Vobis nunc à cunctis Principibus regem factum, Odonem: ſi vobis iſta electio placeat, dextris in cœlum levatis ſignificate.* & ita applausêre. Pariter Henricus II. electus eſt. *Ditm. lib. 5. in princ.* ubi miſſo ad Regni Primates legato, *à maxima multitudine vox una reſpondiſſe* dicitur; *hocque dextris manibus elevatis affirmaſſe.* Ita Wippo *de Conrado II. tit. 2. & 3.* ait: *Principes conſedêre: populus adſtabat. Fit clamor populi.*

18. Ex his dictis primùm perſpicuè intelligitur, Gentes in Comitiis, (præter Regem, ceu Caput,) duos inprimis diſtinxiſſe Ordines: alterum, Principum ſeu Procerum; alterum, reliqui populi: hoc potisſimùm diſcrimine, quòd Principes viritim ſententias dicunt; quod verò reliquum eſt populi, in turba, & quaſi in grege, uno promiſcuo & confuſo indicio commune ſuffragium omniumque volun-

 tatem

tatem ſignificant. Illi, Principes, deliberatione factâ, & rationibus initis atque expenſis calculos ſubducunt, & quod major pars ſenſit, in idem omnes deſcendiſſe intelliguntur. Reliqui de populo vel in Principum ſententiam diſcedunt, vel in adverſum abeunt, idque quocunque ſigno. Quem & morem Germaniæ ab omni memoria fuiſſe jam vidimus, & hodieq; ſupereſſe deinceps perſpectum dabimus.

19. Hinc autem jam porrò animadvertendum eſt, alterum hunc populi ordinem, quem confuſo ſuffragio defungi vidimus, in duas iterum claſſes, quarundam Gentium more ac inſtituto, diſcedere, & qui in urbibus & oppidis ſunt cives, ſeparari ab iis, qui ruri vel in agris degunt. Urbibus enim extructis, ortum eſt diſcrimen cùm terræ & regionis, tum hominum ſeu civium. Uti enim reſpectu regionis diſtinguitur inter urbes & agrum ſeu terram, zwiſchen den Stätten und dem Lande; ita ratione Civium zwiſchen den Statt- und Land-leuten. Nam & in Receſſibus Imperii quicquid Civium eſt in Germania, diſpeſcitur in duo hæc genera: uti *R. I. ſpir. 1542.* §. und nemlich. *51. in verb.* Und alle andere / NB. in Stätten und auff dem Lande / wes Standes / Würden / und Weſens die ſeyen / niemands ausgenommen.

20. Atque hoc diſcrimen inprimis celebre fuit in rep. Romana, omnisque populus, tùm qui in urbe, tùm qui extra eam conſêdit, diviſus

viſus eſt in 35. tribus: quarum quatuor dictæ fuère tribus *urbanæ*; reliquæ, *ruſticæ*: quas ſingulari induſtriâ perveſtigavit, additis ſingularum nominibus, *Onuphr. de Rep. Rom. lib. 2. fol. 229. & ſeqq.* & compendio *Gruch. de Comit. Rom. lib. 2. cap. 1.* Digniores habitæ ſunt tribus ruſticæ, adeò ut nobiliores, qui rura, & ruri prædia habebant, ſenſim ſe urbanis ſubduxerint, & ruſticis adſcripti fuerint: uti notat *Onuphr. d. lib. 2. fol. 229. & fol. 231. & Gruch. d. lib. 2. cap. 1. pag. 160. & paſſ.* Idque probatur ex *Plin. Hiſt. nat. lib. 18 cap. 3.* ubi inquit: *Diſtinctio bonosque civitatis ipſius non aliunde erat. Ruſticæ tribus laudatiſſimæ, eorum qui rura haberent; urbanæ verò, in quas transferri ignominiæ erat, deſidiæ, probro.* Id inde viſum, tum quia in urbanas libertini referebantur, tum quia in rep. Romana ſummus agriculturæ honos ſummaque agri cura fuit. *Plin. d. lib. 18. cap. 1. in fin. & cap. 3. Onuphr. & Gruch dd. loc.* Atque eo differebant Comitia *Curiata*, quibus ſoli intererant, qui in urbe habitabant, Proceres ac plebeji; & *Tributa*, quibus omnes cives, etiam qui ruri degebant. *Gruch. d. tract. lib. 2. cap. 2. pag. 174. & lib. 3. cap. 3. in princ. & c. 4. pag. 270.* Quæ nunc mittimus.

21. In Germania urbes tempore Taciti nondum habitatas fuiſſe, ipſe teſtatur: *de M. G. cap. 16.* unde nec hujus ille Civium differentiæ in Comitiis mentionem facit, ſed totius multitudinis, comune ſuffragium uno promiſcuo indicio ſignifican-

ficantium unam ſaltem quaſi claſſem refert. At cum urbibus ſenſim deinde extructis cœpit unâ diſcriminis hujus uſus: ejusque rei luculentum hodie exemplum eſt in Provincia utriusque Alſatiæ; in qua, ut civitates imperii cum ſuo diſtrictu, & reliqua provincia ſeu terra Imperii immediata adeò ab invicem diſtinctæ ac diviſæ fuêre, ut ſuus cuique ſeorſim magiſtratus, atque adeò duo Magiſtratus, ſeu duæ Jurisdictiones imperiales & im̃ediatæ ei præfuerint, alius Provinciæ ſeu terris, ſcil. *Landgraviatus*: alius 10. urbibus Imperii, ſcil. *Præfectura Provincialis* 10. urbium Alſatiæ, uti vocatur, & diſtinctio iſta traditur *in Pace Monaſt.* §. *73.* §. *74.* §. *87.* & §. *106. in fin.* Uterq; magiſtratus ab invicem & genere poteſtatis & rebus ac terris diſtinguitur. *Landgraviatùs* omnimoda Jurisdictio & pleno jure Magiſtratus eſt; ſed merum nomen officii ſeu judicii, nihilque aliud ſignificat quàm ein unmittelbar Känſerl. Landgerichte; qualia, uti in reliquis terris immediatis, Sueviâ & Franciâ, fuêre die Känſerl. Landgerichte in Schwaben und Francken / &c. ita hoc in ea parte terræ Rhenenſis. *Vid. Jus publ. cap. 32.* §. *41.* & *ſeqq. Præfectura* autem *provincialis* 10. civitatum perpetuò, & in omnibus ferè Receſſuum Imperii ſubſcriptionibus dicitur die Landvogthen zu Hagenau / ab urbe primaria & judicii ſede: quâ voce ſignificari advocatiam ſeu protectionem notisſimum eſt. Neque alia poteſtas

eſtas] ſeu propria Juriſdictio intelligi poteſt; quia eo deſinerent hæ civitates eſſe immediatæ: cùm è contrario advocatia immedietatem non tollat; etſi & illi ferè ex pacto vel uſu annexa ſint pleraque, quæ aliàs Jurisdictionis ſunt. Convenêre ſcil. jam olim inter ſe hæ 10. civitates, uti alii è vicinia populi, in formulam communis ſecuritatis & mutuæ defenſionis contra vim; in quam deinde aſſumſerunt Advocatum ſeu Protectorem communẽ, einen Landvogd / quod jus advocatiæ ſpeciale per aliquot ſucceſſiones intermedias pervenit demum ad Auguſtam domum Auſtriacam. Unde dicuntur die 10. Verein-Stette / *R. I. 1654.* vel, 10 vereinigte Reichs-Stette im Elſaß. *Capit. Ferdin. IV. §. 6. Leopold. §. 8. Joſeph. §. 8. Carol. VI. §. 27. in fin.* ſive, gemeine in die Landvogthey Hagenau gehörige Stätte. *R. I. 1530. & R. I. 1555.* Atque hanc ſolam Advocatiam ceſſam eſſe Galliæ expreſſè dicitur *in Cap. Ferd. IV. §. 6.* Etſi verò in *Capit. Leop. Joſ. Car. VI. dd. loc.* Præfectura Provincialis ceſſa feratur, non tamen ideò ſtylus mutatus videtur, ut putavit *B. D. Nitſch. ad Capit. Joſ. art. 8. §. 11.* quia re unum idemque eſt, & ubique præfectura illa provincialis, Landvogthey / ſeu advocatia vocatur: ut *ex locis cit.* patet. Hæc verò diverſitas inter civitates Imperii & Præfecturas terrarum in Comitiis hodieque apparet; ut videbimus *inf. cap. 22.*

22. Cæterùm non ita captandum eſt hoc diſ-

crimen, ut ager, qui ab urbibus diſtinguitur, intelligatur ab omni urbe vacuus. Etenim totum illud territorium Imperii immediatum in duas has partes pariter immediatas diſcernitur, in urbes ejus immediatas, Reichs-Stätte/ & in reliquum agrum immediatum Imperii. Atq; hoc ſenſu duo iſta, Statt und Land/ invicem opponuntur. Unde intelligitur, appellatione agri, des Lands/ comprehendi quoque ædificia, caſas, & conſequenter vicos, pagos, caſtra, adeoque & urbes, & quicquid in iſto agro ſeu territorio extructum ædificatumque, &, ut ſuperficies, terræ pars eſt. Atque ideò hæ urbes dicuntur Land-Stätte / quæ pars & acceſſio ſunt agri ſeu ſoli. Secus ac reliquæ urbes ejusdem provinciæ, die Reichs-Stätte / quæ ſeparatum à reliquo territorio ſeu agro corpus ſunt, & propria cuique ac diſcreta ab invicem territoria, & territorii jura, quæ ſingulis ſeorſim ex æquo competunt. Sic & viceverſa, appellatione Urbium quoque continetur illa pars agri, quæ ad urbem pertinet, ejusque acceſſio eſt: Uti appellatione fundi continetur villa quæ eſt fundi: *l. 8. l. 9. ff. Quib. mod. uſusfr. am.* & contrà, appellatione villæ, fundus. *L. 10. princ. ff. eod. tit.* Etenim nominato fundo, in quo eſt villa, fundus in iſto negotio principale eſt, & villa ejus acceſſio: *d. l. 8.* & vicisſim, villâ nominatâ in inſtrumento, villa principale habetur,

tur, ejusque acceſſio fundus eſt, qui ad villam pertinet: *d. l. 10. pr.* Alterum igitur alterius nomine venit, vel ut pars ejus, vel acceſſio. Uti in memoratâ Alſatiæ Provinciâ duo immediata Imperii corpora ſunt, ab invicem territoriis, omnique ſuperioritatis jure, diſtincta ac diverſa: alterum, 10 civitates Imperii, cum ſuis quæque fundis, ſeu agri parte ad ſingulas ſpectante; alterum, quod reliquum eſt provinciæ, cum ſuis ædificiis, vicis, pagis, arcibus, oppidis &c. Prius duorum iſtorum corporum dicitur Præfectura 10 civitatum, der 10 Vereinſtätte; quia ſingulæ quidem ſunt civitates immediatæ Imperii, ſed fœdere quodam ſociatæ uni Præfecto paruerunt: alterum, Landgraviatus utriusque Alſatiæ vocatur, & eſt Præfectura agri Alſatici, prædicto ſenſu intellecti. Cuiq; corpori ſuum proprium ac peculiare eſt territorium, propria ſuperioritatis jura, proprius Magiſtratus, denique duo ſunt libera, & diverſa diſtinctarum civitatum corpora; ſed utraque immediata Imperii membra, & æquo hactenùs jure utuntur.

23. Hinc porrò jam intelligimus, eorum, qui in Comitiis conveniunt, (præter Regem) tres in univerſum claſſes eſſe: 1. Principum 2. Procerum, qui reliquis terris immediatis præſunt, hohe Lands-Obrigkeiten. 3. Civitatum Imperialium, der Reichs-Stätte. Primos viritim ſuffragia ferre; reliquos curiatim, jam vidimus

 mus

dimus, & ſpecialiùs deinceps in applicatione ad ſtatum Germaniæ explanabitur.

24. Hinc denique in proclivi eſt, decernere, quinam Jure Gentium in quolibet populo, ſeu in qualibet civitate, jus Comitiorum habeant? Scil. omnes qui ſunt iſtius populi vel civitatis, v. g. Spartanæ, non alterius, 1. Cives. 2. immediati, & 3. liberi. Uti enim ſuum cuique populo libero peculiare, proprium, & quaſi vernaculum eſt bonum publicum: ita & propria Comitia, quibus de hoc bono ſuo, ſeu de re ſua publica, ejusq; cuſtodia, agunt ac ſtatuunt. Ita 1. Comitia populi, v. g. Spartani, non ſunt, niſi quæ illius populi Cives ſeu membra componunt; aliàs enim non eſſent Comitia populi Spartani, ſed alterius. 2. Nec niſi membra iſtius populi Spartani immediata: quia populus in Comitiis ſummum imperium exercet; illud autem pertinet tantùm ad ea membra, quæ immediatè populum Spartanum conſtituunt: qui enim ex civitatibus Spartæ ſubjectis ſunt, nec ſunt Spartanæ, ſed alterius civitatis cives, nec cum populo Spartano concurrunt in ſummo Spartæ imperio. Uti nomine populi Romani, quoties tanquam de populo imperante Quiritium ſermo eſt, non veniunt cives Municipiorum, vel aliarum civitatum; niſi fortè ſpeciali privilegio indultum quid ſit. *ſup. cap. 20. §. 46. & ſqq.* Multò minùs ergo 3. ſi ne liberi quidem ſint. Illi ergo, in quæſtione ſummi

mi Imperii & Comitiorum, populi nomine veniunt, qui im̃ediatè ſunt populi iſtius m̃ebra libera.

25. Atque hæc pro inſtituto ſufficiant de rationibus Comitiorum in genere. Quæ omnia uſus regni Francici & comprobat, & perquam egregiè confirmat; ut ſequitur.

Cap. XXII.

Applicatio ſpecialis ad ſtatum regni Francici ſub Merovingis & Carolingis.

SUMMARIA.

1. Continuatio. Hunc ſtatum primævum eſſe normam hodierni, quat. non apparet mutatus: & inde ducendum Jus publicum Rom. Germ.

2. Brevis recapitulatio membrorum iſtius regni.

3. Et numeri 6. populorum liberorum Germaniæ.

4. Conſpectus veteris regni Auſtraſiæ, ejusque duarum Provinciarum immediatarum & liberarum, Auſtraſiæ trans- & cis-Rhenanæ.

5. De autonomia veteris Bavariæ & Saxoniæ.

6. De conditione Sueviæ à prælio Tolpiaco.

7. Teſtatio, hâc belli fortunâ nihil detrahi veteri fortiſſimæ Gentis gloriæ, neque ab Autore alio animo referri, quàm quia ad ſtatus & Juris publici notitiam pernecesſarium fuit.

8. De regni Auſtraſiæ gemina

mina ſede Regia: Metenſi, quæ ei regno propria; & Aquisgranenſi, quæ toti corpori Regni Franciæ communis fuit.

9. *De ſtatu regni mixto. Talem ſemper viſum fuiſſe optimum, nec eo obſcurari Regiæ Majeſtatis ſplendorem, ſed intendi & Auguſtiorem fieri, remiſſ.*

10. *Francorum populum ante regnum diſtinctũ fuiſſe in Salicos ſeu optimates, & populum reliquum.*

11. *De Conventibus Principum ſeu Saalis vel Palatiis, unde ipſis nomen.*

12. *In Comitiis Francorum ab omni memoria fuiſſe utriusque ordinis, ſacri & ſecularis, Proceres.*

13. *De Conventibus generalibus totius populi.*

14. *Oſtenditur, utroque hoc ſtatu, optimatum & populi, ſalvo, acceſſiſſe electione Regium.*

15. *De Comitiis in hoc regno, ex triplici formâ mixto.*

16. *Probatur, ad Comitia regni generalia non admiſſos fuiſſe aliarum provinciarum Cives vel Duces, ſed tantùm utriusque Auſtraſiæ, ſeu Franciæ cives immediatos & liberos.*

17. *Quod latè confirmatur autoritatibus.*

18. *Quis fuerit ſtatus, regno Franciæ in plures diviſo?*

19. *Oſtenditur (1) Ea diviſione propriè non fuiſſe erecta plura nova regna. (2) Omnes filios Franciæ ſe ſcripſiſſe ſaltem Reges Francorum, non à regnis devictis, etſi Rex iſte nullam Auſtraſiæ ſeu Franciæ partem, ſed v.g. Burgundiam tantùm habuerit. (3) Nec adeò mutationem factam in ſtatu regni, ſed tantùm in perſonis & juribus Regum.*

20. Di-

20. *Diſtinguuntur duplicia jura: dividua, ut terra, terriſque annexa, quæ cuiq; pro parte ſua competunt: & individua, ut jus illud commune ſanguinis regii Francici, quod perſonis cohæret, & cujusque in ſolidum eſt. Hujus juris poteſtate omnes ut Reges Franciæ, exercuiſſe jus Regium, quæq; in ſuas terras. Quod pleniùs illuſtratur.*

21. *Rexiſſe tamen ſingulos ſuas terras ſuis, non Franciæ legibus, ex Autonomia Juris Gent.*

22. *Hinc explicatur, quo ſenſu hæ terræ & regna diviſa, fuerint membra regni Auſtraſiæ ſeu Franciæ mediatæ & liberæ, ſalvâ Autonomia.*

23. *De Comitiis harum Galliæ terrarum ſtante diviſione.*

24. *Ad ea quoque vocatos non fuiſſe niſi iſtarū terrarum, ſeu cujusque populi cives immediatos & liberos, & ne ipſos quidem Francos Auſtraſios, eorumve Principes. Ubi iterum, quo ſenſu fratrū terræ ac populi fuerint membra regni Auſtraſiæ.*

25. *Si unius fratrum plures civitates liberæ cum ſummo imperio fuerint, quæ Comitiorum cujusq; conditio?*

26. *Et quid, ſi cauſa communis fuerit?*

27. *Conſpectus eorum, quæ de Comitiis terrarum ſeu 5. Provinciarum Germaniæ expoſita jam fuère.*

28. *De Weſtphalia ſpecialiter.*

29. *Notatur error Guillimanni & aliorum, qui Weſtphaliæ ſervitutem, qualis Roma privata fuit, peſſimè impingunt.*

30. *Autor iterum conteſtatur de Suevia & Weſtphalia: & cauſam conteſtationis adeò ſuperfluæ exponit.*

§. I.

§. 1.

NOn tam è diverticulo in viam, quàm à longa peregrinatione, quâ Gentes earumque mores perluſtravimus, domũ, & in Germaniam revertimur: in quam non inferimus hæc jura Gentiũ, ſed in eâ invenimus, ſtatu ejus hactenus ad amusſim hanc J. G. exacto. Non opinor, quicquam hactenus prætermiſſum fuiſſe, ſine quo ſtatus Francici Regni ejusque mutationes non posſint ſatis luculenter explicari & intelligi. Quo liquet, ab his initiis ac natalibus regni Francici petendum & incipiendum eſſe jus publicum Imperii Germanici. Quemadmodum enim ab hoc fonte, & ab hac matrice ortum eſt validisſimum regnũ populi Francici, & ab eadem pariter radice ſuccrevit & natum fuit Imperium Germaniæ, de cujus jure publico quæritur, ita hujus origo ex iisdem natalibus ducenda ac metienda erit. Nec poteſt de eo certius & ſincerius judicium fieri, quàm ſi primævo ejus ſtatu exactè primùm depicto, & pro norma poſito, quid ſenſim mutationis ille pasſus fuerit, exploretur. Ita enim conſtabit, quatenus mutatus non apparet, eundem ſtatum hodienum durare. Quorum guſtationem aliquam jam in limine operis dedimus, nunc demonſtrationi maturam.

2. Oſtendimus itaque cùm in jure publico, tum in ſuperioribus, regnum Franciæ initio con-

conſtitutum fuiſſe intra fines Germaniæ, in terra, quæ tunc ſola *Francia* nomen habuit, & trans Rhenum eſt, atque hodie quoque *Francia* vel *Franconia* dicitur. Inde Reges ejus trajecto Rheno, terras Galliæ Belgicæ ad Rheni ripam occupâſſe, atque ita hanc terram Rhenenſem regno ſuo adjunxiſſe, in ea ſedem regiam & regni quaſi Larem fixiſſe, atque hocadeò regnum illud Merovæi fuiſſe, cujus armis & opibus cùm reliqua ferè Gallia Belgica, tum, victis à Clodovæo Suevis & Bavaris, tota terra Rhenenſis Gallica, &, trans Rhenum, Suevia & Bavaria; porrò à Clodovæi liberis regna Burgundiæ & Aquitaniæ, ſeu Gallia ferè Lugdunenſis & Aquitanica; denique à Carolo M. utraque Saxonia, & terræ ac regna nationis Slavicæ, atque ita univerſa Germania & Gallia, utraque inſuper Pannonia, & terræ Illyrici, ac cæteræ usque ad Alpes, debellata & regno unita vel adjuncta fuêre: cujus rei teſtis locuples eſt Eginh. qui rebus geſtis Caroli interfuit. *Vid. J. publ. c. 5. §. 12.*

3. Vidimus præterea, intra fines Germaniæ ab omni memoria 6 populos liberos & ſui Juris, & quidem ſub Francis hos fuiſſe, Francos, Bavaros, Suevos, Saxones, Moravos, & Vandalos ſeu Venedos: neque ſimul & eodem tempore unquam plures liberos & ſui juris populos extitiſſe; ſed Francos iis adſociâſſe populos Galliæ Belgicæ ad Rhenum, qui fuère Germani, & terra eorum ſimiliter Germania dicta. Hinc,

Moravia

Moraviâ & Vandaliâ à populis nationis Slavicæ occupatâ, reliquos juris Germanici populos 5. fuiſſe, Francos, Rhenenſes, Bavaros, Suevos, & Saxones, & ex his deinde ſex Germaniæ circulos, Saxoniâ in duos à Maximil. I. diviſâ, extitiſſe, *ſup. c. 19.* quæ ſunt ſex iſtæ provinciæ, quibus componitur corpus regni Teutonicæ nationis, de quo nunc agimus.

4. Expedivimus porro quâ lege & quo diſcrimine ſinguli hi populi, antea liberi, in unius regni corpus initio juncti fuerint: id quod, ceu caput rei, ſemper memoriâ repetendum eſt. Scil. duas priores provincias, Franciã in ſolo Germanico, & terram Rhenenſem in Gallico, inter Rhenũ & Moſam, ipſum Regnum Franciæ ſeu Auſtraſiæ conſtituiſſe: unde & utraque *Auſtraſia,* ſcil. *trans- & cis-Rhenana,* dicta fuit. Quod nomen cœpit in Gallia, ſeu terra Rhenenſi, ad diſtinctionem Weſtraſiæ in eadem Gallia: ſed eodem tamen & Francia Germanica comprehenſa, & totum illud regnum ex gemina hac provincia combinatum, *Francia Auſtraſia,* id eſt, *Francia Orientalis,* dicta fuit, voce à Teutonico Ooſten in hunc ſonum à Gallis ita corruptâ. Fuère ergo duæ iſtæ provinciæ libera & immediata membra regni Franciæ, ſeu Auſtraſiæ; quæ proinde ſub Rege & Jure Francico, tanquam ſub ſuo Magiſtratu, ſuiſque legibus & judiciis vixerunt; & hinc duæ illæ ſolæ, earumve Proceres ad univerſalia regni Comitia, (Reichstäge) quibus

quibus de ſuo bono publico, & totius regni ſalute, omnique republica conſultandi & ſtatuendi libertas continetur, vocati; neque ad hæc Regni Comitia ullius alterius provinciæ ordines ſeu Proceres, è Gallia aut Germania, admisſi fuêre; ut *inf.* demonſtrabitur.

5. De Bavaria & Saxonia conſentiunt annales, utrique, illi à Clodovæo, huic à Carolo M. victis, autonomiam, ſeu ſuis Magiſtratibus, legibus, judiciis utendi libertatem, quâ & Comitia ſeu conventus publicos ſuæ provinciæ agendi poteſtas continetur, reſtitutam fuiſſe. Unde conſtat, duas illas provincias eſſe liberas & mediatas, & regno Franciæ mediatè tantùm, atq; , ut alterius & ſuperioris civitatis Magiſtratui & juri ſubjectas fuiſſe. Præterea verò & ipſæ ſuos habuêre magiſtratus, ſuasque leges, ac proinde & jus Comitiorum ſuæ civitatis ſeu provinciæ exercuerunt, illius bono publico, & communi civium ſaluti ac felicitati conſulendi, & quicquid ad bene beateque vivendum publicè privatimque expedire viſum fuerit, in medium deliberandi procurandique causâ. Atque ad hæc quoque Comitia provincialia, (Landtäge) ſoli illius provinciæ cives immediati & liberi vocati, nec ullius alterius civitatis, & nec ipſi regni Francici Proceres admisſi ſunt: quemadmodum nec hæ Provinciæ, earumve Duces aut Proceres ad Comitia regni.

6. De Sueviâ verò à Clodovæo M. victâ oſtendimus, eã fuiſſe Provinciã regni Francici imediatã, ſed

ſed non liberam, Etenim conſentiunt Annales, ei ſuis legibus, Magiſtratibus, ac judiciis utendi facultatem ſeu autonomiam, cum ſuo jure Comitiorum Provincialiū haut fuiſſe conceſſam, ſed illa eam accepiſſe à Regno ac Rege Auſtraſiæ ſeu Franciæ, qui Magiſtratus & Nuncios ſuos, v. g. Comites, vel aliquādo Duces, (mera tùm officiorùm nomina: quod non diſcrevit *Dn. Obrecht in Prodr. cap. 10.*) dedit, & leges judiciaque, quæ & hodie ſunt regni, perinde ut in ipsâmet Franciâ, conſtituit. Sed id intereſt, quod in Francia Rex ea omnia Franciæ causâ, & in ejus rē, atq; ut Magiſtratum Franciæ conſtituit: in Suevia verò non in rem aut bonū publicum Sueviæ, & ejus causâ, ſed in rem Regni Franciæ vel Auſtraſiæ, & ut Magiſtratum regni. Suevia igitur his Magiſtratibus, judiciis, legibus, non ut ſuis, vel à ſe, aut ſuâ ſuiq; boni publici causâ latis ſed ut regni Magiſtratibus, legibus ac judiciis, utitur. Habet igitur Suevia, non minùs quàm Francia, ſuum Magiſtratum &c. ſed non ut ſuæ civitatis, & quaſi à ſe & ex ſuo voto, ſuique causâ ordinatum magiſtratum, leges, judicia &c. ut Francia habebat. Unde & intelligitur, cur, cùm Dagobertus Rex populis ſuis, & inter eos Suevis & Bavaris leges ac jura ipſorum renovârent, (vid. *Maſſon. Annal. Franc. lib. 1. in Dagob. in fin.*) Alemannicas ſeu Suevicas non per Alemannos, ſed ipſe per ſuos Proceres Francos; Bavarias verò per quoſdam Bavariæ Proceres,

ſc. Ag-

ſc. Agilolphum &c. curaverit. *Vid. praf. Ll. Alem. & praf. Ll. Bajuv.* apud *Lindenbr. de Ll. ant.* Hinc nec Comitiorum provincialium vel locus vel uſus in ea reliquus fuit: quia non ipſamet rei ſuæ ſeu boni ſui publici curam ſuo arbitrio egit, ſed victor ſuo, cujus arbitrium, fortunam, & bonum publicum ſequi eam oportuit. *Vid. J. publ. cap. 3. ſect. 2. §. 21.*

7. Nihil dixero in præjudicium Illuſtrisſimi & victorioſisſimi populi, qui antiquâ rerum famâ & gloriâ nulli alii cesſit. *de qua re pluribus inf.* Cæterùm eorum, quæ diximus, uberrimi ex ipſa Suevia autores & teſtes ſunt. Ita *Eckhard. Jun. de Caſib. S. Galli. cap. 1. apud Goldaſt. Rer. Alem. tom. 1. part. 1. fol. 15.* inquit: *Nondum illo tempore*, (ſub Conrado I.) *Suevia in Ducatum erat erecta, ſed fiſco Regio ſingulariter parebat, ſicut hodie Francia: Procurabant ambas Cameræ, quos ſic vocabant, Nuncii,* (id eſt, legati vel Miniſtri, ſeu Misſi Regis) *Franciam tum Weringer: Sueviam autem Berthold & Erchinger, fratres.* Cujus comparationis ſenſus perſpicuus eſt *ex §. 5. ſup.* fiſcus enim ille Regius, non Sueviæ, ſed Franciæ, ſeu regni fiſcus fuit, cui utraque immediatè quidem paruit, ſed non utriusque æquè fiſcus fuit, verũ fiſcus regni Auſtraſiæ, atq; adeò & Provinciæ Franciæ, ac in ejus rem bonumque publicũ comparatus. Alius è media Suevia teſtis eſt Cruſius, qui ex profeſſo & magnâ diligentiâ

Dd An-

Annales Suevicos compoſuit, & *part. 1. lib. 8. cap. 9. fol. 210.* relatis & deploratis Sueviæ ex clade Tolpiacâ calamitatibus, hæc porrò addit: *Ingens deinde tributum impoſitum, leges duræ latæ: Magiſtratus graves ab irato victore inſtituti &c.* Quibus gemina ſunt, quæ P. Æmilius ſcripſit & cum aliis producta ſunt *in J. publ. d. ſect. 2. §. 21.* Alius, pariter ab Alamannia, teſtis eſt Guillimannus, accuratus Scriptor, *lib. 2. Helvet. cap. 10.* qvi hæc verba, quat. huc concernunt, habet: *Tota Alemannia partim fiſco, partim belli Ducibus adſignata: Comites dati: Curialis ſedes Alemanniæ Rancuillæ poſita: ibi, qui judiciis praeſſent, 16 Comites conſtituti.* His verbis indicat, & Sueviam fiſco regni Franciæ addictam, & Magiſtratus, judicia ac Judices à Rege victore data & conſtituta fuiſſe; atque hoc ex rebus geſtis S. Fridolini manifeſtum eſſe teſtatur. Quin idem ex ipſis Theodorici, Regis Gothorum, ad Clodovæum victorem literis planè conſtat, quibus poſt cladem pro Suevis pacem his verbis poſcebat: *Eos pace tuâ perfrui ac finibus ſuis uti, ac NB. quas à libertate Majeſtatis Tuæ proficiſci par tibi videbitur, legibus parére jubebas.* Petit ergo ita ſaltem pacem, ut legibus Victoris, prout ipſi viſum fuerit, & ipſe liberè voluerit, pareant. Et ne hoc quidem impetravit, uti annales teſtantur; tantùm abeſt, ut victor ipſis permiſerit, ſuis legibus, ſeu autonomiâ ac pu-

publica libertate uti. Cauſa autem, cur Clodovæo, licèt Bavaris & Suevis eodem prælio victis, mitiùs tamẽ cum Bavaria agere viſum fuerit, facilè hæc fuiſſe intelligitur, quia cum illâ bellum non erat, ſed cum Suevia, cui Bavari, veteres ſocii, opem tulêre, & ideò, licèt adſiſtendo hoſtibus, hoſtium ſortem & vicem ſubierint, tamen magis iis ignoſcendum credidit Clodovæus victor, quòd non tam odio hoſtili, quàm ex vetuſtæ ſocietatis fœdere arma cum Suevis conjunxerint.

8. In toto autem corpore regni Francici ſummam poteſtatem & ſummum imperium fuiſſe penes Franciam Auſtraſiam ſeu Orientalem, non minùs jam manifeſtum eſt. Cæterùm Regni hujus duæ, quod notandum, cis Rhenum fuêre Regiæ ſedes; altera in urbe Mediomatricum ſeu Metis; altera Aquisgrani. *Rob. Gaguin. de Geſt. Franc. lib. 5. pag. 79.* Prior peculiaris & propria regni Auſtraſiæ, & inde illud regnum Metenſe paſſim dictum fuit: *Urſperg. Chron. rubr. de Orig. Saxon. fol. 146. & rubr. de Orig. Franc. fol. 68.* altera autem quaſi ſedes generalis, & communis totius regni Franciæ. Etenim diviſione inter filios ſeu fratres Merovingos factâ, plura quodammodo regna extiterunt, & cujusque regni peculiaris regia ſedes fuit: ut cùm Clodovæus M. (& deinde Clotarius I.) quatuor filios reliquiſſet, regno in totidem partes diviſo, totidem ſedes regiæ conſtitutæ fuê-

re; Metis, Aureliæ, Sueſſionum, & Pariſiorum. quod unanimiter produnt Rerum Franc. Scriptores. *Ivo Car. not. de Reg. Franc. in Corp. Hiſt. Franc. tom. 1. fol. 51. Aimoin. lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 1. Geſt. Franc. epit. cap. 30. & cap. 55. in Corp. hiſt. Franc. fol. 101. & fol. 106. Urſperg. Chron. fol. 68. Regin. Chron. ad ann. 498. fol. 383. Rob. Gaguin. de Geſt. Franc. lib. 1. pag. 12. in Childeb. P. Æmil. lib. 1. in Childeb. fol. 13. & alii.* Unde & peculiaris ſingulis fuit Palatii Comes, ſeu major domus. Inter ea autem regnum Auſtraſiæ ſeu Metenſe, id eſt, Franciæ Orientalis, fuit præcipuum, & plerumque primigenito obvénit: *Aimoin. lib. 4. c. 20. & c. 26. Adelm. Bened. ad ann. 768 Fredegar. cap. 39. & c. 110. Guillim. Habſp. lib. 3. cap. 1. pag. 95.* & meritò, cùm fuerit totius regni matrix. Et huic ergo Auſtratiæ propria ſedes regia *Metis* fuit. Altera verò ſedes *Aquisgranum*, quaſi publicum & commune univerſæ Franciæ Palatium fuit: quod Wippo *in vit. Conradi Salici*, nominat *totius Regni Archiſolium. Vid. J. publ. cap. 3. ſect. 7. §. 83.* Idque Urbs iſta hodieque eximium habet, ut Inſignia inaugurationis Regiæ ac Imperatoriæ in cuſtodia ſua teneat; & ubicunque Imperator eligitur, ac ſolio imponitur, hoc repræſentet vicem ſolii regii Aquisgranenſis. Unde etiamnum urbs illa dicitur der Königl. Stuhl zu Aachen / & Magiſtratus ejus perpetuò in inſtrumentis & actis publicis utitur hoc titulo:

tulo: Bürgermeiſter / Raht / und Schöpffen des Königl. Stuhls und freyen Reichs Stadt Aachen; eaq; duo ſemper conjungit; ut patet *ex Actis Lundorp. contin. tom. 14. cap. 1. paſſ. in cauſa, quæ vertitur inter Magiſtratum Clericum & ſecularem.*

9. Statum Francici regni, usque à prima ejus origine fuiſſe triplicem, & ex triplici mixtum, dubitari nequit; *de quo in Jur. publ. cap. 7. §. 1. & ſeqq.* Talem verò ſtatum judicio Gentium & veterum Prudentum fuiſſe optimum; nec quicquam derogare Majeſtati Regis; ſed contrà illam in mixta republ. auguſtiorem videri; cùm Rex in cæteris civitatibus ſit caput populi, at in mixta, etiam caput Majeſtatis; indeque illi robur, autoritatem, & ſanctitudinem accedere, alibi oſtendimus.

10. Scil. populus Francorum jam antè regni conſtitutionem diſtinctus fuit in *Salicos* ſeu *Palatinos*, id eſt, Proceres: & in *Anſibarios. Marcellin. lib. 17. c. 8. & lib. 20. c. 10.* (ubi hos *Attuarios*, vel, ut alii Codices habent, *Anſuarios* vocat) Vid. *Pontan. de Orig. Franc. lib. 1 c. 8. per tot.* Salici Optimatum ordinem præſentârunt: nam & Otto Friſing. *Chron. lib. 4. cap. 32.* eos *Francorum Nobiliſſimos*: & Vadianus, *de Colleg. Germ. lib. 2. apud Gold. Rer. Alem. tom. 3. fol. 60. præcipuos Francorum* fuiſſe adſerit. *Vid. J. publ. cap. 3. §. 91.*

11. Cùm igitur ad ſingula momenta, & in ſingulis cauſis, univerſus Francorum populus

coire non potuerit, fieri oportuit, quod de P. R. dicitur *in* §. *6. de Jur. nat.* ut Senatus, qui Romæ erat optimatũ ordo, vice ejus conſuleretur. Nam & hæc cauſa fuit, cur plerumq; ſoli Procerum ac Principum Francorum conventus acti, qui *Saala* (Saal) voce vernaculâ; Latinè *Palatia*, (Pfaltz) & ipſi Proceres inde *Salici* ſeu *Palatini*, dicti ſunt. Conſtat enim, nomen Saal / (uti, nomen *Curiæ*, quod idem eſt) ſignificare tum locum, ſcil. domum, (unde *major domus*) ſeu Palatium, in quo fit congregatio; tum congregationẽ ipſam, ſeu ipſum Procerum conventum & Salam, ſeu curiam: unde adhuc uſus loquendi, Saal halten / Hoff halten / curiam habere: uti in A. Bull. Receſſibus Imperii, & hodieque in inſtrumentis antiquis & novis, quæ in Palatinatu inſpexi. *Conf. J. publ. d. c. 3. ſect. 6. per tot. & Orat. de L. Sal.*

12. Hic Optimatum Ordo ab omni memoria conſtitit duplici Procerum genere: Sacerdotibus, & Principibus ſecularibus. Quod de ſua jam ætate teſtati ſunt *Cæſ. de B. Gall. lib. 6. c. 4.* & *Tacit. de Mor. Germ. cap. 11.* & de veteri inprimis regno Francorum ex annalibus manifeſtum eſt. Ita Dagobertus filium regem fecit cum conſilio Pontificum & Procerum, omnibusque Primatibus regni. *Fredegar. Schol. cap. 75. & 76.* Et *cap. 89.* Major domûs regni Burgundiæ factus eſt *electione Pontificum & cunctorum Ducum*; cùm Nantildis Regina convocâſſet *omnes Se-*

Seniores, Pontifices, Duces, & Primates. Idem Dagobertus, ante mortem de regnis Neuſtriæ & Burgundiæ acturus, *Optimates ac Pontifices* congregavit. *Aimoin. lib. 4. cap. 33.* ubi & *cap. 39.* refertur, Clodoveo II. regni Burgundiæ homagium recepturo, *conveniſſe Pontifices & Optimates ejus Gentis.* Præterea *cap. 41.* memoratus Clodoveus *Pontifices & totius Gentis Principes,* (quos omnes *Francigenas cives* appellat) *convenire juſſit.* Sic & Wippo de Conr. Sal *tit. 1. & ſeqq* refert, *Clericos maximè cum aliis Principibus conveniſſe.* Atque hic ergo fuit conventus Optimatum ſeu Palatinorum.

13. Alii fuère conventus totius populi, quos *Placitum generale*, vel *conventus generales* dicebant; in quibus proinde duo diſtincti ordines conveniebant, Principum ſeu Optimatum, & reliqua multitudo: de quo deinceps.

14. Atque ita conſtat, ſtatus populi Francici, ante regni inſignia, ſeu tum, cùm primum Regem è genere Salico, ſeu ordine Principum, Pharamundum, *Salicum* inde dictum, Franci ſibi legerent, ex Ariſtocratico & populari fuiſſe contemperatum. Quâ proinde Regii ſtatus acceſſione regnum illud Francorum ex triplici regiminis genere ſeu forma concinnatum commixtumque fuit. Etenim non ſe abdicavit ſummo, quo gaudebat, imperio populus Francorum, libertatis ſuæ adeò tenax, ut ab ejus ſtudio nomen ſibi adoptaverit; ſed, cùm Duces

 habe-

haberent, eorum loco, ſanctioribus auſpiciis, aliud caput, mortuo Sunnone Duce, Regem ſcil. in remp. ſuam adſciverunt; *Greg. Turon. lib. 2. cap. 9. Ado Vienn. æt. 6. ad ann. 375. Urſperg. Chron. ſub rubr. de Orig. Franc. fol. 66. Viterb. Chron. part. 17. in præf. Paul. Æmil. de reb. Franc. lib. 1. in princ.*

15. Sic ergo populus Francorum, Rege, ut capite ſummi Imperii, & optimatibus, cæteriſque civibus, ut ejus membris Imperii conſortibus, conſtans, in hoc triformi ſtatu eodem jure uti, & Comitia ſub regibus quoque habere continuavit: ita ut Reges vel ad Placitum generale populum convocaverint, vel cum Primatibus Regni de rep. coſultaverint. Idq; quotannis fieri oportuit. Et quidem placitum generale Kal. Maj. haberi debuit ad ſtatuendum de bono reip. Ita Eginh. *in vit. Car. M. princ.* de ritu Regis adeunte Comitia populi: *Sic ad publicum populi ſui conventum (qui annuatim ob regni utilitatem celebrabatur) ire, ſic domum redire ſolebat.* Et Adelm. Bened. *ad ann. 782.* hujusmodi comitia ſeu conventus populi Francorum generales ſub Regibus, *in Francia quotannis haberi ſolere. apud Freher. in Corp. Hiſt. Franc. part. 2. fol. 393. Add. Sigeb. ad ann. 662. Hotom. Franco-Gall. cap. 15. Conring. Exerc. Acad. 9. th. 36.* Conventus verò particulares Procerum ſeu Optimatum, pariter ſolennes & annuos, haberi ſolitos, & quidem in his de ordinando futuri anni ſtatu prædeliberatum,

ratum, & tum in generali conventu populi in proximum annum, ſtatum regni & reip. conſtitutum & ordinatum fuiſſe, ex Hincmaro, laudatisſimo illo Epiſcopo Rhemenſi, probat Conring. *Exerc. Acad. 9. theſ. 36.*

16. Quinam jam his Comitiis interfuerint, ex uſu gentium expoſitum jam eſt *cap. 21. §. 10. & ſeqq.* ſcil. Cives immediati & liberi; qui & conſtans ac perpetuus fuit mos Francorum ſub Merovingis & Carolingis; ex quorum Annalibus manifeſtò conſtat, jus Comitiorum regni non fuiſſe niſi penes Proceres & populum duarum Provinciarum, Franciæ & terræ Rhenenſis, quæ regnum Franciæ originarium conſtituerunt; ac tum temporis ſolæ fuêrunt ejus regni membra immediata & libera: & quas ideò Reges Franciæ appellabant *ſui* populi, ſeu *ſuæ* gentis Proceres; Gentis ſcil. Francicæ, ex qua fuêre Reges. Intellexêre ergo utriusque Auſtraſiæ Principes & Epiſcopos: nec ad hæc Comitia Regni ullius alterius provinciæ Primores vel Ordines, quin nec reliquarum Provinciarum Duces admiſſos fuiſſe, quippe ſuæ provinciæ, non regni, cives liberos & immediatos, ex ſequentibus planisſimum fiet.

17. Sic enim Aimoinus *lib. 1. cap. 16.* refert, Clodovæum, cùm à Tolbiaca victoria Sacra Chriſtiana, non tantùm profeſſus eſſet, ſed & publicè eadem introducere vellet, Comitia *Procerum Regni* coëgiſſe, & ex horum ſententia e-

vocaſſe populum: eumq; in conventu *Primatum Regni* ita allocutum fuiſſe: *FRANCI Trojugenæ! &c.* ClotariusRex quoq;, cùm inſtinctu Brunechildis contentio de ſucceſſione eſſet, inquit: *Conventum Nobilium FRANCORUM eam debere aggregare, & communi tractatu de communibus conſulere rebus; ſe judicio Illorum in omnibus pariturum. Aimoin. lib. 4. cap. 1.* Patet igitur, per regnum intellexiſſe eos regnum Franciæ, & hujus tantùm Proceres ad conventus publicos vocatos fuiſſe. Ita cùm Clotarius concilium Clippiaci pro utilitate regni & eccleſiæ congregaret, dicuntur *Primores FRANCIÆ conveniſſe. Aimoin. d. lib. 4. cap. 15.* Qui & de Dagoberto Rege Francorum *d. lib. 4. cap. 30.* hæc refert: *Generale indixit placitum in loco nuncupato Bigargio: ad quod properè convenientibus FRANCIÆ Primoribus, 10. Kal. Maj. Rex in ſolio reſidens aureo, hoc apud eos diſſeruiſſe modo &c.* in quo alloquio ita eos compellat: *Quicunque adeſtis FRANCORUM Potentes.* Et deinde: *Qui adſtatis Sanctiſſimi Pontifices, nec non GENTIS NOSTRÆ Principes.* Et de Clodoveo II. *d. l. 4. cap. 41. Quòd Pontifices & totius GENTIS Principes convenire jubens, mediusque inter eos ſolio reſidens, hoc habuerit ſermonis exordium: Quanquam, FRANCIGENÆ CIVES. &c.* Porrò decretum in Comitiis Sueſſion. anno 744. ſub Childeric. II. dicitur *Optimatum FRANCORUM conſenſu & conſilio conſtitutum. ap. Gold. tom. 3. conſt. fol. 649. §. fin. ad ann. 744.* Sed &, cùm in Conventu

ventu Regni de bonis filiorum Ducis Aquitaniæ propter inultam Patris necem publicandis agendũ eſſet, *id in publico FRANCORUM conventu* actum fuit. *Aimoin. lib. 2. cap. 28.* Ita Fredegar. *Chron. ad ann. 751. in Corp. Hiſt. Franc. fol. 161. Conſilio & conſenſu omnium FRANCORUM legatos ad Papam miſſos, & Pipinum electione totius FRANCIÆ in regnum ſublimatum fuiſſe.* Et deinde *ad ann. 768. fol. 166.* Pipinum, cùm moriturus regnum inter duos filios dividere vellet, ait, *omnes Proceres ſuos, DUCES & COMITES FRANCORUM, tam Epiſcopos quàm Sacerdotes, convocâſſe, ibique unà cùm conſenſu FRANCORUM & Procerum ſuorum, ſeu & Epiſcoporum, regnum Francorum inter eos diviſit.* Idem Pipinus, victo Aiſtolpho, Longobardorum Regi pacem ita dedit, *ut omnia judicio FRANCORUM & Sacerdotum emendaret, & nunquam contra Regem & Proceres Francorum contumax eſſet: Fredegar. d. tract. fol. 162.* Et *ibid. fol. 163.* dicitur, *omnes Optimates FRANCORUM pro SALUTE PATRIÆ ET UTILITATE FRANCORUM tractanda, placito inſtituto,* convocâſſe. Quod & Adelm. Bened. *ad ann. 768.* ita refert. *Filii ejus* (Pipini) *conſenſu omnium FRANCORUM Reges creati.* Et ad ann. 821. *Medio menſe Oct. conventus generalis ad Theodonis villam magnâ POPULI FRANCORUM frequentia celebratur.* Atque ita, quando Reges Francorum dicuntur *populi ſui, gentis ſuæ*, conventum generalem habuiſſe, non alius populus intelligitur, quàm Fran-

Francorum. Ita perpetuò Adelm. Benedict. loquitur apud *Freher in Corp. Hiſt. Franc. fol. 386. ad ann. 764.* ubi ait: *Rex Pipinus populi SUI generalem conventum habuit in Wormatia.* Et ad ann. 782. *Carolus M.* (*ut in FRANCIA quotannis ſolebat,*) *generalem conventum habendum cenſuit.* Similiter ad ann. 787. *Wormatia generalem populi SUI conventum habere ſtatuit; in quo omnia quæ in Italia geſſerat, Optimatibus ſuis commemoravit.* Atque iterum *ad ann. 788. & 794. & paſſ.* Sic & de Ludovico I. *ad ann. 825. Aquisgranum rediens, generalem populi SUI conventum, more ſolenni, menſe Auguſto habuit.* Item, *ad ann. 826. Ingelinheimi generalem populi SUI conventum habuit.* Quomodo & Autor vitæ Ludov. I. *in Corp. hiſt. Franc. tom. 2. fol. 454.* loquitur: *Accito populi SUI generali conventu.* Atque ita Reges Francorum ſui, (Francorum) populi generales conventus egêre. Quod & *in d. Corp. hiſt. tom. 1. fol. 87. ad ann. 764.* ex antiquiſſimo fragmento ita diſertiſſimê refertur: *Habuit Rex Pipinus conventum magnum cum FRANCIS ad Chariſago.* Et in *Annal. Franc. Fuld. ad ann. 814.* pariter dicitur de Pio; *habito Aquisgrani generali conventu populi SUI.* Iterumque *ad ann. 838. Noviomagi conventu generali habito, conſiliis quorundam ex Primoribus FRANCORUM acquieviſſe.* Pariter *apud Gold. tom. 1. conſt. fol. 150. ad ann. 817. Ludovicus I. dicitur Aquisgrani Conventum Primorum regni, more FRANCORUM, egiſſe.* Ut appareat, conventus generales

rales ſub regno Auſtraſiæ unicè Francorum fuiſſe, & Reges hos, ut dictum, nominâſſe ſuum populum quaſi ſuam gentem. Ideò, cùm Carolus M. conventum generalem haberet de totius regni pace, & inter filios diviſione, & de teſtamento ſuo, quæ cauſæ univerſi regni & longè graviſſimæ fuêre, non tamen conventus iſte niſi CUM PRIMORIBUS & OPTIMATIBUS FRANCORUM fuit: *Adelm. Bened. ad ann. 806.* Quod totidem verbis confirmat *Regin. lib. 2. Chron. ad d. ann. 806.* Add. de Comitiorum rationibus *Hottom. Franco-Gall. cap. 13. Pontan. Orig. Franc. lib. 6. cap. 11. Conring. Exerc. Acad. 1. §. 30. & ſeqq.* Ex quibus ſatis conſtat, ad hæc Comitia generalia regni Francici ſeu Auſtraſiæ tum nullam reliquarum provinciarum admiſſam fuiſſe. Quemadmodum & in cæteris regnis jure Gentium id pariter obtinuit, & planè conſequens eſt iis quæ *ſup. cap. 20.* de his, quibus bonum publicum, & de eo deliberandi ac ſtatuendi publica libertas communis eſt, demonſtrata ſunt.

18. Quid verò juris ſit, vel obtinuerit regno Franciæ, ſub Merovingis inter filios defuncti regis diviſo, quæri poſſet. Talis diviſio primùm facta fuit inter Clodovæi M. quatuor filios, cùm Gallia tota nondum eſſet occupata, ſed Burgundiæ & Aquitaniæ regna etiamnum durarent, & necdum cum Wiſi Gothis debellatum eſſet. *ſup. §. 3.* Deinde iterum inter

Chlotarii

Chlotarii I. filios, omni jam Germaniâ & Galliâ in poteſtatem redactâ, *Maſſon. Ann. Franc. lib. 1. pag. 46. & 47.* quæ tum in 4 partes, inſtar tot regnorum, diſtincta eſt. Duo enim regna acceſſêre, Burgundia & Aquitania; utraque â populis Germanis, illa â Vandalis, hæc à Gothis habitata ſub Regibus ſuis. Reliqua Gallia in Auſtraſiam & Neuſtriam diſcreta fuit: Quam in rem jam ſup. produximus locum *Aimoin. lib. 1. cap. 5. in fin.* ubi ait: *Has omnes Provincias*, (de Galliæ parte agit, quæ extra Burgundiam & Aquitaniam eſt, & ferè Galliam Belgicam continet) *dum Franci occupaſſent, in duas tantùm partes dividentes, eam, quæ Septentrionem verſus tenditur, & inter Moſam & Rhenum eſt, AUSTRIAM: illam verò, quæ à Moſa ad Ligerim usque pertinuit, NEUSTRIAM vocaverunt. Pars tamen Lugdunenſis Galliæ, quam Burgundiones occupaverant, BURGUNDIÆ nomen retinuit: AQUITANIA quoque avitum non eſt dignata nomen mutare.*

19. Aſt propriè per has diviſiones non videntur plura regna noviter erecta, ſed unius regni Francici terræ ſaltem inter fratres partitæ, etſi quisque fratrum in ſua parte Regiam poteſtatem exercuerit: inde enim non ſequitur, illam partem quoque terrarum fuiſſe in peculiare regnum erectam; quia ſæpe dignitas illa non illi terræ, ſed perſonæ, vel alii terræ aut cauſæ cohæret. *Vid. ſup. cap. 11. §. 6. & loca ex Jur. publ. ibi adducta.* Equidem omnes iſti Reges, etſi

etſi terris diviſis, ſe tamen non niſi Reges Francorum ſcripſere: Quod teſtatur Joh. Tillius *de Reb. Gall. rubr. de Regum filiis;* & ex literis patet *apud Aimon. lib. 2. cap. 20.* nam in diplomatis Childeberti, qui ſedem Pariſiis habuit, ita ſcriptum eſt: CHILDEBERTUS, REX FRANCORUM, VIR ILLUSTRIS. Et *ap. Gold. tom. 3. Conſt. ad ann. 539. fol. 115. Childebertus, Rex FRANCORUM, Vir illuſter. Et ad ann. 615. fol. 637. Clothairus Rex Francorum* &c. qui Franciæ tamen partem non habuère. *Add. §. 21. inf.* Enimverò, uti jure Gentium Regna terræ cohærent, ejusque finibus circumſcribuntur; *ſup. d. c. 11. arg. l. 239. §. pen. ff. de Verb. ſign.* ita & regnum Francorum intra terræ Francicæ, ſeu duarum ejus provinciarum, fines ſtetit; *ſup. cap. 20.* reliquæ terræ ſunt provinciæ, quæ ei regno accedunt & adquiſitæ ſunt.

20. Pendet nimirum hujus rei plena explanatio à principio illo, quod *in Exerc. ad Grot. II. §. 27. in addit. ad finem ejus adjecta*, ex naturali ratione extruximus: In omni enim diviſione Jurium univerſitatis duplicia ferè Jura occurrunt: alia enim ſunt, quæ partibus dividi, certisque finibus includi non poſſunt, uti hìc commune jus regii ſanguinis, & quæ ei cohærent; alia poſſunt, uti regni terræ ſeu territoria. Illa, cùm partes non recipiant, cuique in ſolidum competunt; hæc cuique pro parte. Diviſione igitur Regni Francici cum omnibus ſuis terris inter 4 filios Clodovæi I. & deinde

deinde Clotarii I. facta, quisque ſuam terrarum portionem pleno jure propriam poſſedit, & ſolus ſummum in eam imperium regiamque poteſtatem exercuit. Verùm ille, v. g. cujus portio Burgundia fuit, regium jus in eam non exercuit ut Rex Burgundiæ, & poteſtate regni Burgundici, (quippe quod bello victum perdidit jus Regni, & jure Gentium victori, ſcil. Regi ac populo Francorum, quæſitum fuit) ſed poteſtate regni Francici, cujus tum iſta terra Burgundiæ fuit; atque ut Rex Francorum. Cùm enim Franci reges ſuos ex regio Francorum ſanguine elegerint, quod jus Regii ſanguinis non terris diviſis, ſed perſonis & ſanguini regio cohæret, adeoq; jus cujusque in ſolidum eſt, nec in diviſionem venit, *vid. d. add.* hinc hoc jus Regii ſanguinis Francici individuum, & omnium fratrum commune fuit, & vi illius regiam poteſtatem, ſuffragiis populi intuitu regii ſanguinis collatam, quisque eorum, ut Rex Francorum, in ſuam partem exercuit.

21. Eo tamen non obſtante, cùm Neuſtria, Burgundia, Aquitania, (portiones reliquorum fratrum) etſi bello ſubactæ, tamen autonomiâ, ſeu ſuis legibus & Magiſtratibus uſæ fuerint, quisque filiorum Franciæ ſuam partem, non legibus Franciæ, ſed ex formula & legibus iſtius terræ, cui præfuit, gubernavit, & ſui populi in ea Comitia habuit; ad quæ ne ipſi Franci qui-

quidem ſed unicè, qui populi iſtius membra immediata & libera fuerunt, admiſſi ſunt; juxta tradita *cap. 21. §. 24 & c. 22. §. 16. & ſeqq.* de quorum rationibus *paulò poſt.*

22. Poſt has tamen diviſiones vix eſt ut regni Francorum Comitia univerſalia habita fuerint: quia, ut dictum, quisque fratrum ſuas terras cum Regia poteſtate tenuit, etſi non proprio terræ ſuæ, ſed regni Francorum jure regio; atque inde quisque in ſua parte Comitia, ſummi imperii & Regis jure, habuit: ex lege ſcil. & ſtatu cujusque terræ, qui, non obſtante hac diviſione, invariatus & integer, idemque, qui antè, extitit, ejusque formulam Rex ſervavit & ſecutus eſt. Hæ itaque terræ ita diviſione à regno Auſtraſiæ ſeparatæ, inprimis liberæ & *αὐτόνομοι*; at, ſtante illa diviſione, ne membra quidem iſtius Regni, ſive mediata ſive immediata, ratione terrarum fuêre; quippe quæ à regno Auſtraſiæ pacto diviſionis avulſæ, & in propriam ſummi imperii, ſummæque poteſtatis formulam ſegregatæ fuêrunt, ita ut Rex Auſtraſiæ nihil in eas terras juris interim habuerit, nec ejus ſuperiorem aliquam poteſtatem fratres agnoverint. At ratione communis illius Juris ſanguinis Regii Francici, quod cujusque in ſolidum fuit, & quod ei annexum erat jus in univerſum regnum Franciæ, hæ provinciæ fuère illius regni membra mediata & jure autonomiæ libera.

23. Habuit igitur, ut Auſtraſia, quæ cum duabus ſuis provinciis plenisſimi juris regnum fuit, ita & quælibet reliquorum fratrum civitas, v. g. Burgundia, peculiaria ſua Comitia ſub illo Rege, cui ea portio obtigit. Ea Rex cogebat, iisque præſidebat, non ut Rex Burgundiæ, quia omne ſuum jus in eam habebat ex jure regni Franciæ, cui ex lege victoriæ illa acceſſit, eique, ut victori, non Burgundiæ victæ, regium hoc ἀξίωμα inſedit, nec propriè, ut Rex Francorum, quia regnum illud Ipſe non habuit; ſed ut caput Burgundiæ, ex ſpeciali pacto diviſionis, quo fratres, omnes Reges Francorum, quibus jus Regium in univerſum regnum Francorum, & de eo ſtatuendi poteſtas, in ſolidum competebat, ea lege terras illas ſingulis attribuerunt, ut quisque jus hoc Regium Franciæ inhærens, in ſuam partem ſeu terram, vigore hujus pacti, exerceret. *ſup.* §. *20.* & *ſqq.*

24. Ad hæc igitur Comitia, v. g. Burgundiæ, (ut in hoc exemplo perſiſtamus) non ſunt accerſiti à Rege niſi Proceres & ordines Burgundiæ, adeò, ut ne Regis quidem fratres, etſi Reges Francorum, interfuerint: quia non fuêre Burgundiæ, ſed ſuæ quisque civitatis membrum: *ſup.* §. *10.* quin ne ipſe quidem Rex Auſtraſiæ, nedum horum fratrum Proceres, ex prædicta ratione & regula, vocati aut admisſi fuerint. Quemadmodum ê contrario, ad Comitia Auſtraſiæ quoque nulli alii venêre, quàm regni

regni illius, ſcil. geminæ ipſius provinciæ, Franciæ & terræ Rhenenſis, ſeu, utriusque Auſtraſiæ, Proceres, qui ſoli membra illius immediata fuêre. Sed nec magis Regis fratres: etſi enim, ut Reges Francorum, immediata univerſalis Regni Francorum membra fuerint, tamen, hac diviſione terris eorum à regno Auſtraſiæ abſcisſis, & cum ſummo imperio ac poteſtate fratribus conceſſis, tot exiſtunt diſtinctæ civitates liberæ, & cum ſumma poteſtate, quot partes. Unde iterum notandum, quod dictum eſt §. *20* unius fratris portionem, ratione terrarum & jurium eis cohærentium, adeoq; dividuorum, non fuiſſe vel regni Auſtraſiæ vel reliquarum partium membrum, ſive mediatum ſive immediatum; ſed cujusque fratris proprium territorii, populi, quin (ſuo ſenſu) regni, corpus, quod cum ſuo capite & membris à reliquorum fratrum partibus ſeorſim conſtitit, & quisque eorum ſuæ civitatis, ſuique populi, non Auſtraſiæ, membrum & caput fuit. At ſpectato communi illo jure ſanguinis Regii Francici, quod ſingulorum perſonis in ſolidum ineſt, ac individuum eſt, & cujus contemplatione Regia poteſtas cum parte regni à populo Francorum ipſis delata eſt, omnino eorum portiones ſunt membra regni Franciæ mediata, & beneficio autonomiæ libera, *d.* §. *20*.

25. Quodſi ſub uno fratrum plures hujusmodi civitates liberæ & cum ſummo imperio

fuerint, unaquæque propria & peculiaria ſua habuit Comitia, nec alterius Proceres in iis concurrerunt; ſcil. in rebus ſeu cauſis illius propriis: ſi enim negotium vel cauſa publica utrique communis ſit; vel, etſi res unius, tamen in alterius terris expedienda ſit; ſeu, quocunque modo alteram quoq; terrã concernat, conſequens eſt, communi quoque conſenſu, & vel communi conventu explicari, vel ſeorſim in cujusque Comitiis agitari. Id factum á Rege Childeberto Clodovæi M. filio, Rege Franciæ, cùm ſtolam B. Vincentii dedicare Pariſiis, & templum ibi extruere vellet, locus verò iſte eſſet in Neuſtria, & extra fines Franciæ ſeu Auſtraſiæ: teſtatur enim notabiliter, ſe id feciſſe unà cum conſenſu & voluntate FRANCORUM ET NEUSTRASIORUM. *Aimoin. lib. 2. cap. 20.* Ita Dagobertus M. cùm majorem filium Sigebertum jam Auſtraſiæ præfeciſſet, & nato deinde minori *Neuſtriam & Burgundiam* deſtinaſſet, jam moriturus rei hujus causâ non Franciæ, quam res non tetigit, ſed ſolos *Neuſtriæ & Burgundiæ* Proceres convocavit, quippe in cauſa ſucceſſionis filii minoris, quæ ad hos ſolos ſpectabat. *Vid. Aimoin. lib. 4. cap. 26. 27. & 33.*

26. Sanè, ſi cauſa vel negotium commune ſit, etſi inter diverſa planè regna, vel populos liberos, id cõmuni conſenſu fieri oportere palam eſt, uti fœdus. Quisq; ergo Regum vel conven-

ventus ſuos habet ſeorſim, vel utriusque populi Reges & Proceres in unum conveniunt, & communi conventu, cui omnes interſunt, rem peragunt. Ita ſub Carolingis, cùm res eſſet inter duos filios Ludovici Germanici, Ludovicum & Carolum; & duos filios Ludovici Balbi, Ludovicum & Carolomannum; illos Germaniæ, hos Galliæ Reges; ad commune placitum, ex condicto, quatuor hi Reges ad S. Gandolphi villam conveniſſe dicuntur. *Aimoin. lib. 5. cap. 11.* Ita pariter in disſidio, quod inter Ludovicum Germ. & Ludovicum Balbum, regem Galliæ, fuit, placuit, ut communis conventus Turonnæ fieret. *Gaguin. de Geſt. Franc. lib. 5. in Lud. Balb. pag. 69.* Ea ergo expeditior adhuc ratio eſt, cùm plures populi ſub uno Rege in unum coëunt: uti, cùm deinde in parte Caroli Calvi ſuccederet Carolus ſimplex, infans, eique tutores publicè dandi eſſent, dicuntur Proceres *Franci, Burgundi & Aquitani*, eâ de causâ *in unum congregati. Aimoin lib. 5. cap. 42.* Hi enim tres populi liberi regnum illud, quod ex diviſione filiorum Ludovici Pii ad natu minimum, Carolum Calvum, in Gallia pervenerat, conſtituebant, & quibus proinde hoc ſucceſſionis negotium commune fuit. Unde cùm duo filii Balbi regnum Galliæ inter ſe dividerent, alter Neuſtriam, alter Burgundiam & Aquitaniam accepiſſe dicitur. *Aim. lib. 5. cap. 40.* Per Francos ergo *in d. c. 42.* intelligun-

tur Franci Neuſtrii vel Weſtraſii, id eſt, occidentales, à Francis Auſtraſiis ſeu Germanis bello ſubjugati: qui in commune nomen Francorum tranſiêre, & terra eorum *nova Francia* dicta fuit. *ſup. cap. 18.* Quod nomen aliàs proprium fuit regni primarii & populi victoris, ſc. Auſtraſiæ. Unde veteres diſtinguebant *Francos* à *Neuſtriis*, uti apud *Aimoin. lib. 5. cap. 20. & paſſ.* Et ipſe Rex Childebertus in inſtrumento publico eos ſejungit his verbis: *conſenſu Francorum & Neuſtraſiorum. apud Aimoin. lib. 2. cap. 20.*

27. Hæc de ſtatu 4 terrarum ſeu civitatum regni Francici in Gallia. De 5. provinciis Germaniæ ſufficiunt, quæ diximus *ſup. §. 4. & ſeqq.* Etenim duas, ſcil. Franciam & terram Rhenenſem, ſeu utramque Auſtraſiam, conſtituere regnum Franciæ Auſtraſiæ, & earum Optimates ad Regni Comitia, nec alios admitti, jam oſtendimus. De Saxonia patet, eam per Proceres ſuos fuiſſe gubernatam, eosq; tempore belli è ſuorũ gremio Ducem legiſſe, atque adeò boni ſui publici cauſâ in Curias conveniſſe: *de quo J. Publ. c. 3. §. 36.* in quem ſtatum ex autonomia reſtituti ſunt. *d. c. 3. §. 37. & ſeqq.* De Bavaria non magis ambigitur, & vel ex rebus Thasſilonis apparet, qui fidelitatem Francorum regi *cum Primoribus gentis ſuæ*, & hi quidem ſeorſim, juraſſe dicuntur. *Vid. Adelm. Benedict. ad ann. 757.* Et Ducem, cum iterum inde deſciſcere in animum induxiſſet, rem concione advocata cum populo com-

lo communicâſſe refert *Avent. Annal. Boi. lib. 3.* Conſentaneum igitur ſuperioribus eſt, ad hos quoque conventus Provinciales nullos admiſſos fuiſſe, niſi Proceres vel Ordines illius Provinciæ, & nec ipſius Franciæ Regem vel Proceres in rebus Provinciæ: at cùm res vel cauſa Regis vel Regni erat, illa in Comitiis regni agitanda fuit, ubi nullius Provinciæ ordines cùm Franciæ ordinibus concurrere potuiſſe, jam *ſup.* §. *8.* evicimus. Quodſi verò res in loco Provinciæ fortè peragenda eſſet, aut aliàs ad eam ſpecialiter pertineret, ex forma autonomiæ, utrobique deliberandum fuit, ut dictum *ſup.* §. *11. & ſeqq.* Sueviam verò, cùm ei autonomia indulta non fuerit, nec jus Comitiorum Provincialium habuiſſe, nec, licèt immediata fuerit, Comitiis Regni interfuiſſe, oſtenſum eſt *ſup.* §. *6.* Ex quibus jam omnium quoque diſcriminum terræ mediatæ & immediatæ, liberæ & non liberæ, &, quæ inde pendent, jurium atque effectuum ratio & cauſa ſibi conſtabit; quorum quaſi indicem quendam compendio exhibuimus *J. Publ. c. 9.* §. *10. & paſſ.* eoque pertinent jura Comitiorum jam latiùs expoſita. Quæ omnia, ut hodieque durent, vel alterata ſint, videbimus *cap. 23. & ſeq. inf.*

28. Weſtphaliæ denique communis cum reliqua Saxonia, quippe cujus pars eſt, conditio ac autonomia, atque adeò & illa libera & mediata fuit. Verumtamen illud conſtat, eam de-

inceps accepiſſe Magiſtratus & judicia à Victore, Rege ac Regno Franciæ, eoque adeò facto hanc autonomiæ partem, ſcil. autocratiam, ſeu facultatem ſibi Magiſtratus ſuos eligendi, ac publica judicia conſtituendi, quæ alias generali nomine autonomiæ & libertatis publicæ continetur, *d. c. 15. §. 3. & ſeqq.* ei detractam fuiſſe. Enim verò, (ne quid ſcrupuli remaneat) vidimus ibi appellatione Autonomiæ generali tria comprehendi: (α) Αὐτονομίαν ſtrictè ſic dictam: (β) Αὐτοκράτειαν καὶ αὐτοδικίαν. (γ) Αὐτοτέλειαν. id eſt, (1) *ſuis legibus*: (2) *ſuis magiſtratibus & judiciis*: (3) *ſuo fiſco utendi libertatem.* Cùm igitur alterum illud, nempe jus conſtituendi magiſtratus & judicia, ipſe Victor, Rex Franciæ, exercuerit, apparet equidem hoc facto, alterum autonomiæ membrum Weſtphaliæ non permiſſum, ſed hact. ipſius autonomiam reſtrictam & limitatam fuiſſe. Atque iſte eſt ſtatus ipſius, qui hodieq; perdurat. Etenim populus Weſtphaliæ eſt αὐτόνομος, liber & mediatus, ut reliqua Saxonia, ac ſuo jure, ſuoque fiſco utitur; duaeque adeò reliquæ Autonomiæ partes ipſi ſalvæ; & hinc Nobiles quoq; in Weſtphalia etiamnum mediati ſunt, qui miniſteria Provinciæ præſtant, non, ut Suevi, Franci, & Rhenenſes, immediatè imperio. At Comites, Prælati, ut & civitates regulariter in ea ſunt immediati. Hinc jam intelligitur, cur Weſtphaliæ ſua quoque Curia

ria ſit in Comitiis Imperii, die Weſtphaliſche Banck / quam Comites hodie peculiarem habent, Prælati & Civitates ſub Rhenenſi comprehenſam. Hinc & patet, cur è contrario Nobiles Weſtphali non ſint comprehenſi ſub Nobilitate immediata Imperii, ſed illa tantùm ſit in tribus Provinciis, die unmittelbahre Reichs-Ritterſchafft in Schwaben / Francken und am Rheinſtrohm. Hinc denique patet, cur Weſtphalia immediata habuerit Imperii judicia, uti das Heimliche Gericht / & alia ex privilegio: nam & illud pertinet ad alterum autonomiæ membrum; quod in Weſtphalia non obtinuiſſe jam diximus. Fuit igitur in Weſtphaliæ ſtatu aliquid mixti, & autonomia ejus limitata, ut ipſa quidem libera ſit & mediata, ſuoque jure vivat, fiſco autem Regio adeò adſcripta non fuerit, ut cenſum quoque, quem ſolvere Regibus Auſtraſiæ oportuit, Carolus M. remiſerit. *J. pub. c. 3. ſect. 3. §. 39.* Sed Magiſtratus & Judicia immediatè Imperii fuêre, atque hæc ſola Autonomiæ pars, autocratia ſcil. cum ſua *αὐτοδικία*, inde exemta eſt; quantum ad reliquas duas partes autem *αὐτόνομος* manet.

29. Cæterum caſtigandus & explodendus adhuc eſt putidus error Guillimanni & eorum qui ſimili Juris imperitiâ laborant, & in genere Suevos in ſervitutem à Clodovæo redactos ſomniant, adeò, ut *Guillim. lib. 2. Helvet. cap. II.* eam ad leges privatæ ſervitutis Romanæ exe-

 gerit

gerit, atque ideo de ejus formulis multa retulerit *d. cap. 11.* Quomodo &, qui de Weſtphalis id nugantur, nec ſervitutem privatam à publica penitùs ſeparant, in maximo & infami errore verſantur. Etenim privatæ ſervitutis & ſervorum peſſima & omnium vilisſima fuit conditio; at per publicam ſervitutem nihil aliud civitati bello victæ decedit, quòd jam leges & Magiſtratus, non ipſa ſibi, ſed Rex victor, vel ſuperior Magiſtratus, ipſis dat. Et, quanquam Regis ſcopus ſit ſalus & bonum publicum, non provinciæ, ſed regni; tamen & bonum provinciæ ipſi propoſitum eſt, quat. intereſt regni: intereſt autem ejus quàm maximè, etiam provincias opibus, commerciis, & bonorum copiâ vigere, quibus robur & vigor regni continetur. *ſup. c. 14. §. 7. Add. Cic. pro L. Manil. c. 5. & ſeqq. & paſſ.* Igitur tum demum deterior conditio incipere videtur, cùm idem utriq; bonũ publicũ non eſt, & ob bonum regni vel oneranda eſt provincia, vel aliquod bonum ejus particulare poſtponendum: aliâs enim cujusq; magiſtratus vices ſunt omnes ſubditos, eorumque bonum tueri & curare: de quo actum jam eſt *c. 8. §. 10. c. 13. §. 11. & d. c. 14. §. 7.* Cæterùm Suevi & Weſtphali ſtatu æquè liberi fuêre ac ipſi Franci.

30. Quæ verò de clade Sueviæ & Saxoniæ, quâ tandem ceſsêre armis ac felicitati duorum maximorum Regum, Clodovæi M. & Caroli M. dici juris publici explicandi causâ neceſſario

rio

riò oportuit; teſtor iterum conſcientiam, eâ re nihil me laudibus & gloriæ utriusque fortiſſimi populi detractū velle vel detractū credere. Neq; unquam putavi ideò apud cordatos Viros conteſtatione opus eſſe, cùm ſit res notiſſima, & ubique confeſſa, vulgata, publicata, prodita; niſi exemplo Weſtphaliæ, de quo *in Append. I.* expertus fuiſſem eô homines impotentiæ delabi, ut ejus relatione indelebilem patriæ injuriam fieri cauſentur, & ideò, quaſi cadentem, imbelli & tenui calamo ſuo aſſerendam & fulciendam ſibi ſumant. Ubi falſiſſimè mihi affingunt, quod modò in Guillimanno refutavi, eas in infimum illum & viliſſimum ſtatum ſervilē à me reduci, in quo olim fuêre ſervi illi privati & mancipia Romanorum & aliarū gentium. Enimverò ea harum civitatum fuit conditio, quæ apud Romanos olim fuit locupletiſſimarum iſtarum Provinciarum, quæ tum omnium maximê floruerunt cùm populi Romani Imperio regerentur, & legibus Romanis viverent. Eos omnes ſociorum nomine & affectu Romani complexi ſunt; quorum ſemper in ea civitate nomen ſanctiſſimum fuiſſe teſtatur *Cic. pro Dejot. in fin.* Horum regna Romanos per legatos viſitaſſe: *Juſtin. lib. 38. cap. 9.* tantamque devictarum provinciarum curam geſſiſſe, ut hæ *maluerint ipſis ſervire quàm aliis imperare,* ait *Cic. pro L. Manil. cap. 16.* Et luculenta oratione monuit Cerialis Belgicæ populos, *apud Tac. 4. Hiſt.*

4. *Hiſt. c. 73. & 74.* meliorem eorum conditionem fuiſſe ſub Imperio Romano, quam fuerat in libertate, & *pulſis Romanis bella omnium inter ſe gentium fore:* quod & agnoverunt illi, cùm his monitis pacati dicantur. *d. c. 74. in fin.* Equidem nullus eſt Germaniæ populus, quin rerum olim præclarisſimè geſtarum gloriâ & magnificentiâ facilè cum omnibus aliis certare posſit; quarum communis patriæ laudum pia commemoratio mihi quoque, ſi ulli alii, multò jucundisſima eſt. Ex quo verò populi illi bellicoſisſimi, & quaſi Martis pulli, ſecum commisſi, de Imperio dimicârunt, & armorum eventu, à quorum arbitrio ipſi cauſam ſuſpenderant, id certo jure Gentium deciſum fuit; vanisſimum foret, ſi quis, quod in conſpectu orbis geſtum, quodque omnibus publicè notisſimum & indubitatâ annalium fide obvium vulgatumque eſt, ad Juris publici & Status hodierni elucidationem memorari, &, cujus jura, effectus, veſtigia, hodieque ob oculos, atque in uſu publico ſunt poſita, & adhuc certum jus publicũ faciunt, ejus cauſam indagri nollet, ſed ideo impotenter furere, aut aniliter iraſci vellet. Retuli in Jure publico horũ populorum, quorum & virtus & fortuna aliàs diu & vario eventu, aliàs in uno prælio diſceptavit, ex æquo hiſtoriam & res magnificè geſtas; cùm ut hoc caput, cujus præcipuum in jure publico momentum, & ratio hactenus in obſcuro fuit

fuit, &, quæ de eo vertuntur in Jure publico, quæſtiones illuſtrarem: tum quoniam iſta præconiorum amplitudo in omnes cives redundat, & ad poſteros quoque vetuſta gentis ſuæ decora pertinent, tantum abeſt, ut ipſorum laudibus minùs favere, nedum invidere voluerim: quorum ut fortunæ aliquid deceſſerit, at virtuti nihil. Sed & fruſtra eſt, hodie ideo excandeſcere, cùm deinde ſub Henrico I. quoad libertatem omnes provinciæ æquatæ fuerint, ut patebit *inf. cap. 25.*

CAP. XXIII.

An, & qua mutatio Statùs regni Francici facta ſub Carolingis.

SUMMARIA.

1. *Regni Franciæ initia eſſe eadē Imperii Romano-Germanici, adeoque & Juris ejus publici incunabula.*
2. *Bavariâ Taſſiloni ablatâ, & Carolo M. adjudicatâ, ſtatum ejus nihil immutatum, & Carolum M. ei & ut Ducem & ut Regem imperâſſe.*
3. *Diviſione 3 liberorum Ludovici I. ruptum fuiſſe regnum Auſtraſiæ, ſed mox ſtirpe majoris fratris ſublatâ, aliâ diviſione rurſus convaluiſſe.*
4. *Hinc duo regna extitiſſe, perpetuo jure ab invicem diviſa,*

diviſa, Auſtraſiam & Neuſtriam: & quomodo nomen Franciæ à terra ſua vernacula ad peregrinam migraverit.

5. *Auſtraſia ſeu Germania regni ejusve Provinciarum ſeu populorum ſtatum eâ diviſione nihil fuiſſe immutatum: nec plura regna facta, nec regni terras in plures partes diviſas.*

6. *Idem fuiſſe, diviſione Auſtraſiæ ſeu Germaniæ inter 3 filios Ludovici Germ. factâ.*

7. *Hac diviſio quomodo facta fuerit, & quæ partium proportio.*

8. *Reges regiam poteſtatem non habuiſſe ab his terris, ſed à regno Franciæ.*

9. *Eamque exercuiſſe ex formula cujusque populi ſeu terræ, ſalvo eorum ſtatu ac jure: quod oſtenditur in ſingulis.*

10. *Concluditur eundē Germanici regni ſtatum fuiſſe ſub Merovingis & Carolingis, & durâſſe ad id tempus, quo in ea Carolingi defecerunt.*

§. 1.

DEfinito jam ita & fixo ſtatu veteris regni Francici ſub Merovingis, videndum jam, an quædam, & quæ ejus mutatio facta ſub Carolingis fuerit. Jam enim *ſup. cap. 22.* §. *1.* monuimus, ab hac origine & primitivo regno Francorum, tanq. à capite, duci jus regni & Imperii Romano Germanici, quod cum omnibus maximarum acquiſitionum incrementis, huic regno, ut matrici & victrici cauſæ acceſſit, atque inde

de & ab hoc initio per continuam Merovingorum & Carolingorum ſeriem in Germaniam manavit, & in ea, nova virtute ſtabilitum fuit. Deſcriptâ igitur hujus primævi ſtatùs ideâ, ejusque rationibus excusſis, ſupereſt ſaltem, ut inſpiciatur, quouſque ſtatus iſte, aut quid in eo deinceps mutatum fuerit; quo patefacto, unâ (ut dictum) intelligitur, quod & quatenus mutatum non eſt, eodem loco manere: atque adeò ab eodem initio, à quo, cum omnibus ſuis acquiſitionibus & eminentiis, ortum eſt imperium Romano Germanicum, etiam Jus publicum Imperii Romano Germanici repetendum fuiſſe.

2. Accidiſſe autem primùm videtur quædam mutatio ſub Carolo M. in Ducatu Bavariæ, qui ex felonia & perduellione Duci ſuo Thasſiloni publicâ ſententiâ ablatus, & cum dominio directo Regis & Regni Franciæ conſolidatus fuit; & hac ratione ex mediato immediatus factus videtur. Verùm ea res ſtatum Ducatùs & populi Bavari nihil quicquam immutavit, ſed tota cauſa unicè inter perſonam Ducis & Dominum directum agitata ac definita fuit. Non deſiit igitur totus Ducatus eſſe ex autonomia, quæ jure Gentium toti civitati ac populo cohæret, liber & mediatus: eumque adeò Carolus M. duplici jure & titulo tenuit, cùm ut Rex Franciæ, quippe terram jam à Clodovæo M. armis Regno quæſitam; tum, ut Dux Bavariæ, cujus

cujus totum civitatis corpus, magiſtratibus & ſubditis conſtans, cum ſua conditione & autonomia, omnique Ducatûs jure, quoad onera & quoad commoda ſeu beneficia ſua, ipſi ex felonia Ducis ceſſit. Unde Bavariæ populus Carolo M. quâ Duce Bavariæ, ut ſuo Magiſtratu uſus eſt, & ſuo jure ſub eo vixit, immediatè: quâ Rege Franciæ, ut ſuperioris civitatis magiſtratu, ejusque jure, mediatè, at ſalvâ ſuâ autonomiâ. Et viciſſim Carolus M. regnum Franciæ jure Francico gubernavit, in rem ſeu ad bonum publicum populi & regni Franciæ: Ducatum verò jure Bavarico, in rem & bonum publicum Bavariæ ſeu populi Bavari. Atque ita in populo Bavariæ & corpore civitatis nihil alteratum, neutroque ſenſu ſtatus ejus mediatus mutatus eſt, ſed & civitas permanſit eſſe mediata, & ſubditi mediati, ex utriusque capitis (*vid. cap. 19. ſup.*) ſententiâ, omnisque mutatio unicè fuit in perſona Ducis.

3. Plus mutationis videtur illatum Regno Franciæ, ejusque ſtatui, per diviſiones liberorum Ludovici Pii. Primâ enim horum diviſione in tres partes factâ, â regno Auſtraſiæ & Germaniâ non tantùm univerſa Gallia, paucis locis exceptis, abrupta; ſed & ipſa Auſtraſia diſcerpta, & cis-Rhenana, in ripa Gallica, quæ eſt terra Rhenenſis, cum regia ſede, Aquisgrano, ad majoris filii portionem adjuncta fuit. Extinctâ verò majoris fratris, Lotharii, ſtirpe, alterâ

alterâ deinde inter duos reliquos fratres decretâ diviſione, coaluit iterum utraque Auſtraſia cum Germania, atque ita auſpicatò coiit hoc vulnus regno Auſtraſiæ priore diviſione inflictum.

4. Hinc igitur univerſum Franciæ Regnum in duo regna planè libera, & quæ invicem, & alterum alterius Majeſtatem, neutiquam agnoverunt, diſſectum eſt, eaq; ſenſim non minùs odiis, quàm nominibus & terris in perpetuum diviſa fuêre: alterum, quod Ludovici, majoris fratris, fuit, Germaniam cum terra Rhenenſi in ſolo Gallico, &, quæ eò pertinebant, Slavicæ Gentis, Pannoniæ & Illyrici terras, comprehendit: alterum, quod minoris, ſcil. Caroli Calvi, reliquam Galliam; in qua fuêre Neuſtria, Burgundia, & Aquitania. Neque tamen tunc terrarum nomina mutata ſunt; nec fratres à terra ſuâ ſe Reges, ſed omnes ſe *Reges Francorum*, vel ſimpliciter *Reges*, ſine adjectione, ſcripſerunt, ut paſſim occurrit. Uti & ignota tum adhuc fuêre nomina Regis Germaniæ, vel Regis Galliæ; at ſenſim, ut dixi, non minùs nominibus quàm odiis diſceſsère: & maximè, cùm Romani Imperii decus & character poſt Carolum Calvum, ejusque filium, qui perexiguo tempore eo potiti fuerant, continuò ferè Germaniæ ſeu Regibus Auſtraſiæ adhæſerit, qui tum non Reges Francorum, ſed Romanorum, Auguſti, & Imperatores nuncupabantur;

Reges autem Neuſtriæ ſeu Galliæ priſtinam appellationem *Regis Francorum* retinerent, propria illa Neuſtriæ hoc uſu facta, & nomen, quod Auſtraſiæ, ſeu Franciæ Germanicæ, proprium & vernaculum fuit, in Galliam, cui adſcititium id erat, migravit, ubi hodieque illud peregrinatur, & vox Franckreich ſolam Galliam nunc refert. Regis autem Germaniæ appellatio demum ſub Maxim. I. invaluiſſe videtur.

5. Ita ergò cùm duo hæc regna omnibus rebus & in perpetuum ab invicem disjuncta à tot ſeculis fuerint, Gallia ſeu Neuſtria non minùs hinc ab inſtituto noſtro & ab hoc tractatu, quàm ab Auſtraſia ſeu Germania noſtra aliena eſt. Illâ itaque relictâ, hujus telam perficiemus: quippe de cujus ſolius Jure publico agimus. Ejus igitur Regni ſtatus per hanc quoque diviſionem nullâ re mutatus fuit: ſed omnium ejus Provinciarum in univerſum eadem, quæ ſub Ludovico Pio, Carolo M. & ſub Merovingis, fuit conditio, idemque ſtatus, qui expoſitus eſt *cap. 21. §. 4. & ſeqq. & §. 14. & ſeqq.* Fuit enim Regnum Ludovici Germanici idem illud regnum Auſtraſiæ, quod ſub Merovingis fuit, & duabus Provinciis propriis & originariis, utràque ſcil. Auſtraſiâ, conſtitit, cui reliquæ provinciæ Germaniæ verſus ortum ſitæ, acceſſerunt, indeque omnes nomine regni Auſtraſiæ, id eſt, orientalis, comprehenſæ fuêre, quarum omnium ſtatus incolumis & invariatus

tus permanſit. Neque quicquam in ſtatu Regni Auſtraſiæ alteravit ſeparatio Neuſtriæ ſeu Galliæ, quia aliud illud regnum & utriusque ſtatus ſeparatus fuit: neq; reliquæ in plures Reges factæ diviſiones regni Francici, quia ea mutatio fuit in juribus & perſonis Regum, non in ſtatu populorum, quorum eadem conditio ſub quolibet Rege perſeveravit.

6. Sed nec magis deinde mutatus fuit ſtatus regni Auſtraſiæ ſeu Germaniæ per liberos Ludovici Germanici, qui in tres partes hoc regnum iterum inter ſe diviſerunt. Enimverò jam *ſup. cap. 22. § 18. &. ſeq.* de diviſionibus Merovingorum oſtendimus, per eas non tot regna nova fuiſſe conſtituta, ſed terras ſaltē regni inter filios diviſas, regiam autem in eas poteſtatem non terris iſtis victis inhæſiſſe, nec earum proprio jure Reges eā exercuiſſe, ſed ab illo victorioſo capite regni Franciæ, & regno illi in omnes has terras armis quæſito jure, quod omnes pro indiviſo participârunt, hauſiſſe &c. Atq; ita pariter ſub Carolingis tres liberi Ludovici Germanici regnum Patris, (quod regnum Auſtraſiæ fuit, ex utraque Auſtraſia conſtitutum, cui reliquæ totius Germaniæ, Pannoniæ & Illyrici terræ, tanquam ejus Provinciæ, ut modo diximus, acceſſere, *vid. ſup. cap. 18.*) non in tria regna, ſed terras in tres partes diviſerunt & Regio Francorum jure gubernârunt. Unde nec ipſi Regium nomen ab his terrarum

partibus ſortiti & mutuati, ſed & ipſi omnes *Francorum Reges*, vel *Reges* ſimpliciter appellati ſunt: *ſup.* §. *4*.

7. Diviſerunt ergo illi terras has primùm in duas partes, Orientalem & Occidentalem, per longitudinem Germaniæ, à meridie in Septentrionem lineâ ductâ. Tota portio Orientalis, adeoque ſemis totius Regni, cesſit filio majori, Carolomanno; in qua fuêre tota Bavaria, ingenti tum tractu ad Alpes extenſa; tota Pannonia; Illyricum, & omnes terræ Gentis Slavicæ. Altera pars, quæ fuit Occidentalis, rurſus in duas partes, per latitudinem diviſa eſt ab ortu verſus occaſum; cujus pars meridionalis obvénit fratrum minimo, Carolo: in qua fuit tota Suevia, latisſimo itidem terrarum tum ſpacio patens, cum parte Auſtraſiæ cis-Rhenanæ ei adjacente: Septentrionalis Ludovico, fratrum medio: in qua fuit tota Francia, & reliqua Auſtraſia trans Rhenum, & tota Saxonia usque ad fines Daniæ, cum terris Friſiæ, quæ ex ſuperiore diviſione huic regno quæſitæ fuêre. Nec mirum videri debet, uni filio majori ſemiſſem regni ex partitione conceſſum fuiſſe. Habenda enim fuit redituum & commodorum ratio: in hac autem parte omnes terræ fuêre mediatæ & liberæ, ut pleræque tributum tantùm penderent; tenuesque adeò inde obventus Regii fiſci eſſent. E contrario tota portio Caroli, Suevia ſcil. immediatè

tè fiſco Regio addicta fuit: Ludovici verò terræ partim fuère immediatæ, ut Francia, & ipſa Regii fiſci Provincia; partim mediatæ, ut univerſa Saxonia, unde reditus anguſtiores; atque inde diviſionis & partium ratio ſeu proportio.

8. Quilibet igitur fratrum in ſuâ ſorte cum regia poteſtate fuit, ſed quam à Regno Franciæ, non ab his terris habuit: Non enim Major, ut Rex Bavariæ, Pannoniæ, Illyrici, & terrarum Slavicarum; nec alter, ut Rex Franciæ & Saxoniæ; nec tertius, ut Rex Sueviæ; ſed omnes, ut Reges Francorum, ex jure Regio Franciæ regnârunt, quod omnibus ex lege & pacto diviſionis pro indiviſo ita communicatum fuit, ut quisque in ſuas terras illud exerceret. *ſup.* §. 4. ſalvo cujusque terræ ſeu populi jure, ſtatu, & conditione.

9. Rexêrunt igitur terras & populos ſuos ex cujusque formula: Major ſcil. Bavariam ſalvâ autonomiâ ſuâ, ſalvoque jure Comitiorum Provincialium, quippe cui ipſe præfuit ut Dux Bavariæ, jure Carolo M. ex perduellione Thasſilonis in Ducatu quæſito; Populos verò Pannoniæ, Illyrici, & Slavorum, ex cujusq; harum terrarū formulâ, integrâ earum libertate, & integrâ pariter Comitiorum habendorum facultate: quibus verò Rex nec interfuit nec præfuit; ſed quæ in populis iſtis habita fuère ſub

Ducibus ſuis, inter quos Rex non fuit, nec earum terrarum Ducatus ipſi, ut in Bavaria, quæſiti fuère. At toti terrarum iſtarum corpori, tanquam propriæ civitati, & ad inſtar Regni, ut Rex Francorum præfuit: *per jam probata*. Unde & de reliquis fratribus eorumq; terris judiciū fieri poteſt. Alter enim terras ſuas & ipſe diverſo jure, & prout peculiaris cujusque forma ac ſtatus fuit, moderatus eſt; & incolumi ſemper Comitiorum uſu. Ita in Francia & terra Rhenenſi ipſe Rex Comitiis præfuit; quia fuêre immediatæ Regni Auſtraſiæ provinciæ, in quibus communia Regni Comitia haberi conſueverant. Illæ ergo immediatè ſub Rege & Regio fiſco fuêre, nec alium Ducem aut Magiſtratum proprium tum habuerunt, præter Regem; qui proinde tunc vices Regis Auſtraſiæ geſſit, & Comitia habuit. Ex adverſo atem Saxonia Comitia ſua ſub ſuo Duce habuit, nec Rex eis interfuit, ſed toti corpori terrarum ſuarum itidem ut Rex Francorum, quaſi jure regni, imperavit Atque ita omnibus his terris ac provinciis Germaniæ autonomia illibata, ſtatusque integer permanſit, Procerumque concurrente poteſtate mixtus fuit. Tertius vero fratrum, cujus Suevia fuit, nulla in ea Comitia habuit, cùm huic provinciæ autonomia indulta non fuerit, nec adeò ipſa, ipſiusve Proceres jura Comitialia habuerint. In ea igitur Rex ſolus, tanquam in ſtatu ſimplici & Monocratico

cratico Regiam poteſtatem, & immediatè exercuit, quippe quæ immediata regni Provincia fuit.

10. Adeò omnibus hujus Regni populis & Provinciis ſtatus ſuus integer, idemque, qui ab initio ſub Merovingis fuit, invariatè ſub Carolingis, non obſtantibus his diviſionibus perduravit, & ſemper duæ provinciæ, utraque ſcil. Auſtraſia, immediatæ & liberæ: Bavaria & Saxonia, mediatæ & liberæ: Suevia, immediata & non libera fuit: omnesque adeò perſtiterunt in ea lege, formula, & conditione, quà à Clodovæo M. & Carolo M. regno Franciæ unitæ ſunt. Nec hact. uſus fuit *ſubjectionis* mediatæ & immediatæ ex ſenſu poſterioris capitis, exceptâ Bavariâ, quia in cæteris Ducum, Comitum &c. non propriæ poteſtatis, ſed officii & adminiſtrationis nomina fuère. Atque in eo ſtatu inconcuſſi ſtetère, cùm Carolingorum linea Germanica deficeret: videndumque jam, quæ deinceps mutatio facta fuerit.

CAP. XXIV.

An & quæ mutatio ſtatùs Regni Germanici facta poſt Merovingos & Carolingos.

SUMMARIA.

1. *Tranſitus ad mutationes regni Francici poſt Carolingos.* *Q. An Germani, præteritis Caroli Calvi poſteris, Regnũ Franciæ Conrado I. deferre jure potuerint?*

2. *Quis tum fuerit ſtatus rerum in Germania?*

3. *Fueritne ergo novum hoc Regnum Germaniæ; an manſerit priſtinum regnum Franciæ Auſtraſiæ; idemque quod ſub Carolingis fuit? Poſterius aff. cum ſequentibus tamen mutationibus.*

4. *I. Ducibus Provinciarum data eſt poteſtas propria, quæ antè fuit merè adminiſtratoria: indeq; nova diſtinctio nata inter ſubditos mediatos & immediatos, poſterioris ſenſus; cùm antè omnes eo ſenſu fuerint immediati.*

5. *Notatur iterum diſcrimen inter corpus totius civitatis, magiſtratu & ſubditis conſtans, & inter perſonas ac jura Magiſtratus in ſubditos.*

6. *II. Omnes Provinciæ æquè liberæ fuère; cùm antea Sueviæ autonomia J. G. non eſſet.*

7. *Quod porrò illuſtratur.*

8. *III. Omnes Provinciæ Juris Germanici receperunt jus civitatis Francicæ ſeu Auſtraſiæ; quod Bavaria & Saxonia antea non habuit.*

9. *Quod pluribus exponitur.*

10. *IV. Proponitur quæſtio, cùm provinciarum aliæ fuerint mediatæ, aliæ immediatæ, reſpectu terrarum & civitatum, ex ſenſu prioris capitis, ſeu Jur. Gent. an in eo quid mutatum fuerit?*

11. *Oſtenditur, nihil mutatum fuiſſe reſpectu civitatis*

tatis cuique populo propria & originaria, ſed illarum omnium ſtatum integrum, & eundem ac antè fuit, manſiſſe: ſed acceſſiſſe jus civitatis Francica.

12. Repetuntur quaſi per indicem ejus rei effectus.

13. Hinc deducitur ultima, & maximi momenti mutatio in Jure Comitiorum regni, quod antea penes ſolum populũ Franciæ Auſtraſiæ fuit: nunc penes omnes Teutonici Juris.

14. Hoc recedere quidem à ſtatu veteris Franciæ, ſed fluere & ſequi ex iisdem rationibus ac jure Gent.

15. Recenſentur ordines hodierni Comitiorum, & eorum ratio ac cauſa evolvitur ex cap. 21. & 22. ubi primùm de Ordine Principum, Clericorum & Laicorum, cur omnes & univerſi, ſine diſtinctione Provinciarum, JusComitiorum cum virili ſuffragio habeant.

16. Deinde de ordine populi, cujus initio promiſcuum ſeu confuſum ſuffragium fuit. Id verò variè diviſum eſſe, & hodie populo in octo Curias diſtincto, octies geminari.

17. Utrum cujusque Provinciæ populus par jus ſtandi in Comitiis habuerit? Neg. ſed tantùm in terris & civitatibus immediatis.

18. Quod ſpecialiter explanatur de Bavaria & Saxonia, ceu mediatis.

19. Et de Suevia, Francia ac terra Rhenana, ut immediatis.

20. Q. An totus populus per ſe & ſingillatim comparuerit in Comitiis? Neg. ſed ſolos terrarũ immediatarum Proceres, & civitatum immediatarum Deputatos.

21. Grotius notatur.

22. Et

22. *Et veritas ex Wippone ipſo firmatur.*
23. *Senſus loci Wipponis, qui Slavorum quoq; mentionem fecit,*

§. I.

PRoduximus jam ſtatum Regni Auſtraſiæ, prout illud usque ab ævo Clodovæi M. Ipſiusque poſterorum, & maximè à Carolo M. auctum fuit, ad eam usque ætatem, quâ ſtirps Carolingorum Germanica defloruit: & docuimus, ipſius populos & provincias in eodem ſtatu immoto perſtitiſſe, nec quicquam usque eò mutatum fuiſſe. Diſpiciendum igitur jam eſt diligenter, an deinceps quid novatum fuerit, & quatenus? Equidem, cùm tunc adhuc ſuperſtites eſſent Carolingi ex linea Gallica Caroli Calvi, quæritur, an Germanis integrum fuerit, iſtis præteritis, Conrado I. deferre regnum Auſtraſiæ ſeu Germaniæ? Id enim plerique negant, quia regnum illud ſub Merovingis & Carolingis hereditarium, & jure ſanguinis atque ex lege ſucceſſionẽ in utraq; familia fuiſſe exiſtimant. At verò maximus iſte error eſt, ut longa ſerie demonſtrat *Hotom. Francob. tot. cap. 6. & cap. 16.* & oſtendimus *in J. publ. cap. 7. §. 13. & ſeqq.* Etiamſi enim Francorum Populus & Proceres, Regii ſanguinis Francici veneratione, & piâ recordatione ſummorum meritorum Clodovæi I.

& Ca-

& Caroli I. quin & ex aliis cauſis, quarum quasdam memoravimus *d. cap. 7. §. 16.* in regni ſucceſſione à familia regia non receſſerint, non recte tamen inde infertur, Regum filios aut agnatos ex neceſſitate legis, & jure ſanguinis ſucceſſiſſe, ſed manifeſtè contrarium, quia ſemper voluntate Procerum id factum fuit, ut probat Hott. *d. c. 6. & d. c. 16.* Accedit, quòd idem quoque Proceres Galliæ ſenſerint; quippe qui etiam ſuperſtite adhuc ex linea Gallica Carolo, Duce Lotharingiæ, eo prætcrito, Hugonem Regem fecêre, ex quo demum Galliæ ſucceſſio in hereditariam perpetuata eſt, ſimul Hugonis filio, Roberto, Rege declarato, ut regnum in familia maneret. *Maſſon. Annal. Franc. lib. 3. in princ.* Eſto verò, electionem legis quoque neceſſitate reſtrictam fuiſſe ad familiam regiam, ut ipſi quidem Reges, ſaltem in Gallia, contendebant, inde tamen naturâ ſuâ exceptæ ſunt juſtæ prætereundi cauſæ; uti neceſſaria confirmatio Epiſcoporum exemplo & argumento eſſe poteſt: quia alias voluntas Procerum fruſtra requireretur, & nulla planè electio foret. Qualium cauſarum abunde fuit: non tantùm, quòd qui reliqui erant in Gallia Carolingi, ipſis Gallis quoque jam inviſi & deſpectui dudum eſſent, adeò, ut Ludovico Balbo, Rege & Auguſto, mortuo, ab ejus filio, Carolo ſimplice, deſciverint, eoque rejecto, ſuperſtitibus adhuc cùm in Germania,

tum

tum in Gallia, Carolingis, vivente *Arnolpho* Auguſto, Odonem, planè alieni ſanguinis & generis, elegerint, eoque demum mortuo, & ipſius monitu, Carolum deinde Regem ſuffecerint; *P. Æmil. in Carol. ſimpl. fol. 87. Sigeb. ad ann. 890. & 899. Urſp. in Henr. I. fol. 151. Regin. lib. 2. fol. 429. & 432. Viterb. part. 17. ad ann. 881. fol. 545. &c.* Sed & quod Germani præterea, & jure meritoque, cauſarentur, Reges Galliæ à Germania alienos moribus, animis, & domicilio eſſe. *Mut. Chron. Germ. lib. 12. fol. 102.* Etenim Regnum Franciæ, diviſione inter Ludovicum Germanicum & Carolum Calvum, fratres, factâ, in duo diſtincta planè regna libera jam dudum in perpetuum diſceſſerat; ita, ut Galliæ Reges alterius jam juris, linguæ, nationis, & civitatis æſtimarentur, eaque ſeparatio longo ſucceſſionum ordine, & majoris ſeculi partis morâ jam evaluiſſet. Unde Carolingi lineæ Gallicæ jam peregrini, & juris Gallici, non Germanici videri poterant. Nam & antiquis Francorum legibus cautum erat, ne rex eligeretur peregrinus, ſed Teutonicæ civitatis. Nec illo tantùm, ſed & Gentium jure conſtat, Principem alibi in Regem electum ſortiri jus civitatis, ubi electus eſt, & perdere illud, quod antè habuit. *Vid. J. publ. cap. 8. §. 3. & utrumque Juris Germ. Speculum in locis ibi alleg.* Sed & vidimus jam, idem Galliæ Proceres ſenſiſſe, & non tantùm utrâque

que Carolinâ ſtirpe adhuc virente, Odonem aliunde adſciviſſe, ſed & ſuperſtite in Gallia Carolo, in Hugonem, & Capetorum gentem regnum perpetuo & hereditario jure migraſſe: denique Reges à Germanis electos ut tales agnoviſſe, & cum iis ut Germaniæ Regibus egiſſe. Fuit igitur tum, cùm Caroli M. progenies lineæ Germanicæ deficeret, regnum Auſtraſiæ ſeu Germaniæ vacuum non tantùm à Rege, ſed & à Regii ſanguinis Germanici reverentia, rediitque res ad populum & Proceres Auſtraſiæ.

2. Præterea verò nec inter ipſosGermanos convénit, idemne foret adhuc regnum Franciæ Auſtraſiæ, an novum fieret regnum Germaniæ? Hanc verò quinque Provinciarũ Duces ſeuPrincipes disſidiis & æmulationibus adeò laceraverant, ut vix in regni unitatem coalitura videretur. Etenim populi iſti, non minùs olim liberi & ſui juris ac ipſimet Franci, à quibus deinde bello ſubacti fuêre, ſublatâ victrice domô, priſtinam libertatem ſpirabant, eamque quaſi poſtliminio ſibi renatam eſſe vel ſenſerunt vel prætexuerunt, & vel communem Regem ſuperiorem pati noluerunt, vel faſtigio huic ipſi inhiârunt. Quæ ut ritè explicari posſint, perpendendum eſt, quæ tùm in Germania fuerit temporum ac rerum facies. Ultimus ſc. Carolingorum in ea fuit Ludovicus, Arnolphi filius, admodum puer; cui proinde tanquam tutores

ſeu

ſeu adjutores fuêre Hatto Moguntinus, & laudatiſſimus ille Otto, Dux Saxoniæ, Henrici I. pater: certè eorum præcipua & tum, & ſub Conrado I. fuit in regno autoritas, quorum manu, ut vivo Rege res Auſtraſiæ gubernatæ, ita &, eo mortuo, de alio Rege ei proviſum fuit. *Witechind. lib. 1. fol. 634. Peucer. in Chron. Car. lib. 4. in Ludov. puero, & Conrad. I. pag. 528. Avent. lib. 4. fol. 290. in fin. Cluver. in Ludov. IV. ad ann. 900.* Cùm enim Otto, Dux Saxoniæ, cui Franci & Saxones, autore Moguntino, primùm faſces regni obtulerant, ætatem excuſaret, ipſius ſuaſu Conradus I. è Principibus Franciæ electus eſt. Etſi enim aliquando omnium conſenſu Rex factus dicatur, *Ott. Friſing. lib. 6. cap. 16.* conveniunt tamen, inter Francos & Saxones id actum fuiſſe. *Urſp. ad ann. 913. fol. 149. Viterb. part. 17. in Conr. I. fol. 549. Naucler. vol. 2. gener. 31. fol. 723. Mut. Chron. Germ. lib. 12. fol. 102.* & alii, qui tantùm Francorum & Saxonum mentionem faciunt: & rectiſſimè, cùm cæteri acriter Conrado reſiſterent: nam & Bavari ſuum ſibi regem, Arnoldum elegerant, & Sueviæ Præfecti, Erchingerus & Bechtoldus, fratres cum Liutfrido ſororis filio, rebellârunt; & Giſelbertus, Dux Lotharingiæ, qui tunc Belgicam, in qua terra Rhenenſis, & regia Auſtraſiæ ſedes erat, tenebat, *Viterb. d. p. 17. fol. 551.* ei ſe oppoſuit; quin & mox, Ottone Saxone mortuo, filius ejus, Henricus Au-

ceps

ceps, infeſtisſimū ſe adverſarium Conrado exhibuit. *Luitpr. de Reb. Imp. lib. 2. cap. 7. Gobel. æt. 6. cap. 46. Sigeb. ad ann. 914. Cuspin. de Cæſar. in Conrad. I. fol. 363. Peucer. ad Chron. Car. lib. 4. in Conr. I. pag. 528.* Et quidem dicebatur Henricus multa aliena per vim occupâſſe, nec in eo modum feciſſe. *Mut. Chron. Germ. lib. 12. fol. 203.* Scil. posſidebat ille univerſam Saxoniam ſolus, unâ cum omni Thuringiâ, quæ, victo Herminfredo, Franciæ acceſſerat, ipſe verò eam Saxoniæ ſuæ, cujus olim pars fuerat, *ſup. c. 28.* §. *12.* §. *14.* aſſeruit, ſeque *Ducem Saxoniæ & Thuringiæ* dixit, & in eas propriam ſibi poteſtatem vindicavit: unde *primus in Saxonia libera poteſtate regnâſſe* dicitur. *Vid. J. publ. cap. 3.* §. *38. & ſqq.* Conradus igitur tot hoſtibus obſeſſus, Bavarum quidem, Arnolphum, armis fugavit; qui tamen interim in Hungaria latuit, & mortuo Conrado, Bavariam & regium nomen repetiit: *Sigeb. ad ann. 914. & ad ann. 920.* unde bellum ipſi cum Henrico fuit, quod hujus prudentiâ & comitate ita ſopitum eſt, ut Arnolphus ei ſe ſubmiſerit, & Bavariam totam proprio Ducatûs jure receperit. *Luitprand. lib. 2. cap. 7. Sigeb. ad ann. 920. Avent. lib. 4. f. 292.* Sueviæ verò perduelles meritis ſuppliciis à Conrado plexi, & Suevis proprius Dux Burchardus datus fuit. *Herm. Contract. ad ann. 917. & 918. Hepidann. Annal. ad ann. 916.* qui proinde & ipſe primus cum propria poteſtate Sueviam obtinuit:

Gold.

Gold. Alam. tom. 1. part. 1. Eckard. Jun. de Caſ. S. Gall. cap. 5. apud Gold. d. part. 1. fol. 18. nam qui antè fuiſſe ibi memoratur Burchardus, Dux Suevorum dictus, & occiſus, alius ab eo fuit, de quo *Luitpr. de Reb. Imp. lib. 3. cap. 4. Herm. Contr. d. loc. ad ann. 911. Hepid. d. l. ad ann. 925. Sigon. de Regn. Ital. lib. 6. ad ann. 926.* & tantùm è numero Præfectorum erat, quos Duces aliquando vocabant, cùm eſſent Cameræ Regiæ nuncii, ut probat *Gold. Alam. in gloſſ. ad Ratpert.* & *Eckhard. tom. 1. fol. 105. & 108.* atque ex eo *D. Obrecht. Prodr. cap. 10. pag. 220.* Cæterùm in duos reliquos Duces, Giſelbertum & Henricum Aucupem, Conradi conatus fruſtra fuêre. Quin Henrico ipſe, moriturus, inſignia regni conſenſu Procerum detulit. *Sigeb. ad ann. 919. Urſp. in hiſt. Henr. I. fol. 150. Eckard. Jun. cap. 5. ap. Gold. d. tr. fol. 29. Mut. Chron. Germ. lib. 12. fol. 104.* Qui, Rex factus, Burchardum Suevum, reſiſtentem ſibi, terrore armorum cohibuit: *Witech. lib. 1. fol. 637. Sigeb. ad ann. 920. Urſp. in Henr. I.* Lotharingiam verò cum terra Rhenana recepit, ſed mox Giſelberto, filiâ ſuâ, Gerbergâ, ipſi nuptui datâ, reddidit: *Sigeb. ad ann. 927.* & deinde Otto II. Carolum Ducem fecit, è Carolingis, qui usque ad Ottonem III. ſcil. ad annum 1005. ſuperſtites, & Lotharingiæ Duces fuêre. *Maſſon. Annal. lib. 2. pag. 204. & lib. 3. pag. 211.*

Atq;

Atque ita Conradus poſt Carolingos Rex primùm conſtitutus eſt; verùm Henricus I. pacatum demum regnum obtinuit, atque à 5 populis Germaniæ pro communi rege habitus & agnitus fuit. Equidem filio ipſius Ottoni I. Eberhardum, Franciæ, & Giſelbertum, Belgicæ, in qua terra Rhenenſis, Principes, (qui proinde regnum Auſtraſiæ pro diviſo tenebant) præfractè denuò rebellâſſe, ſed & brevi ab Ottone pulſos, alterum prælio, alterum aquis periiſſe, ſatis conſtat.

3. Ita ergo comparatis Germaniæ rebus, inprimis expendendum, quid in ſtatu veteri 5. Provinciarum ſeu populorum, & regni Auſtraſiæ, qualem ſupra depinximus, hoc facto immutatum fuerit; quô perſpectô, ut ſæpiùs monitum, unâ conſtabit, in cæteris eundem, qui antè fuit, durare. Ubi prima equidem quæſtio fuit: An regnum ipſum ejusque forma mutata, &, ſublato regno Franciæ Auſtraſiæ ſeu Orientalis, novum regnum Germaniæ excitatum fuerit? Id quidem ſentire videtur Aventinus, *lib. 5. fol. 301.* cùm ait: *Teutonicum regnum Franco ſucceſſiſſe.* Aſt longè veriùs antiqui negârunt novum regnum extitiſſe, &, quod antè fuit, deſiiſſe. Nec magis regnum Auſtraſiæ, ſeu Franciæ Germanicæ, novis his Regum electionibus aliud à priore regnum extitit, quàm imperio Romano à populo ad Imperatores translato, aliud Imperium Romanum;

etſi Imperatoribus ex Arabia, Hiſpania &c. accitis; quin & migrante ſede ejus in Græciam. Etenim perpetua illa naturæ & Juris Gentium lex ac ratio eſt; jure belli quæſita non perſonæ Regis cedere, ſed regno: quia ille non ut privatus jus belli habet, ſed ut caput & Princeps regni, & quaſi faciem reip. gerens. *de quo latè ſup. cap. 12.* Vis enim & arma non ſunt juſta acquirendi cauſa, niſi in populo libero, ejusve Principe quâ tali; quique non utitur jure privato ſed reip. quæ alium Judicem non habet. Idque ſub quatuor ſummis illis orbis Imperiis, inde ab Aſſyriis, quibus magna pars orbis belli jure adjecta fuit, perpetui Juris Gentium, tum in regno Franciæ certi & inconcusſi usùs fuit. Quod & utrumque Joh. Tilius, *de Reb. Gall. rubr. de Filiis Reg.* ita refert: *Res omnes à Francis parta accedebant Franciæ, ut à Romanis parta in rep. aut imperio cenſebantur.* Nam & totum negotium de novo Rege poſt Carolingos eligendo actum eſt voluntate Francorum, autore Moguntino, primario regni Francici Principe ſeu Antiſtite, reliquis populis etiam invitis, *ſup.* §. *2.* excepto Saxonico, quia inde Rex petebatur. *Urſp. ad ann. 913. fol. 149. Mut. Chron. Germ. lib. 12. fol. 101.* Quæ & cauſa fuiſſe videtur, cur Otto, Dux Saxoniæ, ſuaſerit, Regem è Francorum genere aſſumere: *Gobelin. æt. 6. cap. 46.* Quemadmodum & Conradus I. hortatore Ottone Duce, conſenſu ſaltem Francorum, ut jam di-

ctum

ctum, electus fuit: *Gobel. d. c. 46.* Et Henricus I. autore Conrado rege, conſenſu Francorum ſaltem rex creatus; (nam neutri aſſenſerunt reliqui. *ſup.* §. *2.*) *Viterb. part. 17. pag. 549. Naucl. vol. 2. Gen. 31. fol. 73. Urſperg. in Hiſt. Henr. I. fol. 150. Cuſp. in Conrad. I. fol. 263.* Unde & vere Aventinus *lib. 4. fol. 290. in fin.* ſcripſit: *Francos ſuo jure* in eligendis his Regibus uſos fuiſſe. Et Henricus I. in alloquio ad Arnoldum Bavarum provocat ad Senatum populumque Francum, à quo ipſe electus ſit, & cui jus eligendi adſerit. *ap. Avent. d. lib. 4. fol. 292.* Sed &, quod omnem ſcrupulum evellit, in antiquo Germanorum jure, quod duobus Juris Speculis, ut vocantur, comprehenſum eſt, de regibus, quos Germani Principes eligunt, diſerte cavetur, ut ſint Juris Francici: Er/ (der König) ſoll haben Fränckiſch Recht. Ita expreſſè *in Spec. Suev. lib. 1. cap. 22. §. 2.* & totidem verbis *in Spec. Sax. lib. 3. art. 54. §. fin.* Quin & in ipſa *A. B. tit. 5.* omnes terræ, per quas Comes Palatii Rhenenſis vice Regis imperium exercet, dicuntur eſſe *Juris Franconici.* Nec poſſunt jura Regni Germanici niſi à capite regni Francici duci, nec aliunde, quàm à Carolo M. ducuntur in *d. Spec. Suev. lib. 1. cap. 17.* in verb. die Teutſchen kieſen den Künig: das erwarbe ihn der Künig *Carle.* Atque hoc agnoſcunt quoque Canones, in *c. 34. X. de Elect.* ubi imperium *in perſona Magnifici Caroli à*

Græcis translatum in Germanos aſſeritur, & inde Principū Germaniæ jus eligendi Regem derivatur, etſi perperam id ſibi adſcribit Pontifex. Etenim in hoc jus Caroli ſucceſsêre deinde Reges Germani, Henricus I. Otto M. & cæteri. Unde Fridericus III. Carolum M. dixit *Anteceſſorem ſuum in Regno. in Reform. Judicii Weſtph. in Comitiis Imperii editâ, & à Maxim. I. repetita, de ann. 1495. §. 1.* in verb.: Als das von anbegin durch Käyſer *Caroln* den gröſſern / unſern Vorfahrn am Reich / geordnet *&c.* Neque adeò ab hoc fonte, ſine ſummo præjudicio, recedi poteſt: ſed indubitatè tenendum eſt, Regnum illud, quod Ludovicus Germanicus habuit, & de cujus ſucceſſione quæſitū fuit, ejus ſtirpe extinctâ fuiſſe verum regnū Auſtraſiæ, id eſt, Franciæ Orientalis cum provinciis ſuis Germanicis: neque illud cum Carolingis in Germania occidiſſe, nec alterius novi regni ſubſtitutione expirâſſe. Videamus ergo, quid in Germaniæ ejusq; populorū ſtatu alteratū fuerit: Quod de quinq; capitū ſeu jurium mutationibus quæri poteſt. 1. de Ducū poteſtate propria. 2. De Provinciarum Germaniæ libertate. 3. De Jure civitatis Franciæ. 4. De immedietate J. G. Et hinc 5. De Jure Comitiorum, hodiernoque ſingulorum ſtatu.

4. De *primo* conſtat, quòd ſub Carolingis Ducatus &c. fuerint mera adminiſtrationum & Officiorum nomina, deinde autem, & hodie, Provinciarum Ducibus poteſtas propria cum Juribus

bus regalibus, maximè ab Henrico I. imperti-ta. Hæc ab altera longiſſimè diſtat, atq; hujus præcipuè tractatus eſt. *d. c. 19.* Ex qua tum ſimul nata eſt, & cœpit inolere nova illa diſtinctio, hodie vulgata, inter *ſubditos* vel *cives* qui regno mediate vel im̃ediate ſubjecti ſunt, & ad poſterioris capitis quæſtionem pertinet, *Vid. cap. 19. §. 19. & 20.* de qua nunc non agitur; ſed de altera illa inter *terras* ſeu *civitates* mediatas & immediatas, quæ prioris capitis, & noſtri nunc argumenti ac Juris Gentium eſt.

5. Ubi iterum iterumque notandum illud maximi momenti diſcrimen latè jam demonſtratum, & ſæpæ inculcatum, inter corpus totius populi, ſeu civitatis, ac reip. prout conſtat, magiſtratu & ſubditis; & inter perſonam ac jura Magiſtratùs in Subditos, qui huic corpori præfectus, ejusq; & membrum & caput eſt. Ex priore fonte fluit medietas vel immedietas totius *civitatis* & *terræ*, ratione alterius civitatis, & eſt J. Gentium: ex altero, *ſubditorum*, ratione Magiſtratus ejusdem, ſeu ſuæ civitatis. de quo latè *d. c. 19.* Quo probè obſervato omnia, puto, plana & perſpicua fient.

6. *Alterum* caput eſt de ratione *libertatis*: differebunt enim antea provinciæ: quia Auſtraſia utraq; fuit abſolutè libera; quippe quæ ipsũ regnũ Franciæ orientalis conſtituerunt: Bavaria & Saxonica ex beneficio Autonomiæ: ſed hæc Sueviæ reſtituta non fuit, de quo jam ſatis. Hanc

verò differentiam inter provincias liberas & non liberas, poſt Carolingos prorſus abolitam fuiſſe, communicatâ Provinciarum Ducibus propriâ poteſtate cum Juribus Regalibus, in ambiguo non eſt. In ea enim plus adhuc eſt, quàm libertas: cùm omnis poteſtas propria ſit etiam libera; non contrâ, omnis libera etiam propria. Enimvero liberam Provinciæ pleræque jam antè habuêre; propriam non item. Occaſio hujus mutationis hæc fuit.

7. Cùm Ludovici Germanici ſtirps emarcuiſſet, omnes Germaniæ populi ac Principes libertatem ſummumque illud imperium, quod ante Clodovæum habuère, ſitiebant, & Ducem Saxoniæ, ſuperiorem ſeu Regem agnoſcere recuſabant. De eo itaque ſolo tum certatum diſceptatumque, non autem ulli populo Germaniæ à Regibus iſtis Germanis ſervitutis quæſtio mota fuit. Unde, cùm de hac cauſa ultrò quaſi tranſactum ita fuerit, ut Regem communem reciperent, id ſolum hac veluti pace de ſuâ, quam aſſerebant, libertatis causâ remiſerunt, ut ſub Rege eſſent; non, ne & liberi: & ne cum ſumma poteſtate, ſummoque illo libertatis gradu; non, ne in libertate, ſed ſervitute. Porrò ipſi Sueviæ, occiſis ob ſcelera Erchingero & Berchtoldo, Cameræ regiæ nunciis, Conradus I. Burchardum, è Gente Suevicâ, Ducem proprium dedit, *idque Sueviæ Principum aſſenſu. Eckhard. Jun. de Caſib S. Gall. cap. 1 apud Gold. Rer.*

Rer. Alam. tom. 1. part. 1. fol. 18. quod juſtum eſt argumentum autonomiæ & libertatis. *ſup. cap. 20. §. 36. & ſeqq.* Et, cùm deinde iſte quoq; Dux Henrico I. ſe opponere, & tyrannidem invadere anniteretur, *Herm. Contract. ad ann 918.* verùm bello ideò à Rege petitus ſe ſubmitteret pariter ut reliqui, Ducatum retinuit. *Cruſ. Ann. Suev. part. 2. lib. 3. cap. 8. in fin.* Denique id planè, ut dictum, ſequitur permiſsâ Ducibus propriâ & regali poteſtate, quam illi antea ne quidem habuêre, quaque continetur legum ferendi, & ſuis adeò legibus utendi poteſtas ſeu autonomia; & quâ proinde omnes provinciæ coæquatæ ſunt.

8. *Tertium* caput eſt de jure civitatis Francicæ; quod reliquæ Provinciæ, Bavaria, Suevia & Saxonia, non habuère; quippe liberi & ſui juris populi; quin regna, quorum cuique propria planè civitas fuit. Etſi enim jam antè omnes generaliter Germani fuerint, & juris Teutonici, non tamen omnes juris quoque Francici; ſed inter ſe ſpecialiter natione diſtincti fuêre Franci, Bavari, Saxones, & Suevi: ut liquet ex *Spec. Sax. lib. 1. art. 3.* ubi dicitur: *Advena non ſuccedit ſecundùm ſua perſona, ſed ſecundùm jura terræ Saxoniæ, cujuscunque etiam ſit, Bavariæ, Franciæ, vel Sueviæ nationis.* Atque hinc paſſim cùm in utroque Speculo, tum in legibus antiquis, à Lindenbr. editis, populi hi, eorumq; cives à Natione ſua ſpeciali diſcernuntur, & alio atq; alio jure utuntur. Et re-

fert Arnoldus Lubec. *in ſupplem. Chron. Helmoldi, cap. 24. in fin.* Henricum Leonem, Ducem Saxoniæ & Bavariæ, damnatum & proſcriptum Goslariæ in Saxonia, excepiſſe contra ſententiam; *Se oriundum de Suevia; neminem autem proſcriptione damnari poſſe, niſi convictum in terra Nationis ſuæ:* etſi illatio iſta falſa & nullius momenti ſit. Permanſit igitur in communis nationis Germanicæ populis ſpeciale cujusq; nationis diſcrimen, ita ut, licèt omnes fuerint Germani, atque hæc natio omnium communis; tamen inter ſe gente, natione & regnis diſtincti; atque hoc jus peculiaris nationis inconvulſum reſtiterit.

9. Verùm id quæritur, Anne præter hoc jus originariæ ſuæ civitatis, cujus αὐτόχθονες ſeu indigenæ ſunt, etiam recepti poſt Carolingos fuerint in jus civitatis Francicæ? Et omnino asſerendum eſt, cùm, vacante regno Auſtraliæ ſeu Orientalis Franciæ, id ageretur, ut Rex eligeretur ex Provinciarum Germaniæ Principibus, facto ipſo eos in jus Francicum cooptatos, & Francici quoque juris factos fuiſſe. Idque vel inde manifeſtum fit: quia, quod ſummum eſt in jure civitatis, omnes honorum & dignitatū, ſummorumque regni officiorum participes, quin & ſummæ ac regiæ poteſtatis capaces facti ſunt, adeò, ut usque ad interregnum non alii quàm harum 5 Provinciarum Principes ad hoc faſtigium electi fuerint; ut notavimus *in J. publ. cap. 12. §. 4.* Igitur in hac civitate regni Fran-

Francici duo tum populi, Franciæ ſcil. & terræ Rhenenſis, fuêre originarii & indigenæ; reliqui, ſcil. Bavari, Saxones, & Suevi, alterius originis & nationis, ſed in jus civitatis Francicæ admiſſi ac recepti. Atq; in eo quidem conveniunt; cæterùm é contrario in eo differunt, quòd Bavaris & Saxonibus geminæ civitatis liberæ jus fuerit; Suevis non item: quia Bavari & Saxones jam anteà fuêre αὐτόνομοι, & ſuo jure uſi ſunt, propriamque civitatem liberam habuêre; & præterea deinde jus civitatis Francicæ iis acceſſit; adeoque in ſua civitate fuêre originarii & indigenæ; in alterâ, aſſumti. At Suevia, cui autonomia & propria civitas reſtituta non erat, jam antea fuit membrum Franciæ immediatum, ſed non liberum. In ea ergo nihil mutatum fuit quàm quòd jam libera facta, & immediatè membrum regni Francici liberum ſit, adeoq; Suevi nunc Francorum jure non aliter utuntur ac Franci ipſi, ſcil. jure libertatis. Nam, licèt jam antè non ſuo, ſed Francorum jure vixerint, tamen tunc ex cauſa ſervitutis, tanq. jure alieno, ut bello victi, & non liberi; nunc ex cauſa libertatis, adeoque ut jure ſuo, perinde ac ipſimet Franci. *Vid. ſup. cap. 13.* Bavari verò & Saxones, uti geminâ civitate, ita & gemino jure utuntur; ſed utroque ut ſuo: quia & ipſi in jus civitatis ſeu regni Francici recepti ſunt, adeoque, ut duarum civitatum cives, in utraque, ut cives, ſuo jure uti, intelliguntur.

10. *Quartum* caput eſt de provinciarum & populorum immedietate Jur. Gent. ſeu prioris ſensùs. *ſup.* §. 4. & *cap.* 19. ſcil. quâ non quæritur, utrum in Provinciis Principes ſeu Magiſtratùs propriam poteſtatem in ſubditos habeant, & hinc hi Regi mediatè ſubjecti ſint; an adminiſtratoriā ſaltem, & ideo ſubditi ſint mediati? ſed quâ quæritur de terra & rep. ſeu de toto corpore civitatis vel populi, quo & caput & membra, ſeu magiſtratus & ſubditi, continentur ac intelliguntur; utrùm hoc corpus civitatis ſit membrum regni Francici immediatū, & inde bonum regni hujus Francici publicum immediatè ipſis commune, communisque ejus cura, & de eo ſtatuendi poteſtas? Et jam pridem demonſtratum eſt, ſub Merovingis & Carolingis Bavariam & Saxoniam fuiſſe hoc ſenſu terras ſeu civitates Regni Francici ſeu Auſtraſii mediatas; Sueviam verò immediatam. *cap.* 8. & *paſſ.*

11. In hoc autem articulo nulla penitùs facta mutatio apparet; & tantum abeſt, ut hoc provinciarum diſcrimen expunctum ſit, ut hodieque eadem prorſus differentia, ejusque uſus exactisſimè veteri illi rationi conveniat, atq; ex ea adhuc tota Comitiorum ratio explicetur. Hinc hodieque Suevia, Francia, & Terra Rhenenſis, ſeu utraque Auſtraſia, fuère Provinciæ Regni Francici immediatæ; Bavaria verò & Saxonia mediatæ; uti fuère ſub Carolingis;

nec

nec hactenus quicquam immutatum. Cæterùm ſingulariter hoc loco advertendum eſt, quod *ſup.* §. 8. docuimus, tribus Provinciis poſt Carolingos acceſſiſſe jus civitatis Francorum, atque hinc duplicem ſingulis eſſe civitatem; alteram nativam ſeu originariam, & cuique provinciæ propriam; alteram poſt Carolingos aſſumtam, & communem; dum ſucceſsêre quoque in jus civitatis & regni Franciæ. Hac verò acceſſione non ſunt confuſa harum civitatum jura, ſed mansêre omnia cuique integra & ſalva; ſalvus ſuus cuique ſtatus, ſalva forma, & propria cujusque populi conditio. Ita intuitu civitatis comūnis regni Francici, omnes Provinciæ, etiam Bavaria, Saxonia, & Suevia, ſunt immediata ejus membra; quales ſunt cives in civitatem alienam recepti. *cap. 20. §. 45.* Verùm reſpectu civitatis ſuæ originariæ & cuique propriæ, eadem forma ſtatùs invariata perſtitit, ut antè fuit: ut Bavaria & Saxonia, autonomiâ victis reſtitutâ, ſuis legibus & Magiſtratibus uſi fuerint; Suevia non item. Atque hinc Bavaria & Saxonia mansêre ex autonomia provinciæ regni Francici mediatæ; Suevia, immediata. Quâ ratione conſtat, & ſub Carolingis fuiſſe & hodieque haut interrupta ſerie in regno Francico eſſe duas provincias mediatas; Bavariam & Saxoniam; & tres immediatas, Franciam, terram Rhenenſem, & Sueviam.

12. Quibus expoſitis jam planiſſimè intel-

ligun-

liguntur cauſæ diſcriminum inter provincias, & earum populares ſeu Provinciales. Hinc enim in tribus Provinciis immediatis Proceres, uti Comites, Barones, ut & Civitates regulariter, nec non Miniſteriales, ſeu Nobiles, ſunt im̃ediati, & immediata Imperii membra, & im̃ediata Regni judicia: & quidẽ, Rothwilenſe omnibus commune & ſuperius; alia cuique propria, & Rothwilenſi ſubjuncta. de quibus *in J. publ. c. 32*. Econtrario in Bavaria & Saxonia iſta omnia mẽbra ſunt mediata, uti à prima acquiſitione fuerunt; Bavariæ, ex Clodovæi M., Saxoniæ, ex Caroli M. beneficio, quo ipſis autonomia, adeoq; propria civitas, reſtituta fuit. In his duabꝰ ergo omnia in contrarium obtinent, ut, niſi ſingulariter exemti fuerint, mediati ſint Comites, Barones, civitates, mediata quoque judicia. Atque ita in tribus prioribus & Officia, & judicia, & miniſteria ſunt Regni & Regis, in duabus reliquis, Provinciæ, ſeu Ducatùs & Ducis. In Weſtphalia quid ſingulare ſit, ſæpe vidimus; terram & miniſteria eſſe mediata, & ipſius provinciæ; at Magiſtratus ac judicia, Regni. *Vid. J. publ. cap. 9.* An verò hodie, ex quo omnibus Statibus autonomia & autocratia quæſita eſt, & ad quid conducant hæc regni judicia, cùm de eo in Comitiis ſæpe diſceptatum ſit, nos meritò judicium abſtinemus.

13. *Quar-*

13. *Quintum* deniq; caput & palmarium eſt Jus Comitiorum, ſanctiſſimæ iſtæ congregationes populi, quibus de ſalute & felicitate, beatoque civitatis ſtatu, denique de ſumma omnis reip. conſultatur & ſtatuitur; in quibus vis omnis ſummi Imperii verſatur, effectumque accipit. Verùm his ſtrata jam via eſt *cap. 21. & cap. 22. §. 11. & ſeqq.* ubi de Comitiis ita actum, ut univerſa ipſorum ratio ſibi jam conſtet; quæ cùm uſu gentium mirificè & in tantum conſpirat, ut Comitiorum cùm conditio, tum ipſa poſt Carolingos facta eorum immutatio, ſponte ſuâ ex fontibus *d. cap. 21. & 22.* recluſis, promanet. Etenim tum ad Comitia regni univerſalia ſolos utriusque Auſtraſiæ Proceres & Cives admiſſos, Bavaros autem, Saxones, & Suevos, inde prorſus excluſos fuiſſe conſtat, & latè oſtenſum *cap. 22. §. 11. & ſeqq.*

14. Et hos oportuit eſſe excluſos, cùm nec haberent jus civitatis Francicæ, & nec Bavari ac Saxones immediati, nec Suevi liberi eſſent. Hæc igitur cùm in fatali illa periodo, quâ Ludovici Germanici proles deſiit, & regnum Auſtraſiæ ſeu Orientalis Franciæ vacavit, immutata fuerit, etiam Comitiorum jus mutari, eàdemque fata ſequi neceſſe fuit. Enimverò oſtenſum jam eſt, Bavariæ, Saxoniæ, & Sueviæ Principes primùm ultrò recepiſſe jus Francicæ civitatis, & pulſis occiſisque Auſtraſiæ Principibus, Eberhardo & Giſelberto, qui ſoli regi è Germanis electo adverſabantur, facilè obtinuiſſe;

nuiſſe: *ſup.* §. *8.& ſqq.* atque hac re effectum fuiſſe, ut hæ provinciæ adſcitæ fierent civitatis hujus Francicæ communis immediata membra, *ſup.* §. *10.& ſqq.* libertate quoq; omnibus æquatâ. *ſup.* §. *6.* Unde ſequitur, his quoque provinciis aditum ad Comitia univerſalia Regni Francici ſeu Auſtraſiæ patère debuiſſe, tanquam regni iſtius, ex aſſumta ejus civitate, civibus, & membris immediatis ac liberis. Eſt igitur inſignis iſta mutatio, quòd, cùm antea Jus Comitiorum duabus provinciis, utrique ſcil. Auſtraſiæ, proprium ſub Carolingis fuerit; id deinde omnibus provinciis Germanici Juris commune factum ſit, idque vi receptæ civitatis juris Francorum.

15. Sed jam ulteriùs diſpiciendum, quibus in quâque provincia aditus ad Comitia generalia patuerit. Etenim vidimus, Gentibus ferè placuiſſe, idque optima ratione, ut Comitia ſua in duas claſſes, Principum & reliquæ multitudinis, diſpeſcerent: & eo quidem diſcrimine, ut Principum ſuffragia numerarentur, & viritim ferrentur; populus verò communi clamore, & quaſi conſpiritu, Principibus vel applauderent, vel contradicerent. Ac prætereà Comitiis & ſacrum & ſecularem ordinem interfuiſſe, *ſupra* oſtendimus. Quæ omnia ita ſub Germanis Impp. in Comitiis generalibus Germaniæ obſervata ſunt: & initio quidem pauci fuêre in Principum ordine, ſcil. Duces provinciarum, & Cleri-

Clericorum præcipui; ſed crevit mox, & ſenſim, Principum numerus ex iis cauſis, quas recenſuimus *J. P. cap. 15. §. 29.* quibus proinde omnibus virile ſuffragium, ut Principibus, competere debuit, ſine diſtinctione Provinciarum; quippe qui omnes jus Francorum nacti, extitêre immediata & libera ejus membra. Atque ita omnes Germaniæ, nec Franciæ tantùm & terræ Rhenenſis, ſed & Saxoniæ, Bavariæ, & Sueviæ Principes indiſtinctè utuntur jure Comitiorum & ſuffragio virili.

16. Alter Comitiorum ordo, ſcil. populus, initio ex ſimplici ritu Gentium unam tantùm Curiam conſtituit, & ſuffragium promiſcuum, tanquam in turba, clamore vel alio indicio, aliisque ſignis dedit. Verùm conditis deinde urbibus ſegregatio quædam ſenſim facta eſt, & civitates in propriam & à reliquo populo ſeparatam curiam ſeceſſerunt; unde nata gemini ſuffragii promiſcui ſeu curiati, der Reichs Land Stände / und der Reichs Stätte / conſuetudo. Ad eundem modum Clerici quoque & Laici, non promiſcuè convenire, nec in commune conſulere, ſed ſejunctos inter ſe conventus habere; quæ res peperit aliam promiſcui illius ſuffragii diviſionem ſeu geminationem, der Prælaten und der Weltlichen Stände. Sed nec hi, die weltlichen Stände / unitatem conventûs & ſuffragii ſervavêre: nam & diſtinxêre

ſe

ſe curiis, eaque occaſione ſuffragii quoque confuſi uſu, in hoc ordine populi, die Ober und die Unterlanden; illi, qui in ortum habitant; ut Suevi & Franci; hi, qui in occaſum, ut Rhenenſes & Weſtphali &c. Et hinc, cùm hi, die weltlichen Stände/ jam diviſi eſſent in duas claſſes, Stätte und Land/ quæque claſſis iterum in duas diverſas curias abiit, & tam civitates, quàm reliqui ſtatus ſeculares, der Ober- und Niederlanden/ in peculiares ſingulæ curias coiverunt; & ſuffragium illud promiſcuum iterum diviſerunt. Ita factum, ut & civitates, & reliqui ſtatus ſeculares in ordine populi, (de Principibus enim *vid. §. 14.*) der Ober-Landen/ ſcil. Sueviæ & Franciæ, peculiari curia, ſub nomine der Schwäbiſchen Graffen- und Schwäbiſcher Stätte-Banck/ utantur; & civitates ac reliqui in ordine populi ſtatus ſeculares der Nieder-Landen/ ſcil. Terræ Rhenenſis & Weſtphaliæ, ſub nomine der Rheiniſchen Stätte/ und Rheiniſcher oder Wetterauiſchen Graffen-Banck. Qua ratione autem ſuperiore ſeculo Comites duo, &, ad horum æmulationem, Prælati unum ſuffragium adhuc obtinuerint, & illis adeò quatuor, his duo ſuffragia indulta fuerint, conſtat, & dictum eſt. *J. P. cap. 20. §. 16. & ſeqq.*

17. Supereſt verò præcipui momenti quæſtio; Utrum ergo omnium Provinciarum populus pariter jus comparendi in Comitiis habeat? Ita enim Wippo, *in vita Conradi Sal. cap. 2.* gene-

generaliter refert, præter Principes ſeculares & eccleſiaſticos conveniſſe *Saxones cum adjacentibus ſibi Slavis, Francos, Noricos, Alemannos, & cis Rhenum Ripuarios & Lotharingos.* Verùm nec tum eadem fuit provinciarum conditio, nec hodie eſt, idque liquet ex hact. traditis. Atque hæc quæſtio jam pendet à forma cujusque provinciæ, ſeu jure civitatis patriæ vel originariæ, & cuique propriæ, & requiritur, ut populi, qui Comitiis intereſſe poſſunt, ſint Regni cives immediati & liberi: ex cujus regulæ jam demonſtratæ principio ſequitur, populum Bavariæ & Saxoniæ (de Principibus dixi §. *14.* qui omnes jure ſuffragii gaudent) non habere jus & ſuffragium in Comitiis, quia non ſunt immediati, ſed utraque Provincia regni mediata: unde nec Comitum, nec Civitatum, nec Prælatorum harum provinciarum Curiæ ſeu ſcamna exiſtunt in Comitiis. At contrà, populus Franciæ, terræ Rhenenſis, & Sueviæ, Comitiorum Regni capax fuit, quia iſtæ provinciæ ſunt immediatæ, & Suevia quoque ſub Germanis Impp. libera.

18. Scil. quod ſæpius jam expoſuimus populi Bavarici & Saxonici propria ſeu originaria civitas alia & diverſa eſt à civitate regni Francici ipſis acquiſitâ & adventitiâ: Igitur Illa, quæ originis eſt, non eſt immediate membrum Franciæ, ſed propria ex capite autonomiæ civitas quæ inde peculiaria ſua Comitia habere

 poteſt

poteſt; attamen mediatè ejus pars eſt, quia regni ſubjecta eſt. Itaque populo, quia ſuis legibus & Magiſtratibus ab autonomia utuntur, non poſſunt intereſſe Comitiis populi Francici ſeu regni, quiâ non ſunt membra immediata populi Francici, ſed populi Bavarici & Saxonici. Unde nec ipſi, nec Magiſtratus ipſorum, Comites, Barones & Civitatum Moderatores, comparent in Comitiis Regni ſeu populi Francici, cujus ipſi non ſunt immediata membra; ſed alterius populi, *ſup. cap. 22 § 5.* & Bavariæ ac Saxoniæ principibus ſubjecti. Ex his igitur Provinciis regulariter nemo ex altero ordine populi Comitiis intereſt, ſed ſoli Principes ex primo: *ſup. §. 14.* qui & cives Francici ſunt, ex receptione per §. *9.* & liberi ex autonomia; & immediati, non reſpectu ſuæ civitatis ſeu originis, ſed aſſumtæ Franciæ; quemadmodum quilibet civis qui ſalva origine in aliam civitatem recipitur, fit immediatum membrum civitatis receptæ, & quoad hujus jura; ſed reſpectu originis ſeu loci natalis, & quoad illius jura, nihil mutatur, ſed ſtatus & conditio ipſius & omnia ipſi ſalva ſunt. Atque ita Bavari & Saxones, quà tales, ſeu, ut cives Bavari & Saxones, non ſunt immediati cives Franciæ, ſed ſuæ originis: ſeu loci natalis; verùm quâ in jus Francorum recepti.

19. E contrariò populi Suevici nulla fuit civitas quàm Francica, quia victis autonomiâ, ſeu ſuis legibus & ſuo magiſtratu uti permiſſum

ſum non fuit; *J. P. cap. 3. ſect. 2. & ſup. paſſ.* adeoque nec propria iis civitas fuit à Francicá diſtincta; nedum peculiaria Comitia; ſed jure belli & victoriæ ſimpliciter in jus populi Francici tranſiêrunt, ejusque adeò pars immediata facti ſunt, at non ſui, ſed alieni (Francici ſcil.) juris. Unde, cur populus Suevicus ſub Carolingis ad Comitia regni vocati non fuerit, cauſa non fuit, quod non fuerint immediati; ſed quòd non fuerint ſui juris, ſuæve poteſtatis, negatâ autonomiâ. Hoc verò impedimentum in hac poſtrema ſtatùs regni Francici cataſtrophe, à deceſſu gentis Carolinæ in Auſtraſia, planè remotum fuit, omnisque ſervitutis mentio in populis Germaniæ, ſublatis maximè, ut dictum, Francici ſanguinis Principibus, Eberhardo & Giſelberto, penitùs conticuit. Igitur, non tantùm Sueviæ Principes ex primo ordine virilium ſuffragiorum, *per* §. *14.* ſed & cæteri populi Suevici, Magiſtratus, Comites, Barones, civitates, &c. regulariter non Duci, ſed immediatè regno Francico ſubjecti, immediatumque ejus membrum, perinde ac ipſe populus Franciæ ac terræ Rhenenſis, fuêre; unde ex prædictis rationibus aditus Comitiorum Sueviæ non magis, quàm ipſius Franciæ & terræ Rhenanæ, Proceribus & civitatibus præcludi potuit; cùm & omnes fuerint civitatis Franciæ; Suevia, jure gentium ſeu belli in id jus tranſlatum; reliquæ duæ jure o-

Hh 2 rigi-

riginis: omnes æquè immediatæ, & jam pariter liberæ. Unde omnium ratio pleniſſimè ſibi conſtat; nec de Weſtphaliæ ſtatu, qui latè jam evolutus eſt, & in Append. I. dicetur, aliquid addere ſuperfluum eſt.

20. Tametſi verò de populo in genere dici ſoleat, eum convenire in Comitiis, non tamen credendum eſt totum populum ex omni Germania ad Comitia profectum, omnesque in unum Comicilii locum congregari potuiſſe: quos armatos conſediſſe ait *Tac. de M.G. c. 11.* Neque verò ita omnes invicem, neque Principes loquentes audire, neque de rebus conferre; denique nec aliorum ſententias cognoſcere, neque ſuas exponere potuiſſent. Etſi igitur in Comitiis regni populus Francorum conveniſſe dicatur, tamen non ſinguli admiſſi ſunt, nec per ſe comparuerunt, ſed per Magiſtratus ſuos; qui immediata regni membra fuêre, uti immediatarum terrarum Comites, Barones, & civitatum immediatarum oblegatos. Atq; hoc ex vetuſtiſſimo Germanorum Gallorumque, inſtituto teſtibus. Tacito *de M. G. cap. 11.* & Cæſare *de B. G. cap. 4. & 5.* deſcendit. Quod & Grotius in literis ad Pontanum datis; quas iſte tractatui ſuo, *de Orig. Franc. lib. 6. cap. II. pag. 476.* inſeruit, ita explicat: *In conventus Germanorum non admiſſos è plebe ſingulos, multa mihi perſuadent. Primùm vicorum pagorumque regimen erat non penes plebem totam, ſed penes Principes &* dele-

delectos è plebe, quos COMITES PRINCIPUM Tacitus; Cæſar MAGISTRATUS, diſtincto à Principibus nomine, appellat. Jam verò, ut è pagis natio aut civitas conſtabat; ita ratio oſtendit, eos, qui ſingulatim pagis praerant, collectos toti civitati praſuiſſe. Nam ut ad totum corpus reip. regendum vocentur, qui à partibus ſint excluſi, inauditum arbitror. Apud Gallos, Germanorum conſanguineos plebem conſilio non adhibitam cùm dicat Cæſar, ſequitur, multitudinem apud eundem Autorem intelligi debere ingentem numerum eorum qui vices pagisque praerunt. Strabo ſanè, cùm Αριστοκρατικὰς *dixerit,* πολιτείας, *ac ſubjungat electionem factam* ὑπὸ τȣ͂ πλήθȣς, *non poteſt meo judicio aliud* πλῆθος, *quàm multorum Principum Comitumque in unum congregatorum intelligere. Adde jam, quòd hiſtoriæ, quæ Romanam magnitudinem proximè ſequantur, & NB. perpetua conſuetudo earum Nationum, quæ in veteribus inſtitutis ſemper mansère, oſtendit, non omnes in Concilium vocatos; ſed ſolos Principes, hoc eſt nobiles; & è plebe quosdam aut judicio delectos, aut certè eos qui latiſſimè agros poſſiderent. Hæc quidem mihi videntur, quæ, ſi neceſſe ſit, firmare poſſum pluribus argumentus.* Qui locus, in genere exprimit vernaculam cùm in antiqua, tum in hodierna Germania, & regno Franciæ, Comitiorum ideam, etſi ratio non ubique ſatis conveniat; Jam enim oſtendimus, quo jure Principes, & quo jure magiſtratus & Proceres populorum è terris immediatis ſedes in Comitiis habuerint: non ſcil. ex ſpeciali vel admiſ-

ſione vel excluſione, ſed ex rationibus ac forma cujusque provinciæ & uſu Gentibus ferè communi.

21. Atque ita fruſtra ambigitur; num ſinguli é plebe fuerint admisſi? Et fallisſimè dicitur, *é plebe quosdam aut judicio electos, aut certè eos, qui latiſſimè agros poſſiderent:* Quemadmodum & illud fallit, quòd nomine *Principum* omnes *Nobiles* intellecti fuerint. Ex dictis evidens jam eſt, ſive populum ſive plebem é terris immediatis comparuiſſe per ſuos Proceres, vel Magiſtratus, qui omnes immediati Proceres regni, eoque omnes ſuo ſenſu *Primores regni*, ejusque ordines ac ſtatus fuêre; & ſunt hodieque.

22. Neque adeò cavillandum eſt in loco Wipponis *d. tract. c. 2.* qui indiſtinctè Saxones (quin & adjacentes iis Slavos, Francos, Noricos, Alemannos; & cis Rhenum, Ripuarios ac Lotharingos præſentes fuiſſe teſtatur. Quod multò verisſimum eſt: hæ enim ſunt ipſæ illæ 6 provinciæ Juris Germanici, quarum poſt Carolingos jus Comitiorum fuit. Sed quæritur: Omnes per ſe & ſingillatim, an per Proceres velModeratores ſuos comparuêrint? Quod poſterius indubium eſt, uti tum ex jam dictis tum ex ipſo Wippone evidens, qui expreſſe *d. c. 2.* refert; harum terrarum cunctos Primates conveniſſe, & ad Rhenum caſtra locâſſe. Facilè enim intelligitur, horum Procerum quoq; ex

ex omnibus his terris, cum Comitatu ſuo ingentem ſatis numerum fuiſſe, ut turbæ, multitudinis, ſeu populi nomine plane venire potuerit: quanquã & rectè populi Comitia dicuntur, quando vice populi Proceres, qui eum repræſentant, convenêre.

23. Sed nec mirum videbitur, Wipponem *d. c. 2.* etiam Slavorum Saxoniæ adjacentium meminiſſe. Nam hæc terra Saxoniæ adjacens, eſt Vandalia, quæ Slavorum ſeu Venedorum terra erat; verùm in qua tum jam dudum ab Henrico I. fundatus fuit Marchionatus ſeu Ducatus Brandeburgicus juris Teutonici; & more temporum, vicinæ Saxoniæ accenſitus. *Vid. J. P. cap. 3.*

24. Cæterùm etiam atque, etiam teſtor, quæ *in J. P. cap. 3. ſect. 4. in fin.* ſcripſi, in ullius hominis nedum Principis præjudicium dicta velle. Nec verò quicquam officiunt; Etenim quæ terræ fuerint Slavorum, & qùod illæ jus ſuffragii in Comitiis Germaniæ non habuerint, conſtat & ubique in confeſſo eſt, uſusque hactenus reſpondet. Id verò non impedit, quò minùs juſtæ cauſæ eſſe poſſunt petendi ſuffragii: Sed inde ſemper abſtineo judicium. Certè ex dictis liquet, Principes olim virilia ſuffragia habuiſſe: Deinde ſenſim fieri cœpit, ut pluribus Principatibus in unum Principem concurrentibus, ſuffragii jus quoque geminaretur quæ nunc miſſa facimus.

Cap. XXV.

Specialis reſponſio ad Objectiones aliquas.

Quæ in contrarium moventur, ſatis frigida & talia ſunt, ut nobis oppoſita eſſe vix animadverti poſſet, niſi id additum teſtatumque fuiſſet. Mirum eſt omnia ita miſceri, quæ ſejunctiſſima ſunt ita vagari ut nihil cohæreat. Omnia abunde jam demonſtrata ſunt; non quòd hæ objectiones tanti fuerint, ſed quia Autonomia J. G. nondum tractata, quin ignorata fuit. Ut tamen uno conſpectu pateat objectionum vanitas breviſſimas reſponſiones ſubjiciemus, & ſunt ſequentes:

Objectio I.

Francici, quæ rationibus ſuis propius adſcripſerunt, non regni, ſed Ducatus ſimilive tituli tenuiſſe, ipſa autem terræ eodem modo, quo cæteræ, Imperio Francico unitæ videntur, utut ei, cùm poſſeſſores earum ſimul eſſent Reges, addictiùs paruerint: id quod exemplo ditionum Auſtriacarum hodie intelligi poteſt.

RESP.

RESP.

Nihil horum hic quæritur, aut quicquam huc facit: ſed quæſtio eſt, cur quædam provinciarum à Francis devictarum ſint terræ vel civitates Regni mediatæ; quædam immediatæ; & qui inde effectus? Quid huc titulus? Quid addictior paritio? Quid res Auſtriacæ? Manifeſtus autem error eſt, terras eodem omnes modo Imperio Francico unitas fuiſſe.

OBJECTIO II.

Thaſſilone & filio ejus damnatis, Ducatus Bavariæ Carolo M. apertus fuit, qui alium Ducem non fecit: ſed ſuo nomine Præfectos dedit, in eoque ſtatu ſub Carolingis ille duravit. Jur. Publ. d. c. 3. §. 7. Ergo illo tempore Bavaria non mediata, ſed immediata provincia fuit.

OBJECTIO III.

Vice verſa, Conradus I. Burchardum Sueviæ Ducem conſtituit, quem deinde ipſo Conrado & Henrico I. Regibus rebellem Henricus domuit, ſed Ducatum eo jure, quo & ipſi Saxones in ſuo Ducatu tum utebantur, tenere facile paſſus eſt, ex quo continens Ducum ſucceſſio. d. c. 3. §. 23. Ergo Suevia tum fuit mediata.

Objectio IV.

Henricus I. Cæſar creatus, uti reliquis permiſit, laté & cum libera poteſtate regnare in Ducatibus ſuis; ita & ipſe eâdem latiſſimè uſus d. c. 3. §. 42. & eo tempore omnes provinciarum Duces non nudi Officii jure, ſed cum propria poteſtate, ut Ipſe Henricus I. præerant. d. c. 3. §. 71. conf. c. 15. §. 1. Tùm igitur omnes provinciæ fuère mediatæ. Ante illa tempora verò Carolus M. omnium Provinciarum Duces ſuſtulit, Comitesque ſubſtituit, d. c. 3. §. 94. Imò ſub Carolingis omnis Procerum poteſtas fuit merè adminiſtratoria; iis verò extinctis, placuit, ut ſinguli populi ac Provinciæ ſub Ducibus ſuis, ſalva Majeſtate Regis & Regni haberent propriam poteſtatem d. tr. cap. 15. §. 43. Ergo ſub Carolingis omnes Provinciæ, immediatæ, poſt eos verò mediatæ fuère.

Objectio V.

Diſcrimen hoc non ſemper invariatum duràſſe, quia axioma Regium per plures ivit familias; hinc, ſi Francia fuit provincia immediata, quando Franci rerum ſunt potiti, idem dici poſſe videtur de Saxonia, poſtquam ad Saxones Regia poteſtas devenit.

Resp.

Confunditur jus & conditio totius civitatis, cum jurè & poteſtate, quæ ad perſonam Prin-

Principis ſpectat: quæſtio, utrum corpus aliquod populi, ſit immediatum civitatis membrum, an propria civitas, adeoque non pars alterius niſi mediata; cum quæſtione, an proximus civitatis magiſtratus ſubeitis propria poteſtate præſit, adeoque ſuperior non niſi mediatè. Igitur in Obj. II. damnato Thasſilone, & totum corpus civitatis Bavaricæ, ex Duce & populo conſtans, propter autonomiam ſuam, fuit mediata regni Francici terra, & ſubditi Bavariæ, Regi Franciæ non niſi mediatè ſubjecti fuêre. Et Carolus M. ejusq; ſucceſſores duplicem perſonã & magiſtratum repræſentârunt reſpectu Bavariæ; Regis, quia pars Regni fuit mediata & Ducis Bavariæ, ex felonia Thasſilonis. Neutro igitur ſenſu tum Bavaria fuit imediata Eadem confuſio eſt in cæteris, idemque error. Nam in Obj. III. Sueviæ terra & totum corpus civitatis ſemper victoriæ jure fuit immediatum membrum Franciæ; ſed ſubditi Sueviæ, ex quo in Ducatum erecta & cum propria poteſtate fuit, regno & Regi Franciæ paruerunt mediatè. Iterum in Obj. IV. omnia miſcentur. Sub Henrico I. ex poteſtate propriâ Ducibus provinciarum conceſsâ ſequitur, quòd Ducum horum Subditi ipſis immediatè, atque adeò Regi mediatè paruerint; ſub Carolingis autem, ubi Ducum propria poteſtas non fuit, omnes immediatè. Non autem ſequitur, aut inde inferri

poteſt

poteſt, utrum corpus totum provinciæ, quo & Dux ipſe & Subditi peræque continentur, ſint membrum Regni Franciæ mediatum aut immediatum. Quod aliud longè eſt, & ſtatum totius terræ, populi, ac civitatis concernit, non ſolum jus ac poteſtatem Principis.

OBJECTIO VI.

Non videtur illa provinciarum diverſitas eſſe adæquata omnesque Germaniæ partes complecti: cùm enim ſeptem illæ cardinales Provinciæ variè diſtractæ, multis partibus truncatæ ſint, non liquet, quâ formulâ novi Status inde orti, Germaniæ fuerint uniti. Utut igitur diviſio illa non planè improbanda, ad eam tamen in explicanda nonnullorum origine non ſatis tuto provocari poſſe videtur.

RESP.

Hoc verò nimis abſurdum, & relatu indignum eſt. An electio novi Succeſſoris mutat ſtatum regni. Ita in electivis ſemper alio Succeſſore electo aliud regnum fieret: quo nihil abſurdius. Regnum Poloniæ idem regnum per omnes familias regum permanſit, idemque Regni ſtatus; ad quem tuendum, non tolendum, novus rex eligitur. Et ita de Dania aliisque regnis nuper ad hac electivis; de Impe-

rio

rio Romano &c. Id verò eſt confundere corpus civitatis, & perſonam Principis, ac utriusque jura. *ſup. c. 24.* §.

Et hæc magna videtur ignorantia rerum Germaniæ & Juris publici. Diſtractis Provinciis in plures Principes, ordo & numerus Principum auctus, non ſtatus regni mutatus aut ſublatus fuit. Novi ergo illi Principes eâdem formulâ utuntur, quâ antea Duces, quibus diviſis provinciis æquiparati ſunt: Nec illi noviter uniti ſunt regno, ſed jam antea in regno, regnique Magiſtratus fuêre; ſed nondum in ordine Principum.

OBJECTIO VII.

Regis igitur Germaniæ provincias per Proceres nunc jure adminiſtraterio, nunc proprio, dependente quidem, at liberiore, quàm rationes Monarchiæ ferant, gubernâſſe; adeoque Germaniam juxta regulas Monarchicas nunquam exacte ſatis fuiſſe compoſitam, ſed potiùs Monarchiæ ſciagraphiam extitiſſe, ſeu inter Monarchiam & plurium corporum liberorum ſyſtema perpetuò velut fluctuâſſe. inprimis ſpectatâ temporum illorum ruditate &c.

RESP.

RESP.

Hoc non eſt ſcientiam tradere, ſed quicquid in buccam venit, dictatorio faſtu effundere, ſcopas diſſolutas projicere, & cinerem in ventos ſpargere. Regnum Germaniæ, uti olim Auſtraſiæ, ſatis exactè ad regulas Monarchiæ, ſed mixtæ, compoſita eſt. Et fuit fortè in temporum illorum ruditate plus prudentiæ, quàm in hodiernorum arrogantia, & ſentiendi judicandique temeritate.

F I N I S.

ANT1317646

Digitized by Google

Digitized by Google

XVI
C14